ELE III
XVI
D
25
NAPOLI
25.
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ASTRI

INEXTINCTI

THEORICAE

by Google

ASTRI INEXTINCTI THEORICAE

Siue

IVS AGENDI ANTIQVORVM ORDINVM

pro recipiendis Monaſterijs, quæ non nemo malè appellat ſua, confutatum

à R. P.

VALENTINO MANGIONIO

Peruſino è Societate IESV,

IN SACRAE POENITENTIARIAE Signatura, Sanctiſſ. D. N. PAPÆ Conſultore Theologo.

COLONIÆ AGRIPPINÆ

In Officina Birckmannica, ſumptibus Hermanni Mylij,

Anno M.DC.XXXIX.

Cum Priuilegio S. Cæſ. Maieſt. & Superiorum permiſſu.

FERDINANDO TERTIO CÆSARI.

INTER Aſtra, vni (quod Te non fugit CÆSARVM SAPIENTISSIME) datum eſt Vrſæ,

Vt, quæ ſummo vertice Mundi
Flectit rapidos vſq; meatus,
Nunquam occiduo lota profundo,
Cætera cernat ſydera mergi:

quemadmodum doctus æquè Philoſophus, atque Heros inuictus BOETIVS cecinit. Hinc diſcere poterat *R.P.F. Romanus Haye* contentus eſſe, Eccleſiaſticum Cælum pulcherrimis Aſtris frequentaſſe (ſunt enim Monaſteria verè *Aſtra*) Non debuit complura ex illis facere *Inextincta*, memor, vnam

 Ec-

Ecclesiam Romanam eſſe veram Helicen, ac Cynoſuram nunquam extinctam, nunquam extinguendam; vt quicunq; turbulentiſſimis rerum humanarum fluctibus voluimur, eam reſpicere poſſimus ſemper: ne vnquam errorum ſcopulis allidamur. Et mirum profectò eſt, Hominem eruditum, ac pium, vel nequiuiſſe pati, vt ſui, & quorundam aliorum Religioſorum Ordinum ſydus vllum, hoc eſt Monaſterium, occidiſſe diceretur: vel potuiſſe alicui fidem facere, rem ita habere: cùm illuſtriſſimas olim Eccleſias in Palæſtina, Ægypto, Mauritania, Perſide, alibi, nuſquam apparere videamus hoc tempore; radijs non ſolùm hebetatis, ſed prorſus extinctis. Verum, vt ſunt non pauci, qui ſi fortè in ſublimi, intendentibus iam ſe tenebris, Cometas, trabes, lanceas, ignes lambentes ac fatuos ſuſpiciant; continuò clament, *noua ſydera*, & immortalia eſſe credant; ſic non defuêre vulgò, quibus Monaſteria in *R.P.F.Romani* Volumine, tanquam in Cælo explicata, *Aſtra* viſa fuerint & *Inextincta*, Vulgò, inquam, non Sacræ Maiestati Tuæ Avgvstissime Cæsar, non Romano Pontifici, qui Veſtra Auctoritate, quid de Monaſterijs Parentis Tui armis, & Edicto recuperatis ſentiendum ſit; abundè demonſtraſtis, dum eorum

nq

non pauca ad Catholicam Religionem,quà reſtituendam,quà conſeruandam;non ſolùm antiquarum; ſed recentium etiam Familiarum Religioſis Viris, alijſque pijs vſibus attribuiſtis. Vt proptereà non poſſim mirari ſatis *F. Romani* conſilium, qui Sacratissimo Nomini Tvo inſcripſerit Librum illum,quo nil aliud agit,niſi vt oſtendat,neque pijſſimum Parentem Tvvm,neque Te,neque Svmmvm Sacrorvm Antistitem iure potuiſſe facere,quod feciſtis,quod tamen boni omnes probant: Nationes exteræ laudant: Germania ingenti ſuo bono experitur, fuiſſe ſibi maximè ſalutare. Optaſſem, vt *F. Romanus*,qui Sacræ Maiestati Tvæ nouum *Aſtrum* commonſtrauit, *Theoricam* aliquam, vel *Dioptram* obtuliſſet,quâ verum eiuſdem *Aſtri* poſitum, magnitudinem, motum, & præſertim inconſtantiam deprehenderes. Hoc Ego nunc facio nouus (abſit verbo inuidia) Aſtronomus. Scripſi has Theoricas Astri Inextincti per honeſtiſſimum otium, quod Belligerantium negotium mihi peperit: dum Coloniæ Agrippinæ in comitatu Eminentissimi Cardinalis Ginnetti Apostolicæ Sedis de Latere Legati, conciliandæ tantoperè exoptatæ Pacis occaſionem auidius, quàm felicius præſtolaremur:

 Hoc

EPISTOLA DEDICATORIA.

Hoc quicquid eſt opellæ CÆSAREÆ MAIESTATI, prius penè, quàm conciperem, deſtinaueram. Patere ergò tantùm HVMANISSIME CÆSAR, eam TVO NOMINE prænotatam prodire in publicum: ne plus præſidij videaris impertijſſe ijs, qui præclaras Actiones Tuas, & PARENTIS TVI ſugillare tentarunt, quàm mihi, qui eaſdem ab iniuria vindicandas ſuſcepi: & Societatem vniuerſam (quæ hoc potiſſimum nomine impetitur, quòd Cæſarea beneficia non recuſauerit) tueri ac fouere perge: dùm illa pro AVGVSTISSIMA DOMO VESTRA, hoc eſt, pro Salute publica, Vota facere nunquam ceſſat.

Coloniæ

Sac. Maieſtatis Tuæ Cæſareæ,

Humillimus ac deuotiſſimus Seruus

Valentinus Mangionius

SOC. IESV.

APPROBATIO R. P. PROVINcialis Societatis IESV *per Rheni inferioris Prouinciam.*

EGo Goſvvinus Nickel Societatis IESV per Rheni inferioris Prouinciam Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P.N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, ASTRI INEXTINCTI THEORICAS à R.P. Valentino Mangionio Societatis noſtræ Theologo conſcriptas, atque à deputatis ad id Societatis eiuſdem Theologis lectas, & approbatas typis mandari permitto. In cuius fidem has literas manu propria ſubſcripſi, conſuetoque officij ſigillo munitas dedi. Colon. 5. Sept. An. 1639.

Goſvvinus Nickel.

** FACVL.

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis Iesv per Rheni Inferioris Prouinciam.

CVm ex mandato Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac alijs quamcumque librariam negotiationem exercentibus ſeriò firmiterque inhibeatur, ne quiſquam libros vllos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut in poſterum edendos, intra S. Imperij, Regnorum, & Dominiorum Suæ Cæſ. Maieſt. hæreditariorum fines, ſimili, aliouè charactere, aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere, clam ſeu palam, citra ſupradictorum Patrum conſenſum, ac teſtimonium, audeat, vel præſumat: Ego Gosvvinvs Nickel *Societatis* Iesv *per Rheni Inferioris Prouinciam Prouincialis, concedo* Hermanno Mylio *facultatem excudendi R.P. Valentini Mangionij è Societate* Iesv, Astri Inextincti Theoricas. *In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum & ſigillo munitum dare voluimus. Colon. 5. Sept. An.* 1639.

Goſvvinus Nickel.

ASTRI

ASTRI INEXTINCTI NOVEM, *Quæſtiones in his* THEORICIS *conſideratæ.*

I.

An Antiqui Ordines habeant Ius agendi pro Monaſterijs ſuis recipiendis.

II.

An translationi Monaſteriorum ad alios Ordines & pios vſus, obſtet voluntas Fundatorum.

III.

An à P. Laymanno iuſtè defenſa fuerit Apoſtolica Sedes.

IV.

An à P. Laymanno iuſtè defenſus fuerit Auguſtiſſ. Cæſar FERDINANDVS Secundus.

V.

An à P. Laymanno iuſtè defenſi fuerint S.R.Eccleſiæ Cardinales ac Nuntij Apoſtolici.

VI. An

V I.

An à P. Laymanno iuſtè defenſi fuerint Epiſcopi Sac.Imp.Principes.

V I I.

An P.Laymanno iuſtè defenſi fuerint Abbates, & Religioſi antiquorum Ordinum.

V I I I.

An à P. Laymanno iuſtè defenſa fuerit Societas IESV.

I X.

An à P.Laymanno rectè probatum fuerit duo Opuſcula eſſe famoſos libellos.

PRÆ-

Digitized by Google

PRAEFATIO AD LECTOREM.

QVATVOR *circiter anni ſunt, cum* GASPAR SCIOPPIVS, *magnum inter Criticogrammaticos Nomen, nullum faciens modum euomendi virus in Societatem* IESV *conceptum, iuſtæ magnitudinis Volumen* typis Sangeorgianis (*locus eſt in Vtopia*) *euulgauit, cui titulus eſt* ASTRVM INEXTINCTVM, ſiue Ius agendi, antiquorum Religioſorum Ordinum pro recipiendis Monaſterijs ſuis, &c. *In* Aſtrologia *verò* Eccleſiaſtica *Operi præfixa, palàm profitetur, Lucubrationem illam non eſſe ſuam*, percommodè, *inquiens*, euênit, vt Liber hic à quodam magnæ virtutis & eruditionis Sacerdote Benedictino conſcriptus, in meas manus veniret. *Credimus, vel te tacente. Tuo cribro talis farina non ſubcernitur. Credimus & hoc, quicquid admixtum eſt furfuris, (nec eſt ſanè parum) eſſe à tuo piſtrino, vt propterea mirari deſinamus, totam maſſam eſſe corruptam. Huius, quod dico Voluminis contra ſe ſcripti, breuiſſimam* Cenſuram *edidit illicò R.P. Paulus Laymannus, quâ vnum quaſi ſub aſpectum*

eſt ſacrorum Canonum & Interpretum ex fide citatorum.id ſi perfecero; amoliar à Societate noſtra omnem inuidiam, quam idem Obtrectator ille, & iuratus hoſtis creare conatus eſt: &, vt ſpero, Religioſorum Ordinum venerandæ Familiæ intelligent, longiſſimè fuiſſe ab vnoquoquè noſtrûm, velle quidquam Iuris aut cōmodi detractum ſacris ipſorum Ordinibus, quorum virtutes ſuſpicimus, beneficentiam etiam ſæpius experti ſumus, quibus denique vt eſſe, & videri poſſimus grati, remis ſemper, velisq; contendemus. Diuidam autem hoc Opuſculum in totidem partes, in quot Author Quæſtiones Aſtrum *ſuum diſtinxit. Quid ſingulis numeris velit, examinabo ad mentem, vt dixi, P.Laymanni in* Iuſtâ Defenſione & Cenſurâ, *illa anno 1631. hac 1635. Dilingæ excuſa. Apparebit, virum illum verè doctum & cordatum Iure optaſſe,* vt nemo noſtrorum quicquam ampliùs hiſce de Controuerſijs reſponderet, Theoricas inſcripſi, *quibus poſſis, Amice Lector, noui huius* Aſtri *poſitum, magnitudinem, motus, conuerſiones (ne dicam ſtrophas) contemplari. Vtere tuo commodo, & veritati faue.*

IN-

INTRODVCTIO
Ad totius Controuerſiæ Statum cognoſcendum perutilis.

SAtis conſtat etiam poſt *Pacem*, quæ appellata eſt *Religionis*, conſtitutam in Germania Auguſtæ Vindelicorum anno Superioris Sęculi quinquageſimoquinto, multa bona Eccleſiaſtica, complura Religioſorum Ordinum Monaſteria, integros Epiſcopatus, contra fidem datam, ab hæreticis iniuſtè occupata fuiſſe. Cum autem FERDINANDVS Secundus Auguſtiſſimus Cæſar pijs æquè, ac felicibus armis, recuperaſſet non pauca; & Edicto promulgato, omnia reſtitui iuſſiſſet; controuerti cœpit potiſſimùm de Monaſterijs Monialium & obſcurioribus Virorum, quibuſnam vſibus pijs applicari poſſent, aut deberent.

Prouinciæ, in quibus ipſa Monaſteria ſita ſunt, pauciſſimos, ac ferè nullos numerabant Catholicos. Acatholici haud difficulter ſinebant ſe à ſuis erroribus abduci, & ad Orthodoxam fidem reuocari. Opus erat non exiguâ Concionatorum, Catechiſtarum, ac Sacerdotum copiâ, qui conuerſioni inſiſterent, conuerſis ſalutare pabulum doctrinæ cæleſtis, & Sacramentorum miniſtrarent: inſtaurandæ, vel inſtituendæ Parochiæ: prouidendum, ne in poſterum boni Animarum Paſtores deeſſent: Ergò conſultiſſimum videbatur, ſi Clericorum ſeminaria, ſi Collegia ac Gymnaſia locis opportunis fundarentur, attributis bonis ac reditibus aliquorum Monaſteriorum iam pridem deſertorum, & quæ non facilè ad tolerabilem aliquam formam Religioſi Cœnobij reduci poſſe apparebat.

Contrà, antiquorum Ordinum Religioſi, omnia Monaſteria recuperata ac recuperanda ſibi vnis deberi aſſerebant. Hinc (vti fit) variantibus ſententijs, non ſolùm ſcriptis mandata; ſed etiam typis vulgata ſunt non pauca inter ſe prorſus contraria.

Et quoniam increbuerat rumor, Rom. Pontificis conſilium eſſe, vt ex bonis recuperatorū Monaſteriorum maximè ſanctimonialiū, Seminaria, vt dicebant, Collegia, Gymnaſia, & Vniuerſitates inſti-

Google

tuerentur; circumferri cœptæ ſunt *ſeptem Rationes*, quæ dicebantur à Cæſare tranſmiſſæ Romam ad ſuum Oratorem: vt ijs Pontifex Maximus ad ſententiam mutandam permoueretur. Porrò Author illarum contendebat, *vix ac ne vix quidem coram Deo excuſari poſſe, ſi Monaſteria contra piam Fundatorum mentem, ſuis quæque Ordinibus non reſtituerentur*, àliò conuerterentur. Hoc aſſertum, quòd videretur nimis audax, & damnare non ſolùm Pontificis Maximi conſilium, ſed etiam ipſius Cæſaris, qui Pontifice approbante, alijs pijs vſibus nõnulla Monaſteria deſtinauerat; fortiter refutatum eſt, præter cæteros, à quinque Theologis, qui ſuper hac controuerſiâ breuiter ſua *Iudicia* exponebant. Ex quibus duo potiſſimùm probata ſunt Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. Nuncio Apoſtolico apud Cæſaream Maieſtatem, nunc Eminentiſſimo Cardinali PALLOTTO, qui illa ipſa *Iudicia* ſimul cum rationibus, quæ ijs confutabantur, tradenda eſſe cenſuit eidem Sacræ Maieſtati; vt pro ſuâ prudentiâ ſingulari pergeret in benè cogitatis, neque ſe à ſemel ſuſcepto conſilio (quod idem erat cum Pontificio) dimoueri vllâ ratione pateretur. Contra hæc duorum Theologorum *Iudicia*, quæ typis (cuius operâ neſcitur) vulgata ſunt, ſcripſerunt quidam Anonymi duo Opuſcula, quorum vni titulum fecêre *Suſcepta pro S. Cæſarea M. Defenſionis*. alteri, *Diſceptationis ſeu Quæſtionis, vtrum bona Eccleſiaſtica ac Monaſteria transferri poſſint.*

Hæc confutauit R. P. Laymannus è Societate IESV Libro, quem inſcripſit, *Iuſtā Defenſionē*, & in eo libro primùm duas tractat *Quæſtiones*, in quarum priore docet, *Religioſos antiquorum Ordinum non habere Ius & Actionem in Monaſteria armis Cæſareis recuperata*; in poſteriore, *eſſe rationabiles cauſas, ob quas (ſeruata etiam pia Fundatorum intentione) Monaſteria ab Hæreticis, vel reſtituta, vel reſtituēda, cum bonis ac Iuribus ſuis, poſſint applicari non eius Ordinis Religioſis, pro quibus primitus fundata erant, ſed alteri Ordini, aut piæ cauſæ.* Deinde reliquo Volumine refutat diligentiſſimè Anonymos illos, quos dicebam, eoque potiſſimùm P. Laymanni doctrina collimat; vt oſtendat contra eoſdem Authores, quicquid in hac cauſa Monaſteriorum factum, dictum, cogitatum eſt à Summo Pontifice, Cæſarea Maieſtate, Eminentiſſimis Cardinalibus, Illuſtriſſimis ac Reuerendiſſimis Epiſcopis ac Principibus Imperij, à Societate noſtrâ, eiuſque

inſque hominibus, Iure actum; ac proinde Volumini ſuo *Iuſta Defenſionis* nomen indidit.

Huic Gaſpar Scioppius oppoſuit lucubrationem quandam, quã ſibi traditam fuiſſe dicebat à Sacerdote quodam Benedictino. Inſcribebatur *Aſtrum Inextinctum*, ſiue *Ius agendi Religioſorum Antiquorum Ordinum pro recipiendis ſuis Monaſterÿs* &c. prodijt hic liber in lucem anno 1634. incertis typis, & rurſus anno 1636. addito Authoris, hoc eſt, *R. P. F. Romani Haye Ordinis S. Benedicti Imperialis Monaſterÿ Ochſenhuſani Presbyteri Theologi:* non tamen loci neque Typographi nomine.

Diſtinguit autem librum hunc ſuum in Quæſtiones omninò nouem, quarum duæ priores opponũtur duabus illis P. Laymanni. Conatur quippe oſtendere, *Antiquis Ordinibus competere Ius & Actionẽ pro ſuis Monaſterÿs recipiendis, nec ea poſſe (ſaluâ intentione & vltima voluntate Fundatorum) ad vllum alium pium vſum transferri*: alijs ſex contendit, *à P. Paulo Laymanno non fuiſſe iuſtè defenſam Sedem Apoſtolicam, nec Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum II. eiuſque Conſiliarios & Iudices Cameræ Spirenſis, nec Eminentiſſimos Cardinales & Nuncios Apoſtolicos, nec Reuerendiſſimos & Illuſtriſſimos DD. Epiſcopos & Principes S. R. Imperÿ, nec Abbates & Religioſos Ordinum antiquorum, nec denique ipſam Societatem Ieſu*; in vltimâ autem probare intendit, *à P. Paulo Laymanno non fuiſſe ſufficienter oſtenſum, eſſe libellos famoſos Suſceptam Defenſionem pro S. C. Maieſtate, & Diſceptationem ſeu Quæſtionem, vtrum bona Eccleſiaſtica & Monaſteria ad alias familias transferri poſſint, & verè debeant*.

His ergò nouem quæſtionibus reſpondendi onus impoſitum mihi eſt, quod tecum, Humaniſſime Lector, nunc partior; & vt leuius feramus; hanc *Introductionem* ſarcinæ addere operæ precium duxi. Alarum inſtar erit; vel, ſi mauis, rotarum: ſic illarum, volucres: harum additamento currus agiliores redduntur.

I. Præcipuum huius Controuerſiæ caput eſt, An Antiqui Religioſi Ordines habeant Ius Agendi pro recipiendis ſuis Monaſterijs ita vt, ſi applicentur alteri Ordini, vel piæ cauſæ, ipſis fiat iniuria. Vt ergò Status Quæſtionis huius potiſſimæ intelligatur; declarandum eſt, quid ſignificet nomen *Monaſterÿ* & *Iuris Agendi*.

Conueniunt PP. Romanus & Laymannus, nomine *Monaſterÿ* eſſe

eſſe accipiendum, non ſolùm id, quod hac voce in Iure ſignificatur: ſed etiam quicquid Monaſterio adhærere & annexum eſſe ſolet. Sumitur autem Monaſterium interdum pro Habitatione Clauſtraliũ, & Monachorum, & ipſo loco materiali: interdum pro collectione ſeu Conuentu & Congregatione conſtante ex Monachis particularibus, & paſſim appellatur Collegium.

Monaſterio annexa ſolent eſſe duo genera rerum. quædam vocantur *Corporales*, eo quòd tangi & palpari poſſint: tales ſunt præter Habitationem materialem, Templum, fundi, vineæ, ſyluæ, prata, &c. quæ dicuntur bona immobilia: & prætereà bona, quæ dicuntur mobilia, aurum, argentum, veſtes, vno verbo, omnis ſuppellex ſacra, & profana. Aliæ res dicuntur *Incorporales*: quia nec tangi, nec palpari queunt, & cõſiſtunt in quodam Iure & Poteſtate. tales ſunt Vſus fructus & aliæ Seruitutes reſpectu bonorum alienorum, ex quibus capere poſſunt Monachi aliquam vtilitatem, ſeu cõmoditatem: tale etiam eſt Ius exigendi annuos cenſus, penſiones, legata &c. item omnia priuilegia, exemptiones, immunitates, iuriſdictio ſpiritualis vel temporalis: denique (quod maximè facit ad rem noſtram) inter res Incorporales computantur Tituli Abbatis, Prioris, Monachi: ex quibus Titulis, ſicut Clerici in Eccleſijs Collegiatis; ita Monachi dicuntur Intitulati in Eccleſiâ Monaſticâ.

Diſtinguuntur autem hi Tituli tripliciter, quidam enim habent nomen Dignitatis, quidam Perſonatus, quidam Canoniæ. Dignitas eſt præeminentia in gradu cum Iuriſdictione. Perſonatus, præeminẽtia in gradu ſine Iuriſdictione: Canonia, (quæ in Eccleſijs Monaſticis appellatur etiam Monachatus) eſt Ius, ex quo illi, qui recipitur in Monachum per profeſſionem, debetur Stallũ in Choro, vox in Capitulo, victus & ſuſtentatio in Monaſterio: & reſpectu horum Titulorum conſideratur quoque Ius Vocis Actiuæ & Paſſiuæ: vt ſcilicet quis eligere poſſit v.g. Abbatem, & in Abbatem eligi. Porrò reſpectu rerum hactenus enumeratarũ datur dominium & poſſeſſio, ſi res ſint Corporales: quaſi-dominium & quaſi-poſſeſſio, ſi ſint Incorporales.

Iam verò *Iuris Agendi* (quod etiam vocatur Actio) nomine, intelligitur poteſtas ſeu facultas legitima perſequendi in Iudicio quod ſibi debetur.

II. Exploratiſſimum eſt, dum controuertitur, an Monachi habeant

beant Ius Agendi pro recipiendis ſuis Monaſterijs: non poſſe eſſe Quæſtionem de recipiendis, niſi rebus, quæ exſtant in rerum naturâ, quas diximus eſſe vel Monaſteria, vel res Corporales, vel Incorporales Monaſterijs annnexas. nam ſi non exſtant; fruſtra quæritur, an competat Ius Agendi pro illis recipiendis; cum non Entium nullæ ſint qualitates.

In hac re PP. Romanus & Laymannus partim conſentiunt, partim ſecus: Conſentiunt, exſtare in rerum naturâ Monaſteria accepta in primâ ſignificatione, hoc eſt, Habitationes materiales, ſeu domicilia Clauſtralium materialiter ſumpta: & his annexas varias res Corporales, ſcilicet templa (rametſi deformata) fundos &c. nec non varias res Incorporales, Ius nimirum exigendi cenſus, penſiones &c.

Secundò conſentiunt, non exſtare Monaſteria ſumpta in ſecũdâ ſignificatione, nam & oẽs Monachi particulares Monaſteriorum, de quibus agitur, iam pridem defuncti ſunt: & per eorundem mortem diſſoluta ſunt etiam Collegia, & Conuentus Monachorum.

Quocirca (vt hoc obiter dicam) nequeo mirari ſatis, cur P. Romanus in primâ ſui Libri fronte loquens de Monaſterijs recipiendis, incluſerit parentheſi ea verba: *quæ nonnulli perperam extincta fuiſſe dicunt*. Nam vel Monaſteria accipit pro Habitationibus, & domicilijs materialibus, & pro bonis Corporalibus & Incorporalibus, quæ ſolent Monaſterijs eſſe annexa, & tunc nec P. Laymannus, nec vllus alius (quod ſciam) vnquã aſſeruit, Monaſteria eſſe *extincta*: imò contendit, iſta poſſe applicari Seminarijs, Collegijs, Parochijs &c. Vel P. Romanus nomine Monaſteriorum accipit Conuentus, & Collogia Monachorum conſtantia ex Monachis particularibus; & ſicut certum eſt, Monachos omnes ſingillatim acceptos eſſe extinctos; ita etiam negari non poteſt, quin per omnium mortem etiam ipſa Collegia & Monaſteria ſoluta ſint: & conſequenter *extincta*, adeoque P. Laymannum, qui hoc aſſeruit, non *aſſeruiſſe perperam*.

III. Diſſentiunt primò, quoad Titulos, quorum ratione ſupra dicebamus, Monachos appellari Intitulatos in Eccleſiâ Monaſticâ: non quidem quoad Titulos priuatorum Monachorum: quia iſti in omnium Doctorum ſententiâ, morientibus ſingulis Monachis extingui cenſentur, & quotieſcunque nouus Monachus admittitur per profeſſionem, creari nouum Titulum, & ei, qui recipitur, conferri.

B Et

Digitized by Google

Et ratio eſt; quia in Monaſterijs nō eſt certus & determinatus numerus Monachorum: vnde & ipſæ Eccleſiæ vocantur *non numeratæ*.

Diſſenſio ergò eſt quoad Titulos certos & determinatos, cuiuſmodi ſunt Titulus Abbatis, Prioris &c. & hos Titulos, P. Romanus contendit, exſtare in rerum naturâ (licet Collegia Monachorum, omniū morte, ſint diſſoluta) & eſſe annexos Monaſterijs & locis Materialibus: nec eſſe *extinctos*, ſed *vacare*, id eſt, carere actuali poſſeſſore.

Contrà P. Laymannus, diſſolutis Collegijs Monachorum per omnium mortem, ſentit; hos Titulos Abbatis fuiſſe *extinctos*, hoc eſt, penitus ceſſaſſe, & deſijſſe eſſe in rerum naturâ.

Secundò diſſentiunt quoad Ius vocis Actiuæ & Paſſiuæ reſpectu prædictorum Titulorū, & P. Romanus congruenter ad ſuam ſententiam, cenſet vtrūque Ius exſtare: & Ius quidē vocis Actiuæ, per diſſolutionē Collegiorū Monaſticorū, deuolutum eſſe ad eos, qui habebāt poteſtatem confirmandi Abbatē electū, dum Monaſteria vigerēt, ſiue illi eſſent Epiſcopi, & alij Ordinarij, ſiue Summus Pontifex, & ipſius Legati: cenſet etiam, exſtare Ius vocis Paſſiuæ, & hoc apud Ordinem in communi, cuius Monachi olim Monaſteria incolebant.

Contrà P. Laymannus vult, vtrumque Ius tam Actiuæ, quàm Paſſiuæ vocis nuſquam exſtare: cum ipſi Tituli, reſpectu quorū dicitur Ius vocis Actiuæ & Paſſiuæ, nuſquam extēt, ſed *extincti ſint*. Ad ſummum concedit extare, Ius & poteſtatem diſponendi de Monaſterijs materialiter acceptis & bonis Corporalibus & Incorporalibus annexis, eaque attribuendi huic vel illi perſonæ aut piæ cauſæ, & eſſe penes Prælatos Eccleſiæ, ac potiſſimū Romanum Pontificē tanquā Vniuerſalē Adminiſtratorem bonorū Eccleſiaſticorū, & ſuo modo etiā apud Imperatorem tanquam ſupremum Patronum & Aduocatum.

Tertiò diſſentiunt de quodam Dominio Monaſteriorum Materialium & rerum annexarū, eademque eſt ratio de Quaſi-dominio P. Romanus, ſicut, quando Monaſteria vigebant, Dominium immediatum erat penes Collegium Monachorum, ita vult, eorundem Dominium mediatum & altius, quod vocat ſubalternum, fuiſſe ſemper & nunc etiam eſſe penes Ordinem in Communi, & adhuc altius & ſupremum penes Eccleſiam vniuerſalem & Chriſtum. At P. Laymannus negat, illud dominium mediatū reſpectu Ordinis in communi: & ſolùm concedit illud Eccleſiæ Vniuerſali & Chriſto.

IV. Ex

IV. Ex hactenus conſtitutis habemus inter Controuerſias particulares, (à quibus pendet Deciſio queſtionis generalis, *An ſcilicet Antiqui Religioſi Ordines habeant Ius Agendi pro recipiendis ſuis Monaſterijs,*) primam eſſe. An Titulus Abbatis &c. Monaſteriorũ, de quibus agitur, ſit *extinctus*, an verò ſolùm *vacans*. Secunda Controuerſia eſt, an Ordini in Communi competat aliquod Dominium & poſſeſſio, quaſi Dominium & quaſi-poſſeſſio ſaltem mediatè reſpectu Monaſteriorum Materialium, & rerum Corporalium & Incorporalium, quæ diximus in vtriuſque ſententiâ extare.

V. His ergò poſitis, generalis, vt dicebam, Cõtrouerſia eſt inter PP. Romanũ & Laymannũ, An & Quale Ius Agendi habeāt Antiqui Religioſi Ordines pro recipiendis ſuis Monaſterijs: Et quidẽ quid Iuris Agendi ſeu Actionis nomine intelligatur, ſuprà numero primo declaratum eſt. hîc addimus, hoc Ius Agendi ſiue Actionẽ poſſe eſſe duplicẽ: vna dicitur Realis, altera Perſonalis. Realis cõpetit illis, qui habent Ius *In Re*: Perſonalis illis, qui habent Ius *Ad Rem*: Illa dicitur etiã Rei *Vindicatio*. hæc *Cõdictio*. P. Romanus, quia putat, Antiquos Ordines reſpectu Monaſteriorum, & rerum ipſis annexarum habere Ius *in Re*, & reſpectu Titulorum Abbatis &c. habere Ius *Ad Rem*; cõſequenter vult, eoſdem Ordines Antiquos reſpectu Monaſteriorum, & rerum annexarum, habere Actionem Realem & Vindicationem: reſpectu autem Titulorum Abbatis &c. Ius *Ad Rem*, & proinde Cõdictionem.

VI. Iam, quia quicunque prætendit, ſe habere *Ius* aliquod & *Actionem*, ſemper fundatur in aliquâ lege, & intentat aliquod Iudiciũ, & vtitur aliquo peculiari Remedio Iuris, & corã aliquo Iudice; neceſſe eſt etiam hîc declarare, in quibuſnã legibus P. Romanus fundet Ius & Actionem Antiquorum Ordinum: quale Iudiciũ eos intẽtare poſſe aut velle putet: coram quo Iudice: & quo Iuris remedio.

Vt hæc autem rectè intelligantur, ſciendum eſt, P. Romanum exiſtimare, hoc Ius Agendi inniti, nõ ſolùm Iure Naturali Canonico & Ciuili: ſed præterea etiam Concordatis Germaniæ, Conſtitutionibus Imperij, Pace Religionis, Tranſactione Paſſauienſi, & Edicto Generali reſtitutionis bonorum Eccleſiaſticorum & particularibus Reſcriptis Ferdinandi II. nec nõ vltimis fundatorũ volũtatibus, qui ſua bona Monaſterijs & nulli alteri, etiã piæ cauſæ attributa eſſe voluerũt.

Iudicium duplex eſſe poteſt, Petitorium & Poſſeſſorium: Petitorium eſt, quando agitur ad rem aliquam obtinendam Iure Dominij, vel quaſi Dominij: & Actor petit, declarari à Iudice, fundum v.g. quē alius poſſidet, eſſe ſuum: & ad ſe ſpectare ratione Dominij: & Reum condemnari ad reſtituendum. Poſſeſſorium eſt, quando agitur ad rē obtinendam ratione poſſeſſionis ſolùm: vbi non de Dominio, nec de vllo alio Iure agitur: ſed de poſſeſſione eſt contentio: & Actor agit, vt rei alicuius poſſeſſionem adipiſcatur, quam nunquam habuit, vel retineat quam habet: vel recuperet amiſſam. P. Romanus apertè ſignificat, Antiquos Ordines intentare Iudicium Poſſeſſorium. hoc ſiquidem volunt Doctores, eſſe conſultius, cùm in eo ſatis ſit oſtendere, aliquando poſſediſſe & conſequenter poſſeſſione ſpoliatos fuiſſe, & ſpoliatos tanquam, vel Hæredes aut Succeſſores Monachorum, qui ſpoliati fuerunt, reſtituendos eſſe.

Porrò remedia legitima recuperandæ poſſeſſionis (quæ etiam in Iure dicuntur Interdicta) duo ſunt præcipua: alterum vocatur *Vnde vi*. quod competit in caſu, quo quis de poſſeſſione rei ſuæ vi deiectus fuerit: alterum vocatur *Redintegranda*. quod competit contra quoſcunque detentores bonorum Eccleſiaſticorum: & in eo ſatis eſt, conſtare de Antiquiore poſſeſſione, vt qui eo vtitur, rem, de quâ agitur, ſtatim recuperare debeat. Non eſt dubium, quin P. Romanus cenſeat, Antiquos Ordines vti velle hoc Remedio & Interdicto *Redintegranda*. quia, vt Doctores dicunt, eſt *pinguiſſimum*: & petentibus reſtitutionem bonorum occupatorum, ſufficit (vt dixi) conſtare de antiquiore poſſeſſione: quod in hoc caſu conſtat: nec opus eſt probare, anteceſſiſſe aliquam vim.

Denique ſi agatur de Iudice; non ambigo, quin reſpectu Monaſteriorum, quæ nondum recuperata ſunt è manibus Hæreticorum, Antiqui Ordines velint agere coram Cæſare & Iudicibus ab ipſo deputatis, & maximè in Camerâ Spirenſi quia non eſt alius Forus, in quo Hæretici conuenîri poſſint. at reſpectu Monaſteriorum, quæ recuperata ſunt, & hactenus manent in depoſito, nec vlli ſunt attributa; ſine dubio cauſa agi debet & Iudicium intentari in Foro Eccleſiaſtico. Hæc eſt Summa Sententiæ P. Romani.

Pater Laymannus verò, qui ſentit Antiquis Ordinibus Religioſorum non competere vllum dominium, nec immediatum nec mediatum,

diatum,neque *vllum Ius In Re*,aut *Ad Rem*,reſpectu Monaſteriorum, & eorum, quæ diximus,hoc nomine intelligi; contendit conſequenter, eoſdem Ordines *nullum habere Ius Agendi*, neque *Actionem Realem* aut *Perſonalem*:vtpote nullo Iure aut lege fundatam: nec intentare poſſe *vllum Iudicium*, aut *vti aliquo Remedio* ſeu *Interdicto poſſeſſorio* coram *vllo Iudice*. Concedit tantum,poſſe Antiquos Ordines petere à Romano Pontifice, & Cæſare huiuſmodi Monaſteria, quæ,ſi ipſis aſſignentur;tunc habituri ſunt Ius Agendi, vt ſibi tradātur:ſed hoc idem Ius competiturum etiam docet alijs, quibus fortè eorundem Monaſteriorum fieret aſſignatio.

Quibus autem rationum momentis hi Auctores ſententiam ſtabiliant ſuam,examinandum ſuſcepi, ſpe bona fretus, oſtenſurum me eſſe(quod R.P. Laymannus in primo ſuæ Cenſuræ proœmio aſſerit.) *Aſtri Inextincti* Auctorem *prima fronte doctrinæ ſpeciem aliquam præſeferre*: ſed ſpeciem tātum:*cæterū, ſi penitius inſpiciatur,nihil aut valdè parum eruditionis,calliditatis atque imperitiæ multum continere*, & contrà,P. Laymanni doctrinam (quod inaniter de ſua iactat P. Romanus)*in ipſiſſima Veritatis petrâ ſolidatam eſſe,nec vllis machinis expugnari potuiſſe*. Sed antequam rem ipſam aggredior,rogo Lectores meos,ne moleſtè ferant,ſi ad noſtra fortaſſe feſtinantibus, moram adhuc aliquam iniecero, obtrudendo aliena.non pigebit (ſpondeo) percurriſſe *ſeptem* haſce *Rationes*, ac *duorum Theologorum Iudicia*, quorum paulò ante fuit,& crebra in hoc opere mentio futura eſt.ea ſiquidem ſicut materiam,& occaſionem ſcribendi PP. Laymanno,ac Romano ſuppeditarunt;ita fermè vtriuſque Partis in hac cauſa Monaſteriorum firmamenta complectuntur.& maximè ponunt ante oculos ſtatum omnium aliarum Difficultatum de transferendis vel non transferendis aliò Monaſterijs recuperatis, aut recuperandis per Romani Pontificis ac Cæſaris auctoritatem. Septem illas Rationes integras attuli,ſicut & Theologi poſterioris,quem è Societate eſſe P. Laymannus non diffitetur, Iudicium: ex Prioris autem Theologi(quem è Societate non fuiſſe conſtat) Iudicio ſuſtuli, quæ minus ad rem facere,& non nullam offenſionis occaſionem præbere poſſe ſuſpicatus ſum. Propoſitum ſiquidem mihi eſt, ita ſtylo in hac Defenſione ſcribendâ,Deo duce,moderari, vt Chriſtianæ ac Religioſæ charitati in omnibus conſultum ſit.

Rationes & argumenta, ob quæ Sacra Cæſarea Maieſtas Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica Ordinibus ſuis, & non alijs reſtituere poſſit, & debeat.

I. QVod pleræque & penè omnes Nationis Germanicæ fundationes, Collegia, Monaſteria, aliaque loca ſacra, ac religioſa ab antiquis Romanorum Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus, atque alijs vtriuſq; ſexus Fidelibus in honorem Dei, & ſuã, ſuorumque hæredum memoriam ac Animarum ſalutem ad certos pios vſus annua, anniuerſaria, & quotidianas eleemoſynas pauperũ cum cõminatione perpetuæ dãnationis & gehẽnæ ignis, qui contrafaxit, fundata, dotata, & tam à Romanis Pontificibus, quã à DD. Imperatoribus & Regibus, & deniq; à moderna SVA CÆS. MAIESTATE cõfirmata ſint: quodque corã Deo, vix, ac difficulter excuſari queat, ſi ſimiles in Iure diuino ſtabilitæ Fundationes contra Fundatorum mentem, & inſtitutum aliò, conuertantur, & applicentur: prout & Iure communi ſalubriter cautum, & ordinatum; ne defunctorum vltimæ voluntates, & diſpoſitiones vllatenus mutentur, ſed in ſtatu ſuo inuiolabiliter relinquantur.

II. Quod huiuſmodi Monaſteria, & loca ſacra vel Rom. Imperatori ſacroque Imperio, vel alijs Principibus, ac Statibus Imperij ratione Aduocatiæ, Protectionis, Collectarum aliorumque temporalium Iurium eatenus affecta ſint; vt abſque eorum, ad quos ratione temporalitatis ſpectant, conſilio & aſſenſu, & citra magnam confuſionem, ac mutilationem, eorũ mutatio vix ſuſcipi, ac inſtitui queat. Quorundam Monaſteriorum enim Abbates ſunt Status Imperij, & Comitiorum publicorum Ius habent.

III. Quod per ſe notum ſit, quo in pretio à Deo Opt. Max. ſtatus virginitatis habeatur, & quã cuique Imperij ſtatui, & Ordini curæ ſit; vt ſimilia in eorũ Territorijs ſita Monaſteria in primæuâ, & antiquâ fundatione cõſeruentur; vbi virgines Deo ſacræ vocationi ſuæ vacare, ſtatum perfectionis aſſequi, & quorſum filiæ Imperatorum, Regũ Magnatumque, quin & de infimis & infirmis, quas Deus elegit, aſpirare poſſint.

IV. Quod, ſi quem Monaſteriorũ Patronum ac Fundatorẽ, eiuſq; Hæredes ad paupertatẽ, & inopiam redigi contingeret; tali caſu neceſſaria

ceſſaria alimenta ibidem ipſis ſubminiſtrare debeant; quodque eorũ Hæredes,& Propinqui liberam eò diuertendi facultatẽ & acceſſum habeant, peregrinantes,& itinerantes, paſſim hoſpitaliter ſuſcipiantur,& tractentur,& indigentibus largè eleemoſynæ diſtribuantur; quæ omnia hoſpitalitatis iura, & beneficia ceſſatura eſſent; ſi monaſteria illa in alios vſus conuerti, Ordinarijs in commendas concedi, penſionibus grauari, aut prorſus Epiſcoporum menſis applicari contingeret.

V. Quòd Sacra Cæſarea Maieſtas circa reſtitutionem Monaſteriorum,& bonorum Eccleſiaſticorum, fungatur officio ſupremi, & Iuſti Iudicis, qui imploratus, atque ad Partium, id eſt, Catholicorum Ordinum Imperij inſtantiam, ex præſcripto Iuris (quo ſpoliatus & non alius in poſſeſſionem reſtituendus venit) Iuſtitiam adminiſtret, ſententias contra ſpoliantes iudicialiter latas exequatur, cuius terminos ſine apertâ iniuſtitiâ excedere haudquaquã poſſit. Imò quòd ipſa ratio, quâ vigore Pacis Religionis ſua Maieſtas hanc reſtitutionem Acatholicis iniungit, ſuper ſpolio poſt Pacem Paſſauienſem cõmiſſo, fundetur.

VI. Quòd Concordata Germaniæ, Imperij Conſtitutiones, Tranſactio Paſſauienſis, Pax Religionis,& Cæſareum in Imperio publicatum Edictum reſtitutionem ipſis Ordinibus faciendam expreſsè ſtatuat. Et, ſi reſtitutio ea non Ordinibus, ſed alijs fieri deberet; Aduerſarij Acatholici pro ſua pertinacia haudquaquam ea Monaſteria, & Bona Eccleſiaſtica dimiſſuri; aut alijs ad eorum diſpoſitionem renuntiaturi: quin potius mordicus ſe oppoſituri, nec in minimo à Pacis Religionis,& in ea fundati Edicti, litterali ſenſu receſſuri eſſent: quod optimam Sacræ Cæſ. Maieſtatis intentionem non parùm ſiſteret,& difficillimam redderet.

VII. Quod ſi antiquas Fundatorum diſpoſitiones facilè interuerti,& in alium vſum, vnà cum Fundatorum, & hæredum memoriæ abolitione transferri contingeret; non ſolùm Hæreticis, ſed & Catholicis ipſis magnæ offenſiones,& ſcandala præberentur, multique eis rerum Deo certiſque Ordinibus dicatarum interuerſionibus deterriti, ab idem genus pijs Fundationibus abſtinerent.

Iudi-

Digitized by Google

Iudicia duorum Theologorum de ſeptem ſupra relatis Relationibus.

IVdicia hæc exhibita fuerunt Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino, D. IOANNI BAPTISTAE PALLOTTO Nuncio tunc Apoſtolico apud Ferdinandum II. Imperatorem, nunc verò Eminentiſſimo S.R.E. Cardinali. Priorem autem Theologum è Societate IESV non fuiſſe conſtat

IVDICIVM PRIORIS THEOLOGI.

ILLVSTRISSIME AC REVERENDISS. DOMINE,

VT Iudicium meum de tranſmiſſis ad me Rationibus, quod à me feſtinatò expetijt, Illuſtriſſimæ Veſtræ Dominationi clarè, ac dilucidè, & (quantum per anguſtias temporis licuit) accuratè explicem; volo primò generatim Rationum illarum intentum, & ſcopum conſiderare: Secundò meam ipſe de re totâ ſententiam exponere. Tertiò ſpeciatim ſingulas Rationes, in quantum opus erit, examinare.

I. *Conſideratur Scopus Rationum.*

AD primam quod attinet, ſi harum Rationum Scopus, ac intentum ſit probare, 1. quòd bona à Chriſti fidelibus ad certos vſus legitimè applicata non poſſint ad alios vſus, etiam pios, transferri, niſi & grauis & iuſta cauſa in contrarium, etiam ſufficiens auctoritas legitimè interuenerit; ſi inquam, hanc Propoſitionem, & nihil amplius probare intendat, is, qui prædictas Rationes conſcripſit; Dico, Propoſitionem intentam, meo iudicio tenui, eſſe veriſſimam, & Canonibus, ac Decretis Summorum Pontificum, ac Conciliorum conformem.

Quòd ſi verò alius Rationum prædictarum Scopus, ac intentio ſit, probare ſecundò, Quòd bona à Chriſti fidelibus ad certos pios vſus legitimè applicata, nullo caſu, propter nullam cauſam, & à nullâ auctoritate humanâ ad alios vſus pios, etiam meliores, aut pro tempo-

tempore vtiliores, transferri licitè poſſint; ſi, inquam, hæc Propoſitio à Rationibus prædictis, vel earum Auctore intenditur; Dico, intentionem ac Propoſitionem hanc eſſe non tantùm & manifeſtè falſam, ſed erroneam, inſigniter temerariam, grauiter ſcandaloſam, contrariam immemoriali Eccleſiæ Conſuetudini, damnatiuã quotidianæ nunquam hactenus in dubium reuocatæ praxis Eccleſiæ vniuerſæ, læſiuam ſupremæ tam ſæcularis, quã Eccleſiaſticæ auctoritatis, vtriuſque Iuris, ſed maximè Canonici, deſtructiuam, ac tandẽ vel hæreticam, vel hæreſi proximam: quæ, meâ ſẽtẽtiâ, tã ſunt cuiuis verè Catholico rem attentè conſideranti, & nõnihil in Eccleſiaſticis præcedentium ſæculorum hiſtorijs, ac Iure Canonum verſato manifeſta; vt non putem, ijs deducendis diutius inhærendum. Neque mihi perſuadere poſſum, eum, qui prædictas Rationes conſcripſit (vtpotè Virum doctũ & Catholicũ) hanc Propoſitionem intendiſſe: etiamſi præfixus Rationibus Titulus, ac nonnulli hinc inde Rationibus interſperſi, ac non ſatis cautè vſurpati loquendi modi, videantur indicare.

Si verò intendat Auctor Rationum probare tertiò, quòd, etiãſi propter graues cauſas, & bonum Eccleſiæ publicum, bona Eccleſiaſtica ad alios pios vſus transferri, quandoque per auctoritatem ſufficientem licitè poſſint; tamen his rerum circumſtantijs nec videatur expedire, nec facilè tolerandum, vt Monaſteria, & bona Eccleſiaſtica Germaniæ Ordinarijs, aut alijs Prælatis in Commendas dentur, aut penſionibus in eorundem commodũ grauentur, aut prorſus Epiſcoporum menſis incorporentur; ſi hæc, inquam, eſt Auctoris intentio, quæ in ratione quarta inſinuari videtur, quamque ex litteris ad varios Epiſcopos datis intelligo, eſſe S. Cæſ. Maieſtatis; Dico hanc intentionem bonam eſſe, & laudabilem: etiãſi enim alibi fortaſſis certis caſibus tales commendæ, penſiones, atque incorporationes tolerari poſſint, aut debeant; in Germania tamen, vbi omnium ferè Ordinariorum, ac Prælatorum menſis abundè proſpectum eſt, nullo modo ſunt neceſſariæ, ac ferè ſine confuſione ac mutilatione Imperij, ac Statuum eius introduci; atque adeò nec ab Imperatore, qui tum ex officio Summi Principis, tum ex iuramento Electoribus in Electione præſtito, ad conſeruandum Imperium, ac omnes illius ſtatus in ſuâ integritate obligatur, tolerari facilè poſſunt.

Si verò prædictarum rationum Auctor (quod multi ſuſpicantur) ſub ſpe amoliendi commendas, penſiones &c. intendit vlterius probare quartò, Quod, etiamſi, abſolutè loquendo, fieri aliquando licitè poſſint: his tamen rerum circumſtantijs non ſit expediens, nec tolerandum, vt vlla bona Eccleſiaſtica, aut Monaſtica recuperata ad alios vſus, Seminariorum, Scholarum, Collegiorum, &c. ad alendos & formandos idoneos Parochos, Concionatores, Catechiſtas, Confeſſarios, Magiſtros, & ſimiles operarios applicentur: ſed S. Cæſ. Maieſtatem in conſcientiâ obligatam eſſe, vt omnia bona Eccleſiaſtica recuperata antiquis Ordinibus, improbante etiam Chriſti Vicario, reſtituat; ſi id, inquam, Auctor Rationū vel probare, vel reipſa efficere intendit (vti reuera ex poſt facto, vel rerum euentu, & ex ipſo Titulo Rationum videtur intendere voluiſſe;) Dico, intentionem hanc eſſe præſumptuoſam, temerariam, Eccleſiæ Catholicæ perniciosam, ſeminatricem diſcordiarum inter Supremos Eccleſiæ ac Reipublicæ Principes, plenam irreuerentiæ erga ſupremos Magiſtratus &c. maximè Chriſti in terris Vicarium, plenam etiam latitantis ſub prætextu Iuſtitiæ, machinationis ad euertendam ſanctiſſimam Summi Pontificis, Imperatoris ac plurimorum Principum Catholicorum intentionem, & ita manifeſtè falſam; vt neque per allatas Rationes probata ſit, nec per vllas alias probari poſſit, quod ex ſingularum Rationum conſideratione apparebit, ad quas conſiderandas antequam veniam: volo meum de re totâ ſenſum paucis, ac diſertis Propoſitionibus explicare.

II. *Exponitur Senſus Auctoris.*

EXiſtimo primò, quæcunque & qualiacunque bona Eccleſiaſtica poſſe per legitimam auctoritatem, à quibuſuis pijs vſibus, ad quoſuis pios vſus, & à quouis hominum genere, & ordine ad quemuis, quotieſcunque id publica Eccleſiæ vtilitas, aut neceſſitas, ac maius Dei obſequium requirit, ſine vllâ iniuſtitiâ, imò laudabiliter, inuitis etiam Ordinibus, transferri, modo legitimis poſſeſſoribus, ſi qui adſint proſpiciatur ad vitam. Tunc enim Ordines ſunt irrationabiliter inuiti. Tenentur enim tali caſu quiuis Ordines ſe legitimæ auctoritati accommodare, & vtilitatem ac neceſſitatem publicam præferre priuatæ. Exiſtimo

Exiſtimo ſecundò, ſæpè dari tales, ac tam vrgentes cauſas, propter quas Summus Pontifex tanquam Chriſti Vicarius & Supremus Adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, & Rom. Imperator tanquam Eccleſiæ ſupremus ac iuratus Aduocatus, quiſque pro plenitudine ac modo poteſtatis ſuæ ſupremæ, non tantùm licitè poſſint, ſed ſub grauis etiam peccati obligatione teneantur, procurare & allaborare pro iuribus, vt bona aliqua Eccleſiaſtica ad alios pios vſus, & alios Ordines transferantur. Quotieſcunque ſcilicet ad magnum Eccleſiæ Catholicæ incrementum, ac laudem Dei promouẽdam, vel ad magnum eiuſdem damnum auertendum, talis translatio neceſſaria vel valdè vtilis iudicaretur.

Exiſtimo tertiò, ſi vnquam in Eccleſiâ Catholicâ fuerunt vrgentes cauſæ, ad tales translationes bonorum Eccleſiaſticorum faciendas; eſſe hoc tempore in Germania vrgentiſſimas.

Primò moraliter cuiuis prudenti, ac rem ſine paſſione conſideranti euidens eſt, per recuperatorum Monaſteriorum, ac bonorum Eccleſiaſticorũ, ad Seminaria, Scholas, Collegia, Academias, Parochias iuxta id, quod cuiuſque loci neceſſitas, & vtilitas exegerit, translationem, Catholicam Religionem, ac pietatem in Germania paucis annis reſtitutum iri, vti in Belgio, Gallia, Polonia &c. maximè in Germania ijs in locis, vbi tales fundationes inſtitutæ ſunt, de facto eueniſſe ſummo Religionis fructu experimur.

Secundò, Contrà eſt æquè euidens, ſi nulla ſufficientia bona ad tales vſus applicentur, ſi nullibi ſit ſufficiens Iuuentutis inſtitutio, ſi paſſim deſint idonei ſcientiarum, ac maximè Theologiæ Doctores, fortes refutatores hæreſeon, prudentes Confeſſarij, Docti ac Zeloſi Cõcionatores, ſtrenui Catechiſtæ; ſi ceſſent operaCharitatis afflictorum, ſi nec probi Parochi habeantur, nec defectu Seminariorum, aut Scholarum ſperari poſſint; Euidens, inquam, eſt, omninò nunquam, radicatam iam & centenariam hæreſin penitus extirpatum iri, vidēmus enim & adhuc videmus, ſine eis pietatem, ac Religionem Catholicam, etiam vbi fuit, aut eſt, contra irruentes hæreſes, ac peruerſos mores defendi ac retineri nec potuiſſe, nec adhuc poſſe.

Tertiò, Hic eſt, vt vndequaque intelligo, &, S.D N. Vrbani, ſacræ Congregationis Cardinalium de propagandâ fide, Nuntiorum Apoſtolicorum in iſtis locis verſantium, ipſius etiam S. Cæſar. Maieſta-

Digitized by Google

tis, Principum imperij, Catholicorum omnium, tam ſæcularium, quàm Eccleſiaſticorum, Academiarum Catholicarum, Conc. Tridentini pro reformatione Germaniæ potiſſimum inſtituti; tātopere erectionem Seminariorum, ac Scholarum, per incorporationes & vniones bonorum Eccleſiaſticorum vrgentis, omnium denique Catholicorum, qui Religionem in Germaniâ reuera reſtitui cupiunt, ſenſus manifeſtus, & multorum iam literis & Pontifici & Imperatori repræſentatus. Ex his cōcludo SS. Imperatorem hoc rerum ſtatu, non tantùm ſine vllâ iniuſtitiâ, aut peccato, ſed cum ſummâ etiam laude, & maximo apud Deum merito poſſe, & (quia aliundè cōmoda & ſufficientia media non adſunt,) ſub graui etiam obligatione in conſcientiâ teneri, vt ex bonis Eccleſiaſticis & Monaſterijs tam Virorum, quàm Fœminarum recuperatis, interueniente auctoritate Sedis Apoſtolicæ, Seminaria Parochorum ac Clericorum, Catholicas Academias, Gymnaſia ac Scholas, Collegia item ac Domicilia quam plurima Reuerendorum Patrum Venerabilis Societatis IESV, quos hoc tempore ad propagationem Fidei Catholicæ, Hæreſes horum temporum depellendas, ſingulari Dei prouidentiâ peculiariter miſſos experimur, in quibuſuis Germaniæ partibus inſtituat, fundet, ac dotet.

Putarim tamen etiam expedire, vt ex prædictis bonis, in antiquis iam florentibus Academijs Catholicis, Seminaria inſtituantur, in quibus Religioſi iuniores ex antiquis Monachorum Ordinibus aliquot annis Philoſophiæ, ac Theologiæ, Sacræ Scripturæ, Caſuum, Controuerſiarum, Canonum ſtudijs inuigilent. Erit id ipſis Ordinibus longè vtilius, quàm ſi omnia antiquitus poſſeſſa Monaſteria recuperent; Hoc enim modo Monaſteria, quæ ſuperſunt, non tantùm, ſed ad & antiquū feruorem, & cōſequenter ſplendorem redire poterunt, qui per recuperationem Monaſteriorum & promotionem Iuniorum, parum aut omninò nihil ſcientium ad Prælaturas, potius impedietur, quàm promouebitur.

Et hic eſt in hac re ſenſus, prout à me expetijt Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, clarè ac diſertè propoſitus.

III.

III. *Conſiderantur ſingillatim Rationes.*

ETiamſi ex hactenus dictis, quiuis nullo negotio videre poſſit, quid, & quantum tranſmiſſæ Rationes probent, & in quo probando deficiant; viſum tamen eſt eas breuiter, in quantum opus erit, percurrere.

Circa primam Rationem.

DIco ex ijs, quæ in illâ afferuntur, rectè concludi, non tantum vix & difficulter, ſed nullo modo excuſari poſſe eos, qui bona à pijs olim Fundatoribus ad honorem Dei applicata, contra Fundatorum mentem, & iuſtitiam aliorſum, quàm ad honorem Dei conuertunt, vti fuerunt hactenus in Imperio nimis multi: Nullo tamen modo inde concludi poſſe, peccare eos, qui bonorum prædictorum peculiares vſus, (ita exigente neceſſitate, aut vtilitate publicâ, maiorem Dei gloriam & honorem ſemper præ oculis habentes) per auctoritatem legitimam in meliores, aut pro tempore magis neceſſarios, aut vtiliores commutant: tantum enim abeſt, vt per hoc contraueniant piorum Fundatorum intentionibus, (quos honorem Dei & vtilitatem Eccleſiæ publicam, non priuatam Ordinis alicuius principaliter intendiſſe, non eſt dubium) vt eas contra, in melius ac religioſius ſeruent, perficiant, quàm ij, qui fundationum nuda verba, & non mentem attendentes, tales mutationes conantur impedire. Sicut enim illa ſalubris communis Iuris diſpoſitio, ne vltimæ voluntates vllatenus immutentur, neceſſariò intelligenda eſt, cum hac clauſula, *niſi propter publicam Reip. vtilitatem, aut neceſſitatem, aut etiam iuſtam cauſam, per ſufficientem auctoritatem immutanda videantur:* Ita & in particulari piorum Fundatorum diſpoſitione nemo prudens dubitare poteſt, quin intelligenda & ab ipſis Fundatoribus in re ipſa ſubintellecta ſit hæc aut ſimilis clauſula, *niſi propter neceſſitatem, aut vtilitatem Eccleſiæ publicam, aut iuſtam, grauem & rationabilem cauſam ad maiorem Dei honorem per auctoritatem legitimam immutanda meritò iudicetur.*

Cicra ſecundam Rationem.

DIco primò, ex ijs, quæ in illâ afferuntur, rectè concludi, in talibus bonorum Eccleſiaſticorum translationibus, quando eas fieri expedit, meritò attendi, & caueri debere, ne Rom. Imperij, aut Statuum illius integritati, ac legitimis Iuribus per aliquam cõfuſionem, mutilationem præiudicetur. Vnde ad tales translationes meritò adhibetur conſenſus, & approbatio Rom. Cæſaris &c. qui & ex officio, & iuramento ſuo ad conſeruationem Imperij, & Iurium eius obligatus eſt, & recuperatarum Eccleſiarum, ac Monaſteriorum non tantũ Supremus (vti reliquorum omnium per Imperium,) ſed etiam particularis & immediatus Patronus eſt, & Aduocatus quidem; quia omnia iura temporalia immediatæ Protectionis & Aduocatiæ, quæ propter inuaſionem, & deuaſtationem Eccleſiarum ac Monaſteriorum, ipſo facto perdiderunt Hæretici, ad Cæſar. Maieſtatem manifeſtè redierunt: Patronus verò, quia propter recuperatas, & ab illegitimis Inuaſoribus tanto ſumptu Vindicatas Eccleſias Auguſtiſſimus Imperator, tantam iure merito ab Eccleſijs repetere poſſet pecuniæ Summam, quantam omnium illarum Eccleſiarum bona in Vnum collata repræſentare ac perſoluere vix poſſint. Quam ſummam, ſi Imperator liberaliter condonet: iure merito tanquam nouus & verus omnium illarum Eccleſiarum Fundator, Dotator & Patronus, & cenſeri & agnoſci debet. Ex his tamen

Dico ſecundò, nullo modo ſequi, quod illa ad alios vſus Seminariorum, Collegiorum, Scholarum transferri licitè nequeant: at contrà manifeſtè ſequitur, ſolius Imperij, ac ſtatuum eius legitimis Iuribus eſſe in merâ Facultate Imperatoris (vtpote noui Fundatoris,) vt talia bona, ad quos voluerit vſus cum conſenſu, & approbatione Sũmi Pontificis, maiorem Dei gloriam ſemper ſpectando, deſtinet & applicet: vt conſideranti patet. An non potuerunt Collegiorũ & Seminariorũ Præſides, Scholarum ac Academiarũ Rectores, Viri ordinariè graues, prudentes, graduati, in luce rerum ac negotiorũ verſati, ea ad publicum Germaniæ bonum, ſiue in, ſiue extra Comitia per ſe, vel per alios præſtare, quæ potuerunt Monachi & Monachæ? forſan dedecebit illos, quod hos aut has non dedecuit?

Circa

Circa tertiam Rationem.

DIco à nullo Catholico dubitari, quin magni faciendus ſit perfectionis, & Virginitatis in ſexu fragili, ac fæmineo Status: multò verò minus dubitari poſſe; quin, penſatis his rerum ac temporum circumſtantijs, longè meliùs, ac Deo gratius ſit, bona Monaſteriorũ applicari ad eos alendos, qui Statum Virginitatis, ſeu Caſtitatis, & perfectionis cum auxilio proximorum ſtudēt coniungere; quàm ad alendas ſolitarias Virgines, quæ tamen & ipſæ per annos plurimos, niſi eæ regiones conuertantur, ad id aptæ non reperientur, niſi velimus illorum Monaſteriorum redditus ad Sæculares, & nullo Voto obligatas, & nil niſi nubilem ætatem, ac bonum maritum exſpectantes, contra diſertas Fundatorum Voluntates conuertere.

Circa quartam Rationem.

DIco, non arbitrari me, quòd maiores eleemoſynæ in Monaſterijs, quàm in Seminarijs aut Collegijs diſtribuantur, prætercquã enim, quòd ipſorum Alumnorum ſit largiſſima cum vtilitate publica coniuncta eleemoſyna: videmus ferè tenuiores ſtudioſos ad vtilitatem dietim ali ex reliquijs, quòd in Monaſterijs pauperes ordinariè non minus fortaſsè indigentes, ſed longè minus in publicum vtiles alantur. Quantacunque verò ſit Germaniæ Monaſteriorum hoſpitalitas (quam tamen plurimi, qui Germaniam peragrarunt, tantã, quanta in his Rationibus deſcribitur, repertam negant) verùm vt dixi, quantacunque ſit; non ſeruit ferè, niſi potentioribus, quibus hoſpitium honeſtè denegari non poteſt: quos ego conſidero, vel Hæreticos eſſe, vel Catholicos. Catholici, ſi verè tales ſint; tantillam ſuam diuertendi, ac hoſpitandi commoditatem libenter bono publico Eccleſiæ Catholicæ (quod per erectionem Collegiorum ac Seminariorum quæritur) condonabunt: Hæreticorum verò non video, quare tantam curam gerere debeamus; vt malimus Eccleſiæ Catholicæ incrementum, ac Hæreſeos extirpationem negligere, quàm aliquid de eorum diuertendi, ac hoſpitandi commoditate detrahere; Patronis verò ad paupertatem redactis æquè facilè à Collegiorum,

ac

ac Seminariorum Rectoribus, quàm ab Abbatibus & Prioribus alimenta poterunt adminiſtrari. De Commendis verò, penſionibus, ac inutilibus incorporationibus non facilè permittendis ſupra dictum eſt.

Circa quintam Rationem.

DIco ea, quæ in illa ratione afferuntur, parum habere ſoliditatis, ſi accuratius examinentur.

Primò, quod de ſpolijs, & ſpoliatis affertur; non eſt ſolidum. ſi enim loquamur de ſpolio propriè dicto (id eſt, de illegitima deiectione alicuius, de præhabita poſſeſſione) non eſt verum, quòd ratio iniungendi Acatholicis reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum, fundetur ſuper ſpolio. nimis enim illa ratio eſſet reſtricta, fieretque, vt vigore Edicti Cæſarei vix dimidiam, imò fortaſſis nec tertiam partem bonorum Eccleſiaſticorum, poſt Tranſactionem Paſſauienſem occupatorum, nec niſi per Catholicos probato legitimè ſpolio, tenerentur Acatholici reſtituere. Quod optimam ſuæ Maieſtatis intentionem, non tantum ſiſteret; ſed omninò ferè euerteret. De facto enim conſtat,

1. In pluribus Epiſcopatibus neminem poſſeſſione deiectum, ſed ipſos Epiſcopos à fide deficientes, Eccleſias Sacras contra Pacem Religionis retinuiſſe, & ad poſteros deriuaſſe.

2. Idem conſtat in pluribus Abbatijs, & Monaſterijs tàm Virorũ, quàm Mulierum eſſe factum, & in plurimis Germaniæ Monaſterijs adhuc de facto videmus Hæreticos (ſi Deo placet) Monachos, & Moniales ex antiqua (nullis exiſtentibus antiquis poſſeſſoribus) ſucceſſione perdurare.

3. Idem conſtat, feciſſe Canonicos in pleriſque locis, & ductis vxoribus, Præbendas, ac Beneficia ſua ad poſteros tranſmiſiſſe.

4. Conſtat, plurimos Abbates, Præpoſitos, ac Priores, Abbatiſſas item & Prioriſſas, & integros tàm Virorum, quàm Mulierum Conuentus ad Hæreſim, & nuptias tranſijſſe, aut etiam vendidiſſe.

5. Conſtat, in plurimis, maximè Virginum Monaſterijs, nullum de poſſeſſione deiectum: ſed permiſſos poſſeſſores ſuos in Monaſterijs vſque ad mortem viuere: demum omnibus extinctis, bona, ac Mona-

Monaſteria ab Hæreticis eſſe (tanquam quæ vacarent) ad alios vſus conuerſa:in quibus omnibus, ac pluribus caſibus (quos certum eſt Edicto comprehendi)nemo poſſeſſione ſuâ, propriè loquendo, deturbatus, aut iure ſpoliatus dici poteſt. Si verò loquamur de ſpolio impropriè dicto, id eſt, de quauis ablatione & vſurpatione bonorum ac Iurium alterius , in pleriſque Germaniæ locis non tam ipſi Ordines Monaſterijs ac bonis ſuis per alios ſpoliati, quam ipſa Eccleſia vniuerſalis Christi Domini ſponſa, ac noſtrum omnium Mater dulciſſima templis , ornamentis , Iuribus, ac bonis ſuis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, imò tot millibus filiorum ſuorum ſpoliata dici debent.

Secundò quod dicitur de Officio Iudicis, nec ipſum eſt ſolidum. Si ita intelligatur , quaſi Sacra Cæſarea Maieſtas circa reſtitutionem Monaſteriorum, & bonorum Eccleſiaſticorum fungatur officio meri Iudicis, & ſimplicis Executoris. Plurimas enim alias, eaſque grauiſſimas, & Conſideratione digniſſimas in hoc negotio ſuſtinet perſonas.

Primò enim, præterquam quod ſit Iudex & executor, eſt prætereà Imperator, ac Princeps Supremus Catholicus, qui tenetur ex officio(ſiue imploretur, ſiue non,)vt ſupra diximus, pro modo poteſtatis ſuæ, vel efficere ipſe, vel procurare, vt fiant ea, quæ ad publicum Animarum ſibi etiam ex parte commiſſarum, bonum ac Reipub. vtilitatem, ac Dei honorem neceſſaria, aut valdè vtilia iudicantur.

Secundò, Eſt Aduocatus & Protector, & Generalis, ac mediatus omnium, quæ ſunt in Imperio, & ſpecialis, ac immediatus earum, quæ ab Hæreticis occupatæ ſunt, Eccleſiarum, vt ſupra oſtendimus, ad quem ſpectat, etiam ſi id nemo iudicialiter petierit, attendere, vt quàm optimi, & quàm maximè conducibiles in iiſdem Miniſtri, ac Operarij collocentur.

Tertiò, Eſt Recuperator, & per conſequẽs nouus quaſi Fundator, ac Patronus omnium earum Eccleſiarum, quas ſuo ſumptu, ac militia ab hoſtibus fidei Catholicæ vindicatas, quaſi de nouo, donat Eccleſiæ. Itaque, etiamſi Sacra Cæſ. Maieſtas, vt merus Iudex, nec poſſit niſi imploratus, nec imploratus, poſſit, de his bonis aliter, quã hactenus conſtitutũ fuit, ordinare; poteſt tamẽ(accedẽte ſẽper auctoritate Apoſtolicâ) poteſt, inquã, vt Imperator, ac Princeps ſupremus: poteſt

D denique,

Digitized by Google

denique, vt nouus Fundator, ac Patronus, vt cuiuis conſideranti manifeſtum eſt.

Etiamſi daretur, omnes Ordines fuiſſe olim ſuis Monaſterijs, ac bonis verè ſpoliatos, & Cæſaream Maieſtatem non fungi, niſi vice meri Iudicis, ac Executoris; non eſt tamen ſolidum, quod inde quaſi neceſſariò concluditur, obligatum ſcilicet Imperatorem ad reſtituẽdos in poſſeſſionem bonorum recuperatorum eoſdem præcisè Ordines. Illud enim vulgare, *ſpoliatus & non alius reſtituendus venit*: præter plurimas alias exceptiones, hanc etiam neceſſario, & indubitanter admittit: *niſi omne Ius, quod ſpoliato competebat, intereà in alium legitimè translatum ſit*: tum enim non ſpoliatum ipſum, ſed eum, qui ſpoliato in omni Iure legitimè ſucceſſit, reſtituendum eſſe, nemo poteſt ambigere. Clarum etiam eſt Seminaria, Collegia, & Ordines modernos, ad quos authoritate Pontificiâ, & Cæſareâ recuperata Monaſteria, cum omni cauſa legitimè translata ſunt, aut transferentur, ſucceſſiſſe, aut ſucceſſuros legitimè in omnia Iura (actiuè & paſſiuè) Ordinum antiquorum; non poteſt ergò dubitari, quin à iuſto Iudice in tali caſu, non antiqui Ordines, ſed Moderni, tanquam qui ſpoliatis in omni Iure, atque adeò in ipſo Iure, & actione ſpolij paſſiui legitimè ſucceſſerint: & conſequenter pro ipſiſmet ſpoliatis, iuſtâ ac rationabili Iuſtificatione habendi ſint, in Monaſteriorum legitimam ad ipſos translatorum poſſeſſionem reſtituendam veniant.

Circa ſextam Rationem.

DIco primò de præſenti quæſtione, an bona Eccleſiaſtica, & monaſtica ab ipſis pijs vſibus ad alios itidem pios vſus, vel ab vno Religioſorum Ordine ad alium, ex iuſtâ causâ, per legitimam Authoritatem licitè transferri poſſint, nec Concordata Germaniæ, nec Conſtitutiones Imperij, quas ego quidem viderim, cum pleraſque omnes viderim, nec tranſactionem Paſſauienſem, nec Pacem Religionis, vllam vel ad ſpeciem, facere mentionem. Paſſim, quidem in Cõſtitutionibus Imperij; Tranſactione Paſſauica & Pace tam publicâ, quàm Religionis, ſtatuitur ac mandatur, ne quis quouis prætextu aliena inuadat: alium ex Poſſeſſione vi, & armis deijciat: imò deiecto poſſeſſionem reſtituat: neminem in Bonis, ac Iuribus ſuis turbet, ac vexet

vexet &c. in particulari etiam nonnunquam prohibetur, ne quis Eccleſiaſticos in Iuribus, ac Iuriſdictionibus lædat; ne quis Eccleſias ſpoliet, incendat, diruat; ne quis bona Eccleſiaſtica ad profanos, aut illicitos vſus conuertat, & ſimilia, quæ contra Summum Pontif. Imperatores, ac alios Principes Catholicos bona Eccleſiaſtica recuperata, à fidei hoſtibus, ad maiorem Dei gloriam legitimè ad alios vſus magis pios, ac neceſſarios, transferentes ſtatuta eſſe, ſine ſummâ vecordiâ ac impudentiâ nemo aſſerat.

In Edicto verò poſtremo, & Sacræ Cæſ. Maieſt. & noſtra ac proborum ferè omnium ſupra declarata intentio, & clariſſimè & prudentiſſimè eſt his verbis circa finem: Alſo ſein wir endtlich entſchloſſen / ſolche ſtifftungen abzuforderen / vnd mit tüglichen den Fundation vnd Stifftungen gemeeſs ordentlich berüffnen vnd qualificierten perſonen beſetzen zu laſſen: hoc eſt, *Finaliter decreuimus tales repetere Fundationes, & procurare, vt ijſdem de vtilibus iuxta Fundationem legitimè vocatis, ac qualificatis perſonis prouideatur*. Ex quibus verbis tantum abeſt, vt Sua Cæſ. Maieſtas teneatur Monaſteria recuperata antiquis Ordinibus reſtituere, aut ipſi Ordines antiqui aliquid noui Iuris acquiſierint; vt contrà non tantùm reuera iuxta Canones, ſed etiam iuxta ipſa Edicti Verba,

Primò, Non liceat Imperatori, aut eius Commiſſarijs vllis Religioſis poſſeſſionem bonorum recuperatorum tradere, niſi ante traditionem, vtiles illos iuxta fundationem, ac legitimè vocatos & qualificatos eſſe ſufficienter conſtiterit. Non eſſe verò, vt alia omittam, eos legitimè vocatos, qui inuito rationabiliter Chriſti Vicario, ſe ingerunt; manifeſtum eſt.

Secundò. Non liceat vllis Religioſis propriâ auctoritate vlla Monaſteria occupare, aut occupata retinere.

Tertiò. Non liceat Imperatori, aut eius Commiſſarijs permittere, vt alij Religioſi vlla Monaſteria, aut bona Eccleſiaſtica propriâ authoritate inuadant, aut detineant. &c.

Quartò. Non liceat Imperatori, aut eius Commiſſarijs Religioſos qui Monaſteria propriâ auctoritate inuaſerunt (vtpotè intruſos) in tali detentione defendere; ſed oporteat eos ad ſua Monaſteria, vel Ordines remittere. &c.

Illud verò quod in Edicto ſcrupulum mouere poſſet: den Fundationen

tionen gemeeß/ſatis ſupra dictum & explicatũ eſt, cùm enim in omni fundatione mens ac intentio pij Fundatoris potiùs, quàm verba ſpectari debeant: conſtetque, pium quemlibet Fundatorem non peculiariter Eccleſiæ ac Religioni Catholicæ, & honoris ac obſequij diuini incrementum ac propagationem ſpectaſſe, & intendiſſe: euidẽter ſequitur, omnes illas perſonas eſſe iuxta fundationem vtiles, ac qualificatas, quę Dei cultum, ac Religionem Catholicã promouere, hæreſes extirpare, & in Domini vinea vtiliter laborare poſſunt: & illas iuxta fundationem qualificatas quàm maximè, atque adeò cæteris pręferẽdas, quæ prædicta cæteris melius præſtare poſſe, ab authoritatem legitimam habentibus, iudicantur, quamcumque regulam profiteantur, qualicunque veſtitu vtantur, qualeſcunque conſuetudines obſeruent; vnde manifeſtè ſequitur, Cæſareæ Maieſtatis Edictũ Imperiale planè conforme eſſe noſtræ, imò totius quaſi Eccleſiæ, ſupra paſſim explicatæ, ſententiæ.

Ad illud verò, quod in eadem Ratione ſextâ additur, de Acatholicis; dico, mihi nullum eſſe dubium, quin Hæretici cùm ſe bonorum Eccleſiaſticorum, ac Monaſteriorum occupatorum reſtitutionem videbunt euadere non poſſe, malint omninò priſtinis ea Monachorum Ordinibus, ad priſtinos vſus reſtituere, quàm permittere, vt Seminarijs, Collegijs, Scholis, atque Academijs applicentur; non ex vllo iuſtitiæ zelo: quis enim euerſoribus iuſtitiæ zelus eſſe poteſt? ſed alijs de cauſis. Arbitror autem, eo ipſo magis debere incitari Catholiciſſimum Imperatorem ad Seminariorum, ac Scholarum ex iſtis bonis erectionem, quantò id Hæreticis, & eorum fautoribus magis ſentit dolere.

Circa ſeptimam & vltimam Rationem.

DIco breuiter primò, per legitimas translationes non interuerti antiquas Fundatorum diſpoſitiones; ſed perfici, ac in meliorem ſtatum, & intentioni ac menti illorum conformiorem reduci. Quis dubitare poteſt, quin pij Fundatores hodie regnantes in Cælo, nihil optent aliud, niſi vt ſua & quæuis bona alia tẽporalia ad promouendum quàm maximè honorem, & gloriam Diuinæ Maieſtatis, per legitimam auctoritatem conuertantur?

Secundò, propter tales legitimas translationes non tantum pios Chriſti fideles ſcandalizari, aut à ſimilibus fundationibus abſterreri non poſſe, quin, contrà, præteréà, ædificari, & ad ſimiles faciendas inuitari, vel maximè debere; quando vident Paſtores & Superiores Eccleſiæ, & Reipublicæ vigilare, & pias fundationes, quæ vitio hominum, & lapſu temporum incipiunt degenerare, aut minus vtiles eſſe, in meliores conuerti.

Tertiò, Per tales legitimas translationes nullo modo aboleri fundatorum memoriam: videmus enim in Seminarijs, & Collegijs RR. PP. Societatis IESV memoriam Fundatorum religioſiſſimè obſeruari, apud ipſos enim certum eſt præter centena ferè millia Sacrorum ac Roſariorum, quæ per Orbem vniuerſum pro quolibet Fũdatore viuo, & mortuo indici ſolent, ſed in omnem poſteritatem anniuerſaria, ſed etiã menſtrua, imò & hebdomadaria Sacrificia pro Fundatoribus in quouis domicilio Deo offerri: idque non ex deuotione, aut voluntate cuiuſque particulari: ſed Ordinis Inſtituto, ac Regulã: nec vllum ex ijs eſſe, qui non in quotidianis ſuis precibus, ac bonis operibus peculiariter Benefactores, ac Fundatores commendatos habere debeat.

POSTERIORIS THEOLOGI IVDICIVM.

PROPOSITIO.

AN aliqua ex Monaſterijs, & bonis Eccleſiaſticis, quæ ab Hæreticis recepta ſunt, vel recipientur, ad faciliùs reſtituendam, ad ſtabiliendam, & propugnandam Religionem Catholicam alicui alteri Ordini, qui ex Inſtituto in hanc curam incumbit: itemque Erectioni aliquorum Collegiorum, & Seminariorum, auctoritate Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, & Summi Pontificis applicari poſſint.

Digitized by Google

RESPONDETVR.

AVguſtum cum Summo Pontifice id facere Iure poſſe, ac debere.

Primò. Quia ob rationabiles cauſas. & præſertim quia id exigit maius bonum cõmune Eccleſiæ,& Reipublicæ(quod præcipuè ſpectandum eſt, & cuicunque bono priuato præferendum) Domicilia religioſa, & bona Eccleſiaſtica ab vno Ordine transferri in alium: habet vſus,& praxis multorum ſæculorum in Eccleſia Dei. Res notiſſima,nec indiget probatione. Hinc ſic arguo. Aut Imperatores, & Pontifices,qui ea tranſtulerunt,Iure tranſtulerunt: vel contra Ius? Si Iure; ergò etiam Imperator,& Pontifex,qui hodie gubernant, id Iure poſſunt.non enim minus poteſtatis in his eſt, quàm fuit in eorum Anteceſſoribus. Si non; ergò contra Ius egerunt. ergò tot ſæculorũ tot Pontifices,tot Imperatores iniuſtitiæ damnãdi erunt. At dãnandi non ſunt iniuſtitiæ(quis enim tàm duri oris ſit, vt id audeat dicere?) ergò iuſtè feciſſe,fatendum eſt.ergò & modernos Põtificem & Imperatorem id poſſe, fatendum eſt. Quod ſi Iure id facere poſſunt; aſſerere,non poſſe facere, eſt immunitum ire poteſtatem ,ac Maieſtatem Imperatoris,ac Pontificis.

Secundò.Quia Auctoritas determinandi,an factum aliquod Iuri, & æquitati ſit conſentaneum,adeoque licitum; procul dubio reſidet in Summis Viris,& æquitatis Antiſtitibus Pontifice,& Imperatore: eorumque ſententiæ ac determinationi acquieſcendum: cùm Superiorem in terris non habeant. Ergò,& in Quæſtione, An licita ſit,de qua agimus, bonorum applicatio, Auctoritas definiendi reſidet in iiſdem:& eorum Iudicio, Voluntatique ſtandum. At exploratè cõſtat, vtrumque Principem iudicare, & fieri poſſe,& faciendam eſſe illam applicationem:Imperator enim ſæpè hac de re egit cum Pontifice,& Commiſſarijs ſuis in Imperio eadem de re mandata perſcripſit: Summi Pontificis voluntas Illuſtriſſimi Cardinalis Nuncij teſtificatione conſtat. Ergò aſſerere, id fieri non poſſe,eſt Pontificem, & Imperatorem,aut erroris arguere,aut iniuſtitiæ: quippe qui aut neſciant,quid fieri,vel non fieri Iure poſſit,ac debeat: aut quod iniuſtũ eſt,fieri velint,ac mandent: quod iniurioſum eſt in Summum Pontificem,& Imperatorem, qui Iuris non ſolùm ſcientiſſimi ſunt,& tenaciſſimi:

ciſſimi:ſed etiam Conditores,& defenſores Iuris:quorum Auctoritas veneranda eſt,ſemperque eſſe orbi Chriſtiano debet.

Tertiò. Plures Ordines Religioſi hodie poſſidēt domicilia,& bona tēporalia auctoritate Pontificia,& Cæſarea ab alijs Ordinibus itidē Religioſis, intuitu maioris boni Eccleſiæ Dei ſibi tranſcripta;vel igitur Iure & iuſtè illa poſſidere cœperunt: vel contra ius & iniuſtè: ſi iuſtè, ergò iuſtè translata ſunt in ipſos; ergò ius & auctoritas transferendi aliquando talia bona reſidēt in Pontifice & Imperatore, qui ea tranſtulerunt.Si iniuſtè cœperunt poſſidere: vel ignoranter id fecerunt,vel ſcienter:nō poteſt dici,feciſſe ignoranter; Ignorātia enim Iuris minimè obſcuri cadere non poteſt in Viros Iuris ac Iuſtitiæ peritiſſimos,doctrina celeberrimos,voce & calamo Doctores aliorū; qualium plurimos habuerunt,& habent Ordines illi. Ergò ſcienter poſſidere cæperunt malâ fide,& iniuſtè;ergò reſtituere ea ex iuſtitiâ tenentur.Malæ enim fidei poſſeſſorem,explorati Iuris eſt, nullo vnquam tempore præſcribere. Idem argumentum procedit de Prælaturis,Epiſcopatibus, Archiepiſcopatibus &c. ex fundatione S. Benedicti per Imperium erectis.extinguendæ enim erunt illæ Prælaturæ; & bona Alumnis S.Benedicti reſtituenda. Quod ſi Iure, & legitimè factæ ſunt illæ translationes,& erectiones(vt iuſtè factas ſenſus & cōſenſus Chriſtianitatis agnoſcit)Ius & poteſtatem Auctoribus illarum defuiſſe,& in pari causâ eorum Succeſſoribus nūc deeſſe,aſſerere, eſt Ordinibus Sanctiſſimis,impietatis,& iniquitatis crimen impingere, quaſi contra Ius bona aliena, & poſſidere cæperint; & pergant hodieque poſſidere: eſt iudicium atque conſenſum Orbis Chriſtiani, qui eam poſſeſſionem legitimam ratam Eccleſiæ ſalutarem, & vtilem agnoſcit,condemnare.

Quartò. Quia notiſſimum eſt, & certiſſimum,in ſummo Capite Reipublicæ reſidere auctoritatem,& poteſtatem ſtatuendi in omni varietate temporum,& aliarum circumſtantiarum, quæ neceſſariæ ſunt,& percommodæ,ad vel conſtituendum,vel conſeruandum, vel reſtituendum, ſi fortè fatiſcat, aut collapſus ſit, bonum Reipublicæ ſtatum:Ergò & poteſtas faciendi,quæcunque ad Hæreſim extinguēdam,Catholicam fidem ſeruandam,ſtabiliēdam, propugnandā prudentum iudicio,non ſolùm commoda,ſed etiam penitus ſunt neceſſaria.Bonus enim Reipublicæ ſtatus,vel maximè verâ Religione,cultuque

tuſque Dei continetur, quam fouere, tueri, promoueri, reſtaurare, amplificare, ad primas curas pertinet Catholici, & diuini honoris cupidi Principis, & præſertim Imperatoris Auguſtiſſimi, qui ex officio Aduocatus, & Protector eſt Eccleſiæ, & doctrina Catholica eſt, Summũ Pontificem, & Vicarium Chriſti ex officio eſſe ſupremũ bonorum Eccleſiaſticorum à Chriſti Fidelibus oblatorum, Adminiſtratorem, & Diſpenſatorem. fieri autem poteſt, vt aliquãdo in aliquibus prouincijs ad reſtituendam Religionem Catholicam, neceſſariũ ſit, facere talem, qualis, de qua agimus, bonorum Eccleſiaſticorum tranſlationem, & reipſa Summi Pontificis, Imperatoris, Principum, & aliorum ſapientia & zelo gloriæ diuinæ præſtãtium iudicio Virorũ, eſt neceſſarium ijs Imperij Prouincijs, in quibus Hæreſis Religionẽ Catholicam penè extinxit. Reſtitui enim in illis, & quaſi poſtliminio reduci, radicari, ſtabiliri, propugnari Fides Catholica nõ poteſt, niſi erectis & fundatis Collegijs, Academijs, in quibus religione & doctrina, prudentiaque præſtantes Concionatores, Confeſſarij, Profeſſores, alijque reducẽdis errantibus, & confirmandis neceſſarij Operarij conſtituãtur, & Seminarijs, in quibus cũ bonis literis, pietate, & moribus homine Chriſtiano dignis, Iuuentus inſtituatur; vt eâ ratione optata proles, & ſoboles Eccleſiæ & Reipubl. ſuccreſcat. Erigendi autem huiuſmodi domicilia, & fundationes præſenti rerum ſtatu, iudicio eorundem orbis Capitum, aliorumque ſummo iudicio, & experientiâ præſtantium Virorum, nulla ſuppetit alia ratio, quàm alicuius partis dictorum bonorum ad hunc finem applicatio, cum & ad eam faciendam ius ſit penes Imperatorem, & Pontificem: & pia Fundatorum intentio per hoc non violetur; de quo infra: nec Ordinibus, qui ea aliquando poſſederunt, vlla fiat iniuria. vel enim, quæ applicanda erũt, immediatè pro ipſo Ordine fundata nõ fuerunt, ſed pro tali loco, & ſunt Ordinis, cuius domicilia non ſunt ſub vno Generali, nec vnum dependet ab alio: aut in Iure cum illo non cõmunicat, & vel cultus diuinus atque obſeruantia regularis defecit in illis, vel omninò deſerta fuerunt, vel ſi Ius aliquod ad illa habeant, aut prætendant alij eiuſdem Ordinis Prælati; ij intuitu boni communis, neceſſitatiſque reſtituendæ fidei; & quòd per auxilia Academiarum & Seminariorum ipſi illorum Ordines, ijs in partibus tutiores erunt, augebuntur, & propagabũtur; (quod multis in Prouincijs quotidiana

docet

docet experientia) libentes volentes conſentient, & de facto aliqui conſentiunt, & quædam cum annexis redditibus offerunt Domicilia, quorum omnium prudens conſideratio pertinet ad modum, & praxin executionis, de qua modò non agimus. Poteſt ergò Imperator cum Summo Pontifice facere talem applicationem; & verò cùm neceſſitas Eccleſiæ illis in Prouincijs id ſummè poſtulet & efflagitet, facere etiam debere cenſendum eſt.

Quintò. Quia Rationes, quæ afferuntur in contrarium, vim non habent.

Prima eſt, Fundationes illæ ad certos pios vſus factæ, & à Pontificibus, & Imperatoribus confirmatæ ſunt, & fundatæ in Iure Diuino, & Iure communi Cæſareo, quatenus illo cauetur, ne vltimæ voluntates immutentur. Hanc autem piorum Fundatorum intentionem euertit illa bonorum ad alios translatio; ergò Imperator & Pontifex illam facere non poſſunt.

Reſpondeo, Eiuſmodi applicationem nullo modo eſſe contra piam piorum Fundatorum intentionem.

Primò, quia primaria intentio illorum fuit, Honor Dei, augmentum, & propagatio cultus Diuini: hæc autem per translationem bonorum dictam non intereunt, ſed perdurant.

Secundò, quia pia illorum intentio in melius mutatur, melius enim eſt, & multò ad Dei Gloriam, Religioniſque ſtatum conducibilius, ea Domicilia præſentibus in circumſtantijs teneri ab ijs, qui cū priuato propriæ perfectionis ſtudio, ſalutis etiam curam alienæ ex charitate ſuſcipiunt, qui religione, doctrina, prudentia, Spiritu Apoſtolico inſtructi, ex propriæ vocationis præſcripto, & beneficio arma contra hoſtes Fidei Spiritualia expedire, in aciem prodire, hæreſes profligare, Fidem pietatemque reſtituere, Religionem propagare, prompti ſemper ſunt & parati, quàm ab ijs, qui ſibi ſolùm, & Deo vacant. Quod autem in melius mutatur, vtique euerti non dicitur, ſed meliorari.

Tertiò, quia ſi hac tempeſtate viuerent felicis recordationis Fundatores illi, dubium non eſt, quin pro Charitate ſuâ, zeloque gloriæ diuinæ, & ſalutis Patriæ tales Fidei, pietatiſque Athletas cæteris prælatos vellent.

Quartò, quia Pontifex, & Imperator vniuerſim Ius habent diſpo-

ſitiones etiam vltimarum voluntatum, intuitu boni communis Eccleſiæ & Reip. factas ex ordine ad idem bonum commune, ſecundū exigentiam præſentium circumſtantiarum, interpretandi, & in melius commutandi. neque negari hoc, niſi negando plenitudinem Cæſareæ Poteſtatis & Pontificiæ; pluresque ſumma ratione & emolumento Eccleſiæ, ab illis etiam nuper factas diſpoſitiones. euertendo, poteſt. Imò Summus Pontifex aliquando ex certis circumſtantijs interpretatur etiam voluntatem diuinā, vt cū ob rationabiles cauſas diſpenſat in votis. Quare quod dicitur de Iure communi circa vltimas voluntates, nil facit; & multò minus, quod dicitur de Iure diuino; imò applicatio bonorum, dè qua agimus, fundatur in Iure Diuino, partim naturali, partim poſitiuo; quatenus illo conſtat in Supremo Eccleſiæ & Reip. Capite reſidere auctoritatem conſtituendi ea, quæ neceſſaria ſunt ad bonum commune Eccleſiæ & Reip. & Summū Pōtificem eſſe Vicarium Chriſti; proindeque Supremum Adminiſtratorem & Diſpenſatorem bonorum Eccleſiaſticorum, quæ à fidelibus per oblationem factam Eccleſiæ Chriſto ſunt datæ.

Ad ſecundam Rationem, quid facto opus ſit, vel expediat circa Status Imperij; Sacra Cæſarea Maieſtas pro ſua prouidentia prouidebit; nunc in præſenti videtur agi dè transferendis, ſeu applicandis aliò fundationibus Dignitatum, quibus Ius Comitiorum publicorum Imperij competit.

Ad Tertiam, per hoc, quod fors aliquod vel aliqua Virginū Cœnobia Religionis Catholicæ propugnatoribus & propagatoribus Fidei aſſignanda ſint; non tollitur ſtatus virginitatis. Vel enim deſerta erunt, quæ iſtis applicabuntur; vel pauculas habebunt Religioſas, quibus in alijs Monaſterijs cū emolumento diſciplina Regularis cōmodè prouideri poteſt &, qua de hic agimus, bonorum applicatio eò etiam fertur, vt omnia illis in prouincijs Virginum Cœnobia per reſtitutionem, & incrementum Religionis Catholicæ, & pietatis priſcæ, tuta ſint, paulatimque efflore ſcant; & augeantur.

Ad Quartam, Quod in illa Ratione tangitur de commendis, penſionibus &c. in quæſtionem iam non venit; per Iura & priuilegia Imperij perpetuum tot ſæculorum vſum eiuſmodi impoſitiones penſionum non agnoſcētem. & quod Prælaturæ illę Status Imperij ſint; & Contributionum pacis belliquc tempore onera ſuſtineant, locum habere.

habere non videtur in his Prouincijs; de quo diſpicere Sacræ Cæſareæ Maieſtatis erit,& Statuum Imperij illius vt tueatur, horum vt conſeruent Iura ſua,& priuilegia.

Ad Quintam. Sacra Cæſarea Maieſtas,vt Supremus Iudex, & Iuſtitiæ Vindex,ad inſtantiam Statuum Catholicorum Hæreticis bonorum Eccleſiaſticorum iniuſtè acceptorum reſtitutionem imperauit,faciendam ſuis Commiſſarijs,& Statibus Catholicis: non Auctoritatem,& Ius,quod tanquam Succeſſor Fundatorum, & in p rator habet,de aliquibus illorum,ſecundum exigentiam præſentis neceſſitatis & Status,ex more maiorum,& antiquiſſima praxi,ad maius bonum diſponendi,ſibi ademit:nec neceſſe eſt reſtitutionem ſemper facere ſpoliato,quando res reſtituenda certis de cauſis ſubeſt diſpoſitioni,ſeu Iuri diſponendi Superioris. Nec obſtat, quod *c. in literis de reſtit. ſpoliat* dicitur,etiam prædonem ſecundum rigorem Iuris eſſe reſtituendum,quod enim eo textu(cui concordat *l. 1. §. qui à me ff. de vi,& vi armata*)dicitur,ſolùm;eſt quando ei,qui per vim deiectus eſt poſſeſſione,obijcitur iniuſta occupatio,vel detentio,quæ atetè non conſtat,aut incontinenti non probatur, prius determinandam eſſe quæſtionem poſſeſſionis, quàm proprietatis,vtrum iuſtè vel iniuſtè rem detineat,quod ad rem præſentem non facit.

Ad Sextam.Eſto,reſtitutio fiat ipſis Ordinibus: an propterea Ius non erit Imperatori,approbante Pontifice,aliqua ex illis ad vſus neceſſarios reſtituendæ & propagãdæ Religioni,à qua ipſe ſtatus Prælatorum in illis partibus dependet,applicandi? an non ſæpiſſimè ſimile quid factum eſt & factum durat? annè quiſquam prudens hoc nomine de violata Iuſtitia queritur,queriq; e po eſt ſine violatione Iuris eorum, quos penes eſt Iuſtitiæ Adminiſtratio, & Diſpenſatio talium bonorum?Quidquod ex Prælatis Religioſis illarum Prouinciarum aliqui euidentiã neceſſitatis & vtilitatis ducti , & zelo ſalutis animarum gloriæque diuinæ accenſi, aliqua Ordinis ſui Domicilia offerunt ad tales vſus.

Ad Septimam.Tantum abeſt vt per conſilium Cæſaris, & Pontificis offendiculum,& ſcandalum dandum ſit prudentibus, & cordatis Catholicis,& occaſio præbenda,vt ab huiuſmodi Fundationum cogitatione in poſterum abhorreant;vt potius animandi ſint & prouocandi ad eaſdem meditandas,& animo complectendas, vtpotè qui

Digitized by Google

veritate probè cognitâ, intelligant, non ſolùm interuertendas non eſſe pias ipſorum (ſi quas fecerint) Diſpoſitiones; ſed etiam per Capita Chriſtianitatis ita fouendas, & protegendas; vt, ſi quando res tempuſque poſtularet, eorundem curâ & prouidentiâ in melius, hoc eſt, ad maius Eccleſiæ & Reipublicæ bonum, ampliorémque Dei gloriam ſint conuertendæ.

Manet igitur ex dictis manifeſtum, Sacræ Cæſareæ Maieſtati Ius eſſe & Auctoritatem, annuente Summo Pontifice, aliqua illorum, ad quem dictum eſt, vſum applicandi: nec ſine imminutione, aut læſione Iuris Imperatoris, & Pontificis, ſine reprobatione Vſus & praxis aliquot ſæculorum Chriſtianitatis, ſine iniuria & læſione famæ Ordinum, qui Domicilia, & bona ab alijs aliquando poſſeſſa, magno cum Eccleſiæ emolumento poſſederunt, & poſſident, ſine errore contra communem doctrinam Eccleſiæ, & ſenſum Fidelium, id poſſe negari.

THEO-

Digitized by Google

THEORICA
PRIMÆ QVÆSTIONIS,

An Antiqui Ordines habeant Ius Agendi pro Monaſterijs ſuis recipiendis.

QVAE mihi veniebant in mentem circa ſpecioſsſsimum illum Titulum ASTRVM INEXTINCTVM, *& totam illam pompam Diuorum, Pontificum, Cæſarum, Regum, Dynaſtarum, Diplomatum, Priuilegiorum, nec non ſententiarum hinc inde collectarum, partim in Libri fronte, partim poſt Epiſtolas nuncupatorias explicatum, nec ad aliud (vt videtur) comparatum, quàm ad alliciendos Emptores: quæ pariter circa Epigraphas à tergo intextas, & calumnias in Societatem in iiſdem Epiſtolis atque in Præfatione ad Lectorem affatim congeſtas, conſultò prætereo: quia Scioppiana eſſe non ambigo. Aggredior ergò primam hanc P. Romani quæſtionem, progreſſurus deinceps ad reliquas ordine quo ab ipſo diſpoſitæ ſunt per omnes numeros, ac demonſtraturus, nihil ab eodem allatum eſſe, quod antea à P. Laymanno confutatum abundè non fuerit, tum in Iuſtâ Defenſione, tum in libello Cenſurarum edito Dilingæ ſemel anno. 1635. ſumptu Caſpari Sutoris, iterum Coloniæ hoc anno 1639. in Officinâ Birckmannicâ Optimi Ornatiſsimiq́; Viri D. Hermanni Mylij Ciuis ac Senatoris Colonienſis, eam ob gratiam in Summarijs adiungendas curaui has notas. D. qua ſignificatur P. Laymanni* Iuſta Defenſio *Dilingæ An. 1631. & C. vt indicetur* Libellus, *quem dixi* Cenſurarum, *elaboratarum in* Aſtrum Inexſtinctum, *vulgatum à Scioppio; littera verò L.* Locum, *c.* Cenſuram *deſignat eiuſdem Libelli. Nota verò numeralis vtrique addita, vel folium Iuſtæ Defenſionis, vel Locum, aut Cenſuram demonſtrat eiuſdem Opuſculi, quod diuiditur in Locos & Cenſuras.*

Digitized by Google

THEORICA TITVLI PRIMÆ QVÆSTIONIS,

Argumentorum contrà Obiectorum, & Argumenti *Sed contrà*.

SVMMARIA.

1. *Titulus quæſtionis inuidioſè propoſitus à P. Romano.*
2. *P. Laymanni intentio in 1 Quæſt. eſt oſtendere Monachos nil Iuris habere in Monaſterijs recuperatis.*
3. *Primum Arg. cum probatione Maioris. D.11*
4. *Minoris probatio.*
5. *Secundum Arg. cum ſua probatione. D.12.*
6. *Tertium Arg. & eius probatio. D.13.*
7. *Prædicta Argumenta parum fideliter à P. Romano propoſita.*
8. *Textus, quibus P. Romanus nititur, non ſunt ad rem.*

---

1. TItulus ſic habet. *An, & quale Ius habeant exempti, & non exempti Religioſi vbiuis terrarum ad Monaſteria eiuſdem Ordinis huc vſque ab Hæreticis. &c. detenta, recuperanda.* Non culpo in hoc Titulo, quòd cum P. Laymannus in ſua prima quæſtione præambula quærendum propoſuerit. *An & quale Ius habeant exempti, & non exempti Religioſi in Germania ad Monaſteria eiuſdem Ordinis, quæ iam à Lutheranis Imperij Statibus tamquam poſt Paſſauicam Tranſactionem ab ijs malè occupata Cæſarea auctoritate recipiuntur;* P. Romanus quærat de Religioſis *vbiuis terrarum*, & Monaſterijs cuiuſuis generis occupatis ab *Hæreticis* quibuſcunque. Nolim enim videri nodum in ſcirpo quærere; nec habere, quod reprehendi poſſe putem in tam longo ac ſpiſſo Volumine. Veruntamen ſuſpicor, hîc quoque latere aliquid doli Scioppiani, nam, ſi nihil latet; reſpondeatur; quid attinebat inſtituere Diſputationem de Religioſis non ſolùm extra Germaniam (de quibus nominatim agendũ ſibi eſſe propoſuerat P. Laymannus) ſed *vbiuis terrarum*? Cur quæſtionis à P. Laymanno propoſitæ *de Monaſterijs, quæ iam à Lutheranis Imperij ſtatibus tamquam poſt Paſſauicam Tranſactionem ab ijs malè occupata recipiũtur*, dilatauit quaſi Pomærium: & quærit quale Ius habeant Religioſi ad Monaſteria eiuſdem Ordinis ab Hæreticis &c. detenta, recuperanda, ac proinde agit de quibuſcunq; & cuiuſcunque generis Monaſterijs, P. Laymannus odioſus potuit eſſe in ſuo quęſtio-

nis

Digitized by Google

nis Titulo Religioſis degentibus in vna Germania, & ſolis Lutheranis, & ſolũ quoad Monaſteria occupata poſt Paſſauicam Tranſactionem: multò odioſior redditur à P. Romano, dum illum impugnat, ac ſi conatus fuiſſet euertere ſuis bonis Religioſos omnes, Hæreticos cunctos. Ad id factũ; vt totius Septentrionis, non ſolius Germaniæ inuidia conflaretur. Societati? An vt Lutherani & adhærentes Auguſtanæ Confeſſioni ſatis per ſe incenſi contra Societatem, quaſi illa ſuaſerit Cæſari recuperationem bonorum Eccleſiaſticorum, hac altera face vehementius inflammarentur, ac ſi P. Laymannus contenderit, eſſe reſtituenda etiam occupata ante Paſſauicam Tranſactionem? Si hoc ſpectauit P. Romanus, vel, quod magis credo, Scioppius; falſus eſt: ſeque induit in laqueos, quos alijs parauit. Quid enim referat Lutheranorum, aliorumque Acatholicorum, An Monaſteria *vacent* tantùm, quod vult P. Romanus: An etiam *ſint extincta*, qui eſt ſcopus diſputationis P. Laymanni: An ſint reſtituenda ſuis Ordinibus, an alteri etiam Operi pio addici poſſint; dummodò ipſis eripiantur? videat P. Romanus, ne magis in ſuum Ordinem, quàm in Societatem iſtos crabrones irritauerit. Nam P. Laymannus agit ſolùm de Monaſterijs occupatis poſt Paſſauicam Tranſactionem in Germania: agit ipſe vniuerſim de omnibus *vbiuis terrarum*, & quocunque tempore quantum inſtitutæ Quæſtionis titulus præ ſe fert.

22. Propoſitum erat P. Laymanno in ſua prima Quæſtione præambula, demonſtrare Religioſos quoſdã Ordines, præſertim qui Generalem Miniſtrum, ſeu Præpoſitum non habent, nihil Iuris obtinere in Monaſterijs, quæ ab Hæreticis recuperantur: ideoque nullam actionem ad eorum reſtitutionem intentare poſſe. Iactis ergò quibuſdam fundamentis tria Argumenta affert; quæ placet hîc breuiter ac dilucidè proponere.

3. Primum eſt. Si Iura aliqua, vel bona ſint vacantia, nemo eorum Dominium, aut Ius ad ea prætendere actionemque pro ijs inſtituere poteſt, ſed diſpoſitio ad illum pertinet, qui Reipublicæ præeſt. Atqui Iura & bona Monaſteriorum, quæ ab Hæreticis recuperantur, verè vacantia cenſeri debent; ergò diſpoſitio de ijs Monaſterijs pertinet ad Principem Reipublicæ Eccleſiaſticæ, hoc eſt, ad Sũmum Pontificem, & reſpectiuè etiam ad Romanum Imperatorem tanquã Supremum Eccleſiæ Aduocatum & Patronum, non excluſo Epiſcopo cũ ſubordinatione tamen ad Papam, quod attinet ad Monaſteria non exempta. Maior huius Argumenti probatur *ex L. 1. C. de bonis vacant. & L. 1. ff. de Iure Fiſci.*

4. Minor probatur primò, quia diſſoluto aliquo Collegio, præſertim ſine ſpe reſtaurationis, *bona* illius ſunt *Vacantia* & remanent in diſpoſitione Principis Reipublicæ; ex multis Doctoribus, qui citantur in primo fundamento. Secundò probatur, quia mortuis omnibus de Collegio, vt accidit in hoc caſu, omnes *Tituli* penitus *extin-*

Digitized by Google

extinguuntur, & ipſum Collegium ſeu *Mon-ſterium* eſt *extinctum*, vt probatur ex ſecundo fundamento. Tertiò probatur. quia tunc *bona* ſunt *Vacantia*, quando ipſorum Dominium immediatum penes neminem eſt: hoc autem contingit in noſtro caſu. quia neque Monachi, neque Abbates aliorũ Monaſteriorum habent Ius aut Dominium in Monaſterijs recuperatis, vt habetur in quarto fundamento.

5. Secundum Argumentum eſt, quia nemini poteſt competere *actio* aliqua *realis vindicationis* ad Monaſteria hæc recuperanda, niſi habeat aut Dominium aliquod, aut quaſi Dominium, ſeu Ius aut Titulum ad Monaſteria. Atqui Abbates & Monachi aliorum Monaſteriorum non habent, ergò &c. Maior eſt certa. Minor probatur, quia prædicti Abbates & Monachi habent ſolùm Ius & Titulum in Monaſterijs, in quibus profeſſi ſunt, ex quarto fundamento. Secundò probatur, quia Iſti Abbates non ſunt capita vnius corporis, quod coaleſcat ex pluribus Monaſterijs, ex fundamẽto quinto. Tertiò probatur; quia, licet aliqui ex iſtis Abbatibus & Superioribus, ſint capita Ordinis tanquam vnius corporis: non tamen habent Diſpoſitionem liberam, neque in Ordine ad perſonas transferendas de vno Monaſterio in aliud, neque in Ordine ad Iura & bona tẽporalia, quod habetur in ſexto fundamento.

6. Tertium Argumentum eſt, quia ſi Abbates, qui nunc ſuperſunt, Actionem aliquam haberent ad recuperationem Monaſteriorum; hoc eſſet, quia ſpoliati fuerunt, & ſpoliati reſtitui debent. Atqui hæc Actio ſeu Interdictum dictis Abbatibus competere non poteſt, ergò &c. Maior veriſſima eſt, Minor probatur. quia vt habetur *l. 1. §. deijcitur, & §. interdictum. ff. de vi & vi armata*, hoc *Interdictum* nõ datur niſi ſpoliato, & hæredi, ſeu ſucceſſori ſpoliati, quales iſti Abbates nõ ſunt. ergò &c.

7. Hæc ſunt fundamenta & Argumenta P. Laymanni. Hæc fuerant à P. Romano fideliter ac ſimpliciter proponenda & refutanda. Ille omnia perturbauit. Primùm enim ex tribus Argumentis P. Laymanni fecit ſex, diſtractis propoſitionibus pro ſuo arbitratu & inuerſo ordine etiam Argumentorum, vt deinceps conſtabit. Imitari voluit, niſi fallor, Sepiam, quæ, vbi ſe apprehendi ſenſit, effuſo atramento, quod ei pro ſanguine natura dedit, infuſcatâ aquâ, abſconditur, & Piſcatorem eludit.

8. Deinde, quaſi parum eſſet in P. Laymanni *Iuſta Defenſione*, in quo oppugnando P. Romanus ingenium exerceret; adiungit tria alia Argumenta ex *Placida Diſceptatione*, Auctoris Anonymi deſumpta, quæ tamen vix habent quicquam ab Argumentis P. Laymanni diuerſum; ita vt mihi dubitare fas ſit, An adducta fuerint ſolũ ad explendum numerum Muſarum: An verò ad libri molem augendam: An denique ad æmulandos Duces illos glorioſos, qui, ſi cum vnâ vel alterâ cohorte conflixerint; integros ſe exercitus profligaſſe iactare ſolent.

EX ARGVMENTO *Sed contrà*, ſpem conci-

concipio bonū, fore, vt nō magnopere laborare debeā in confutanda P. Romani ſentētia, aſſerentis, Antiquis Ordinibus, ideò Monaſteria reſtituēda eſſe, quia ſic diſponant Iura Canonica Nam vt infra patebit, textus, qui afferuntur, vel parùm ſunt ad rem, vel loquuntur extra caſum, quo Collegia Monachorum per omnium mortem abſque ſpe reſtaurationis diſſoluta fuerint.

His poſitis veniendum eſt ad examen eorum, quæ P. Romanus in reliqua à ſe propoſitâ Quæſtione diſſerit per numeros ſex ſuprà centum Diuido autem illam in duas partes. Prima erit de Argumentis, quibus P. Romanus ſuam ſententiam aduerſus P. Laymannum confirmat. Altera de Reſponſionibus quas, Argumentis à ſe propoſitis ex *Iuſta Defenſione*, & *Placida Diſceptatione* afferre conatur.

THEORICA PRIMÆ PARTIS, I. QVAESTIONIS.

Qua examinantur Argumenta P. Romani.

PRincipiò decidit Quæſtionem ſuprà propoſitam in hæc verba. *Reſpondeo dicendum, quod de Iure Communi omnia Monaſteria neceſſariò debent reſtitui perſonis eiuſdem qualitatis & Religionis, cuius erant olim demortua, & quod Religioſis Ordinum hac de cauſa legitimè competat Actio.* Deinde incipit iacere fundamenta, quibus innititur huius Deciſionis Veritas, quæ nos iam particulatim examinare incipiemus Intelligi autem poteſt Scopum P. Romani eſſe inde probare, Antiquis Ordinibus competere Ius agendi pro recipiendis Monaſterijs: quia ſecundum Iura Canonica, Monaſterijs ſemper prouideri debet de Religioſis eiuſdem Ordinis, adeoque Ius vocis paſſiuæ eſſe penes totum Ordinem, & quia illis, quibus competit electio paſſiua, debentur etiam bona Monaſterij, inde inferre, Monachis eiuſdem Ordinis deberi bona & Monaſteria recuperata.

Numeri I. II. III. IV. V.

SVMMARIA.

9. *Quid ſit Monaſterium vacare.*
10. *Non-Monachus eligi in Prælatum non poteſt, vera doctrina, ſed minus ad rem.*
11. *Sicut, quòd ex alijs Monaſterijs debeat eligi Abbas, ſi in vno Idoneus non reperitur.*
12. *Et, quòd in aliquo caſu deuolutio fiat & Ius eligendi ad Superiores.* C. 19. L. 1.

9. *Num.* I. Aduertit mortuo Monaſterij Prælato prius quàm alteri prouideatur, Monaſterium dici *vacare*, & Eccleſiam eſſe *viduam*, quod tamen non ita dicitur, ſi careat aliquo alio inferiore Epiſcopis, vel Abbatibus. Addit etiam, de Iure Antiquo pertinuiſſe ad Summum Pontificem poteſtatem conferendi Epiſcopatus, Eccleſiarum autem ſuæ Diocæſis Ordinationem ſpectaſſe ad Epiſcopum; nunc autem ex Iuris Communis Diſpoſitione, Ordinationem Monaſteriorum translatam eſſe ad ipſos Monaſteriorum Conuentus.

Veriſſimè hæc omnia dicuntur; ſed ad rem noſtram nihil attinent. Diſceptamus enim, An mortuis omnibus Monachis Monaſterij recuperati ab Hæreticis, ipſum Monaſterium *extinctum* ſit P. Laymannus contendit, eſſe *extinctum*: Pater Romanus, *vacare*: Oportuiſſet ergò oſtendere, nō ſolùm Monaſterium dici *vacare* mortuo Prælato, ſed etiam omnibus Monachis extinctis.

10. *Num.* II. Declarat, qualis perſona debeat eligi, poſito quòd Monaſterium *vacet*; & docet, non Monachum in Prælatum Regularem eligi non poſſe.

Hoc etiam veriſſimum eſt fundamentum; ſed laborat eodem vitio, quo primum. Illi ipſi Canones, qui adferuntur, agunt expreſsè de electione Abbatis facienda à Monachis, ac proinde incolumi, non *extincto* per omnium mortem Monaſterio, non vacat ire per ſingulos. *c. quam ſit.* 18. q. 2. ſtatuit, vt *defuncto Abbate cuiuſq; Congregationis, non extraneus eligatur, niſi de eadem Congregatione, quem ſibi propriâ voluntate concors Fratrum Societas elegerit*, & in *c. officij tui de elect.* hæc habentur. *Sanè nobis tuis literis intimaſti, quod, cum Monaſterium quoddam poſitum in medio nationis peruerſa Paſtore careret; Monachi de electione Abbatis tractantes, cum non poſſent ſui Ordinis idoneam inuenire perſonam; in quendam Virum nobilem oculos direxerunt, &c.* Quis non videt, in his textibus, (quos tamen P. Romanus pro ſe affert) non agi de Monaſterio ſoluto per omnium mortem, ſed *vacante* tantum per obitum Prælati?

11. *Num.* III. Addit, *quòd ſi Monachi aptam inter ſe perſonam inuenire nequiuerint; ſolerter ſibi de alijs Monaſterijs ſimiliter eligant ordinandum*, quod ipſum ſubdit, nonnunquam etiam haberi in literis Fundationum: & confirmat ex Diplomate Henrici Quarti reſtaurationis Monaſterij Hirſaugienſis.

Miror equidem, P. Romanum tam

ſæpè

ſæpè offendere ad eundem lapidem. illa ipſa verba, quæ affert initio, deſumpta ex c. *quam ſit*. expreſsè loquuntur in caſu, quo Monachi inter ſe perſonam idoneam non inueniant, & Diploma Henrici Quarti pariter loquitur in caſu, quo Monachi *Patre ſuo Spirituali orbati fuerint*. ergò vtrobique ſermo eſt de Monaſterio *vacante*, & non, *de extincto*, per omnium mortem.

12. *Num. IV*. Oſtendit P. Romanus ſi Electores intra trimeſtre, vel ex negligentia non eligant, vel eligant ſcienter indignum, priuari ipſo Iure, pro ea vice, Electione actiuâ, & Ius eligendi deuolui ad alios Superiores.

Et *Num. V*. Addit, eum, ad quem eligendi Ius fuerit deuolutum, non poſſe alium eligere, quàm ex gremio ipſius Eccleſiæ, ſi dignus adſit. quia licet Collegium amiſerit vocem Electionis actiuæ; non tamen amiſit Ius Paſſiuæ. In his quoque fundamentis iaciendis fruſtrà laborat P. Romanus, ſit enim ita. deuoluatur Ius eligendi in aliquo caſu ad alium Superiorem: teneatur is Iure deuoluto eligere ex gremio eiuſdem Eccleſiæ. Quid hæc attinent ad noſtram Controuerſiam, qui diſputamus de caſu, in quo nec ſit corpus, nec gremium Collegij, aut Eccleſiæ; ſed penitus deſtructum per mortem omnium Collegialium? Verè dixit P. Laymannus à P. Romano *illicò ſub ipſum initium diſputationis deriuari alterſum ſtatum quæſtionis, & fruſtra congeri Doctorum & Canonum teſtimonia in eo comprobando, quod neque ipſe, nec ſanus quiſquam negare poteſt.*

Numer. VI. VII. VIII. IX. X.

SVMMARIA.

13. *Mortuis omnibus Monachis, P. Romanus putat, deuolui Ius ad Superiorem, qui poteſt confirmare.*

14. *Vera doctrina: ſed ſoluto Monaſterio, aut Collegio, omnium morte, non ſit propriè deuolutio. C. L. 8.*

15. *Explicatur Panorm. qui videtur obſtare.*

13. *Num. VI.* Si contingat totum Collegium Canonicorum, vel Monachorum mori, docet P. Romanus, Ius eligendi, ſiue Electionem actiuam deuolui ad Superiorem immediatũ, qui iuxta regulam optimam traditam à Panorm. in c. *nullus in Eccleſia. de Elect. num.* 10. eſt ille, qui habet poteſtatem confirmandi, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue alius Prælatus. Et *Nu. VII.* obiter addit, Legatum de latere poſſe conferre beneficia ad Sedem Apoſtolicã extra Curiam deuoluta. & *Nu. VIII.* facta deuolutione per mortem omnium in Monaſterijs, vel Eccleſijs, Superiorem immediatum teneri ſpacio trium menſium prouidere Eccleſiæ viduatæ de Prælato; quod tamen ſpacium non currit, ſi iuſtum adſit impedimentum, vt docet *Num. IX.* Ex quo colligit *Num. X.* hoc Trimeſtre non currere in caſu noſtro, qui eſt de Monaſterijs recuperatis à Cæſare, niſi poſt notitiam habitam eiuſdem recuperationis. licet effluxerint octoginta ac fortè etiam centum

 anni,

anni,ex quo Monaſteria viduata fuerunt.

14. Non ſunt omninò extra rem, quæ quatuor hiſce numeris continentur;ſed P.Romanus errat, quia exiſtimat, hæc habere locum in caſu hoc noſtro, in quo Monaſteria recuperata iam dudum per omnium Monachorum mortem ſoluta fuerunt: & putat propterea, factam eſſe *Deuolutionem* ad immediatos Superiores:nec tamen ad hanc ſuam doctrinam confirmandam producit vllum alium textum, quàm c. *quanquam de Elect. in* 6. qui tamen textus non agnoſcit hunc *Deuolutionis* modum, ſi videlicet omnes de Collegio, vel Eccleſia, vel Monaſterio mortui ſint:ſed duos, aut tres alios longè diuerſos.

Primus eſt,ſi Electores intra Trimeſtre per negligentiam non eligant. Secundus,ſi ſcienter eligant indignū. Tertius, ſi in Electione non ſeruent formam traditam in Concilio Generali Lateranenſi ſub Alexandro Tertio, capite quarto. Textus ita habet. *Quanquam in caſu negligentiæ ſit ſtatutum à Iure, vt Eccleſia Cathedrali vacāte, ſi per eos ad quos ſpectat, non fuerit electio de Prælato intra tempus debitum celebrata, eligendi poteſtas ad Superiorem proximum deuoluatur; hoc tamen non eſt ad caſum alium extendendum. Igitur ſi Electores in huiuſmodi Eccleſia vel ipſo Iure, cùm eligunt ſcienter indignum, vel per ſententiam, cùm formam traditam in generali Concilio non obſeruant, eligendi poteſtate priuentur; non ad dictum Superiorem, ſed ad Romanum Pontificem poteſtas eadem deuoluetur, ſecus autem in inferioribus Eccleſiis eſt cenſendū.* Hactenus Pontifex, ex quo loco, vt dicebā, tres ad ſummū habemus *Deuolutionis* Caſus; &, vt apparet ex ipſo textu, nunquam contingunt niſi actu exiſtente Collegio & Eccleſia. Etenim ſiue id accidat ob negligentiā eligendi (qui eſt primus modus), ſiue per electionem indigni (qui eſt ſecundus) ſiue propter non ſeruatam formam in electione (qui eſt tertius) ſemper ſupponitur exiſtentia Collegij ſeu Eccleſiæ & Congregationis. Cuius igitur Iuris Authoritate nixus P.Romanus obtrudit nobis nouum hunc *Deuolutionis* modum, ſi ſcilicet contingat omnes de Monaſterio vel Collegio demortuos eſſe? Video ſanè quo ille collineet. Non poteſt negari, eos, qui *Iure deuoluto* tenentur prouidere Eccleſijs viduatis, debere prouidere de perſonis earumdem Eccleſiarum, & eorundem Monaſteriorum, ſi adſint idoneæ; & ſi non adſint; debere aſſumere perſonas eiuſdem Ordinis. Cæterùm non inde inferre poteſt, ſolutis Monaſterijs omnium Monachorum morte, iiſdem prouidendum eſſe de perſonis eiuſdem Ordinis; quia negamus, in hoc caſu factam eſſe *Deuolutionem*, nec Canones, qui à P.Romano citantur, de hoc caſu loquuntur, falſumque pariter eſt, Canones iſtos hoc affirmare.

15. Videri poteſt, id doceri à Panorm. in c. *nullus in Eccleſia de Elect.* n. 10. ex quo deſumpſit Rebuffus de Deuolutionibus n.18. in Prax. Benef. Cæterum hæc doctrina habet ſuas explicationes. Primò enim hi ipſi Authores, vt in progreſſu eius Examinis vide-

videbitur, ſentiunt, mortuis omnibus de Collegio vel Monaſterio, illa cum ſuis Titulis *extingui*. Secundò dici poteſt, verbum *prouidendi* ab illis Auctoribus accipi in ſignificatione lata, quatenus ſignificat diſponere de bonis Eccleſiæ ſeu Monaſterij per omnium mortem diſſoluti. Tertiò Panorm. nõ aſſerit eo loco factâ deuolutione per omnium mortem, debere eligi Perſonam eiuſdem Ordinis, ac multo minus id ait Rebuff. nec ex eius doctrina ibi tradita hoc inferri poteſt, nam docet fieri deuolutionem etiam quando Collegium deſtructum ob delictum, in quo caſu de Perſonis eiuſdem Ordinis prouideri non debet. Vnde quartò reſponderi poteſt illos Auctores ibi latè & impropriè accipere nomen deuolutionis, quando dicunt per omnium mortem fieri deuolutionem. Poſtremò addi poteſt, nulli Doctori credi, quantumuis eximio, vbi de rebus merè dependentibus à diſpoſitione legis poſitiuæ, loquantur ſine lege ac textu, præſertim contra euidentem rationem. Iam verò nec P. Romanus, nec vllus alius Canoniſta attulit hactenus Canonem vllum, in quo habeatur nouus hic *Deuolutionis* modus à P. Romano confictus.

Num. XI.

SVMMARIVM.

16. *Soluto per omnium mortem Collegio, Superior prouidet non Iure deuoluto, ſed proprio & ordinario.*

16. Si Pater Romanus nomine *Iuris deuoluti* intelligeret id, quod Sacri Canones intelligunt, hoc eſt, Ius cõpetens Superiori, ex eo quod Inferiores vel intra tempus debitum non elegerint Prælatum; vel elegerint indignum; vel certè in electione legitimam formam non ſeruauerint: nihil haberem, quod hic reprehenderem. At ille appellat *Ius deuolutum*, etiam in eo caſu, quo aliquod Collegium diſſolutum ſit per omnium mortem, & aſſerit, in hoc caſu Ius prouidendi *deuolui* ad alium Superiorem, hoc verò à nobis iã improbatum eſt: atque oſtendimus, à Sacris Canonibus hunc *deuolutionis* modum non agnoſci: atque adeò, ſi Collegium aliquod omnium morte ſolutum ſit; Ius quod competit Superiori eidem Collegio prouidendi, non eſt verè *Ius deuolutum* ab alijs Electoribus, vel Prouiſoribus ad ipſum Superiorem: ſed eſt Ius ipſi competens de Iure & ratione proprij officij. Hæc dicta velim, vt eneruetur, quod fusè P. Romanus demonſtrare conatur ſequentibus numeris, hoc eſt Superiorem, qui prouidere debet *Iure deuoluto*, debere neceſſariò prouidere de perſonis qualificatis, nec qualificatas eſſe, niſi ſint eiuſdem Ordinis, ex quo primi Electores prouidere tenebantur.

Num. XII. XIII. XIV. XV.

SVMMARIA.

17. *Prouidens Iure deuoluto, tenetur prouidere de perſonis, de quibus tenebatur qui ſuo Iure excidit.*

18. *Vera doctrina, vbi ſit facta propriè deuolutio, quæ hic non eſt.*

19. **Idem docet Panorm.**
20. *Eadem datur Reſponſio.*
21. *Affertur teſtimonium Gloſſ.*
22. *Sed pariter abs re.*
23. *Probat ex Abb.*
24. *Explicatur Abbatis ſententia, & negatur ſuppoſitio, quod innitatur ſpolio reſtitutio aliorum Clericorum in caſu deſtructæ Eccleſiæ.*
25. *Duplex alia affertur explicatio, & præfertur prior.*
26. *Rurſus affertur auctoritas Eccleſiæ.*
27. *Sed ea non agit de Collegiata, ſoluta per omnium mortem.* (Pij V.
28. *Reſpondetur ad Arg. ductum ex facto*
29. *Soluitur Arg. ex ſimilitudine Epiſcoporum titularium.*

17. Inſtitutum P. Romani his numeris, eſt inueſtigare, de quibus perſonis prouideri debeat Monaſterijs *vacãtibus* Iure *Deuolutionis*: ſed aberrat in ipſa ianua. nã noſtra Cõtrouerſia eſt nõ de Monaſterijs *vacãtibus* quocunque modo: ſed vacantibus per mortẽ omniũ Monachorũ multis iam annis; quod eſt, *Monaſteria eſſe extincta*, non *vacãtia*. Condonemus tamen illi hunc errorẽ: & examinemus ſingillatim ea, quę habet in propoſitis Numeris. Sũma aũt eorum hæc eſt, vt oſtendat, Superiorẽ *Iure Deuolutionis* non poſſe prouidere Monaſterijs de alijs perſonis, quã de quibus prouidere tenebantur ij, qui ſuo Iure ꝓuidẽdi exciderũt; vt ex hac doctrina inferat, Monaſterijs recuperatis è manibus hæreticorum, de Iure communi non poſſe prouideri, niſi de Monachis eiuſdem Ordinis.

18. *Num.* ergò *XII.* affert ſententiam Rebuffi, qui tamen nihil habet peculiare, quod noſtræ cauſæ obſit, docet enim tantùm, Superiorẽ *Iure deuoluto* teneri conferre perſonis, quibus tenebatur Inferior ante deuolutionem, & conſequẽter, ſi beneficium erat cõferendũ Regularibus per primum Cõferentẽ, debere conferri etiã Religioſis per ſecundum.

18. Hæc omnia veriſſima ſunt, vbi factus eſt locus veræ ac propriæ *Deuolutioni*, at nos negamus, ſoluto Collegio vel Monaſterio omnium morte, *Deuolutionis Ius* habere locum.

19. *Nu. XIII.* affert doctrinã Panor. in c. *Poſſeſſiones de reb. Eccl. non al.* vbi docet, nõ poſſe Superiorẽ, ad quẽ eſt deuoluta poteſtas propter negligentiã prouidẽdi de Prælato Regulari, prouidere Eccleſijs Regularibus de perſonis ſæcularibus, quod ibidẽ & argumẽtis & alijs textibus comprobat Panorm.

20 Eadẽ eſt Reſpõſio. Panormitanus nõ loquitur in caſu noſtro: ſed in eo, in quo propria & vera facta eſt *Deuolutio*: & miror vehementer P. Roman. velle notari, nõ eſſe locum diſtinctioni, ſiue *Deuolutio* fiat ex neglıgẽtia, ſiue ex delicto, ſiue ex fortuito caſu ſpoliationis, aut mortis omniũ de Collegio: eo ꝙ vis huius obligationis ſubſtituẽdi aliũ eiuſdem Qualitatis, nõ oriatur ex cauſa data *deuolutioni*; ſed ex ipſa intrinſeca ratione *Deuolutionis*. miror, inquam, P. Romanũ ita loqui. quia in allegato textu Panorm. expreſsè loquitur in caſu *Deuolutionis*, quam Sacri Canones agnoſcunt, quale non eſt Ius prouidẽdi ex caſu mortis omniũ de Collegio.

21. *Num. XIV.* affert teſtimoniũ Gloſſæ marginal. in c. *Regulares* (ſcribere debuit,

buit, *Quia Regulares*) *Clem. de ſuppl. Præl. negligentia*, vbi ait, poteſtatẽ in conferẽdis beneficijs *deuolutis* modificari & regulari ſecundũ poteſtatẽ ipſius inferioris; vt, quibus ipſe cõferre non potuiſſet, ſimiliter nec poſſit Superior: quã doctrinam addit, afferri etiam ab Azorio *part. 2. Inſtit. moral. l. 6. c. 27. q. 8.*

22. Pudet me toties eadẽ repetere, ſed cum P. Rom. nil noui hic afferat; nil aliud reſpondere poſſum, quã ꝙ reſpõdi. hæc teſtimonia non facere ad rem; cum agant de vera & propria *Deuolutione*, quæ in noſtro caſu non datur: & illâ Clem. agitur de deuolutione ex cauſa negligentiæ, expreſsè.

23 Maior aliquantò difficultas eſt in alio teſtimonio Abbatis in c. *cũ ex iniũcto de nou. Operis nunc. n. 5.* vbi hæc habet, *Secus eſt ſecundũ Innoc. vbi ex facto alicuius Tyranni, vel ab hoſtibus vna Eccleſia deſtrueretur, ſeu vt Ciuitas. quia tũc retinet omnia priuilegia, & Clerici poſſunt ſe appellare Canonicos, & etiã eis mortuis alij in eorum locũ ſubſtituendi ſunt 23. diſt. c. in nomine Domini. & 7. q. 1. c. paſtoralis.* ex quo loco habemus, ſoluto Monaſterio per mortẽ omnium Monachorum, alios Monachos eſſe ſubſtituendos, *& ratio eſt* inquit P. Romanus, *quia ſicut ideò Clerici alij ſunt ſubſtituendi, quia Clerus fuit ſpoliatus, ita etiam alij Monachi ſubſtituendi ſunt, quia ipſe Ordo Monachalis ſpoliatus fuit.*

24. Reſpõdeò primò, falſum eſſe Panorm. hoc loco afferre pro ratione ſui dicti (ꝙ ſcilicet tali caſu Clerici ſubſtituendi ſint in locũ demortuorũ) *quia Clerus ſpoliatus fuerit*: & falſum eſt, Panorm. inniti eo loco, ſpolio; licet adducat textus illos ex 23. *diſt.* & *c. paſtoralis 7. q. 1.* aio enim, illos afferri, vt oſtẽdat, Clericos illos, quorũ Eccleſia deſtructa fuerat ab hoſtibus, Iure *poſſe ſe appellare Canonicos, ſicut* (ꝙ ſtatuitur *in c. in nomine Domini. cit.*) *poteſt ſe nominare Papã, & obtinet Auctoritatẽ regendi Romanã Eccleſiã, & diſponẽdi oẽs facultates illius, ſi facta Electione Sũmi Pontif. bellica fuerit tẽpeſtas, vel qualiſcunq; hominum conatus malignitatis ſtudio reſtiterit, vt is qui Electus eſt in Apoſtolica Sede iuxta cõſuetudinẽ intronizari non valeat.* Sicut etiã (ꝙ diſponitur in *c. paſtoralis* allato) ſtatuitur, vt Ioannes quidã Epiſcopus à ſua Eccleſia hoſte imminẽte depulſus ita regat Eccleſiam aliam ſibi traditam; vt, ſi primam ab hoſtibus liberam eſſe contigerit; ad eam reuertatur.

25. Reſpõdeo ſecundò, ꝙ dicit Panor. mortuis illis Clericis expulſis, debere alios in eorũ locum ſubſtitui, habere duplicẽ explicationẽ. Prima eſt, vt ſucceſſiuè moriẽtibus aliquib. Canonicis, alij ſucceſſiuè ſubſtituantur: altera, vt demortuis vniuerſis, & conſequenter diſſoluto Collegio, alij Clerici neceſſariò ſubſtituendi ſint. Hoc poſito, dico, doctrinã Panorm. accipiendã eſſe in primo ſenſu. nã reuera moriẽtibus ſucceſſiuè Canonicis, etiãſi Collegiũ redigatur ad vnũ, ſemper manẽt Iura Collegij, vti infra patebit; & proinde Eccleſia illa dicitur, nõ *extincta*, ſed *vacare*. Demonſtret P. Rom. Panormit. eſſe accipiẽdũ in ſecũdo ſenſu. nũquã faciet, & ſi fecerit; habeo ꝙ reſpõdeã: dicam enim, *vel mortuis omnibus Canonicis, eſt ſpes proxima reſtaurationis Eccleſiæ deſtructæ, vel non eſt*; ſi non eſt, aio Panormitani doctrinam non poſſe recipi, vtpote nullo Iure fundatam. nã in

eo-

eo caſu oẽs tituli eius Eccleſię ſunt penitus *extincti*: quodſi ſit ſpes proxima reſtaurationis; in eo caſu Tituli, benignâ Iuris interpretatione, videntur potius dormire: ideoq; nõ negarim, in eo caſu alios Clericos ſubſtituẽdos eſſe. Simile quippiam accidere potuiſſet in Monaſterijs ante tot annos ab hæreticis occupatis; ſi enim Monachi expulſi mortuo Abbate alicuius Monaſterij, ſucceſſiuè alium ſemper ſubſtituiſſent in hanc vſque diem; fortè dici poſſet, illud Monaſteriũ nõ fuiſſe *extinctum*; ſed ſolùm ſubinde *vacaſſe*; at cum hoc factum non ſit, & iam dudũ perierit omnis ſpes reſtaurationis eorundem Monaſteriorum; non video ſanè, quo Iure, quaue ratione adductus P. Romanus tam animosè pronunciet, Monaſteria recuperata de Iure Monachis eiuſdem Ordinis eſſe reſtituenda.

26. Num. 15. Præmiſſis Auctoribus addit Gloſſam in c. *Statutũ. de Elect. in 6. verb. Collegiatas* ſic loquẽtẽ: *ſed quæro. pone quod Eccleſia fuit Collegiata: nunc deſiuit ibi eſſe Collegium, quid erit? habebit ne locum hæc Decretalis? & videtur, quod non. quia deficientibus perſonis, deſinit eſſe Collegium. Dico breuiter, quod ſi Collegiũ deſinat ibi eſſe, puta Canonicorum morte; locũ habet Decretalis, quia alij habent ſubſtitui: & ſi hoc non faciunt hi, ad quos primo pertinet infra debitum tempus; ad Superiorem deuoluetur, & ſic de ſingulis vſque ad Papã. Si aũt deſtruatur Collegium Superioris Auctoritate; tunc non habebit locum Decretalis.* Hactenus verba Gloſſæ, quę cõfirmat P. Romanus teſtimonio aliquorum Doctorum, & quod caput eſt, Auctoritate Pij V. qui teſte Nauarro, conceſſit Laicis quiduſdam in Anglia bona cuiuſdam Abbatiæ & Conuentus, cui nec Abbas erat, nec Monachus: ſed non diutius, quã quouſq; denuò inciperent ibi eſſe Abbas & Conuẽtus.

27. Gloſſæ teſtimonium productũ à P. Romano nullum pondus haberet, ſi bonâ fide integrum relatum fuiſſet. ſtatim enim appareret, Gloſſam non loqui in caſu, quo Iura & Tituli Monaſterij *extincta* ſint, ſed adhuc ſunt ſalua & integra. Nam agit de Collegiata Eccleſia ſoluta per mortem Canonicorum in caſu, quo vnus ex ijs ſuperſtes ſit. ratione cuius remanent in Eccleſia Iura Collegij. Noſter aũt caſus eſt lõgè diuerſus, cum ſermo ſit de Monaſterijs, quorum oẽs Monachi omnino extincti ſunt. audiãtur ipſius Gloſſæ integræ verba. *ſed quæro, pone, quod Eccleſia ſit Collegiata: nunc deſinit ibi eſſe Collegium, quid erit? habebit ne locum hæc Decretalis? & videtur, quod non, quia deficientibus perſonis, deſinit eſſe Collegium, & grex deſinit eſſe, ſi vnum animal tantum remanſit in grege. Dico & breuiter, quod ſi Collegium deſinat ibi eſſe. puta Canonicorũ morte, locum habet hæc Decretalis, quia alij habent ſubſtitui. & ſi hoc non faciant ij, ad quos primò pertinet intra debitum tẽpus, ad ſuperiorem deuoluetur: & ſic de ſingulis vſq; ad Papã. & Ius Collegij benè remanet in vno.* Ex his apparet, nõ eſſe ſentẽtiã Gloſſæ, alios eiuſdem Qualitatis eſſe ſubſtituendos, ſi Collegium deſinat per mortem omninò omnium: ſed in caſu, quo ſolutum quidem ſit Collegium per mortem omnium, vno tamen excepto, in quo, vt eadem Gloſſa ibidem

ibidem affirmat, *Ius Collegij benè remanet.* noſter autem, vt dicebam, caſus eſt, quando omnes Monachi ad vnū extincti ſunt:& conſequenter Monaſterium & Congregatio non ſolum ſoluta eſt; ſed etiam Iura & Tituli ſunt *extincti.*

28. Ad Teſtimonia illorū Authorū, quæ eodē numero afferūtur, eadē eſt reſponſio. De Pij verò Quinti Sanctiſſimi Pontificis facto, reſpondeo, illud cauſæ noſtrę nullum afferre prę iudicium; ſed Aduerſariorum. Nauarrus enim, qui illud refert *de ſpolijs Clericorum* §.10.*n.*5. expreſsè dicit, id feciſſe Pium Quintum, & facere potuiſſe, *quia*, inquit, *bonorum Eccleſiaſticorum, & fructuum eorum, qua nunc inueniuntur in Anglia, & Germania, destituta Catholicis Adminiſtratoribus, diſpoſitio pertinet ad Sacroſanctam eius Maieſtatem, quoniam certum eſt, illa non deberi nunc alicui per conceſſionem eius immediatam, vel mediatam, cumq́; palam fit, carere illa hæreticos, qui malè poſſident.* Eſt ergò Nauarri expreſſa ſententia, Monaſteria, de quibus agitur, nemini deberi.ergò neque Monachis eiuſdem Ordinis, neq; Ordini ipſi. Quòd verò voluerit Pius Quintus illos laicos ſolùm ad tempus percipere fructus illius Abbatiæ in Anglia, donec rurſus ibi eſſent Monachi; non arguit, illum exiſtimaſſe, aliter fieri non poſſe; ſed in illis circumſtantijs, id expedire. nec P.Laymannus negauit vnquam, Monaſteria recuperata ab hæreticis, conferri etiam poſſe Monachis eiuſdem Ordinis; negauit ſolùm, ita neceſſariò debere fieri, & Monachis *Ius & Actionem competere* ad illorum reſtitutionem ſibi faciendam.

29. Iam verò quod P.Romanus in fine huius *Numeri* aſſerit, facere ad ſuæ doctrinę Confirmationem, id eſt, mortuis omnibus Monachis, prouidendum eſſe Monaſterio de perſonis eiuſdem Ordinis, textum *c. in plerisq́; Clem.de Elect.* in illis verbis *Clero carentibus, &c.* id ſatis non capio, in ea enim Clem. Pontifex decernit, ne vllus ſine ſpeciali ſua licentia prouidere audeat Eccleſiæ Cathedrali Clero carenti, & populo Chriſtiano, præſertim de Religioſis, quales ſunt Eccleſiæ Cathedrales in partibus Infidelium, & quarum Epiſcopi vocantur vulgò *Titulares*, &c, teſte Gloſſa ibidem, *Portatiui.* & ratio prohibitionis fuit, quia cùm iſti Religioſi ſint pauperes, *Stant*, inquit Gloſſa, *per totam ſuam vitam vagando, & diſcurrendo per Diœceſes, quærendo Vicariatus ab Epiſcopis habentibus latas Diœceſes, & vt ipſi ſint Epiſcopi Portatiui, vel vadunt ad Curias Principum, & quærunt habere perſionem, & multoties Principes eos habent tanquam familiares, & tanquam Capellanos:* ex quo fit, vt dicitur in textu, vt tales Epiſcopi Regulares *nec prodeſſe, nec præeſſe, vt deceret, valentes, inſtabilitate vagationis & mendicitatis opprobrio, ſerenitatem Pontificalis obnubilent dignitatis.* Quæ omnia non video, ad quam rem faciant, niſi fortè velit P. Romanus, ſicut Eccleſiæ Cathedrali carenti Clero, & populo Chriſtiano poteſt, & ſolet prouideri ſaltem Authoritate Apoſtolica de Epiſcopo; ita etiam debeat Monaſterio carenti Abbate & Monachis, prouideri de Abbate eiuſ-

dem Ordinis. Sed ſi hoc vult, reſpondeo, longè diuerſam eſſe rationem iſtorum Epiſcopatuum deſtitutorum Clero & populo, & Monaſteriorum iam dudum carentium Abbate & Monachis; nam Titulus Epiſcopalis in Partibus Infidelium, vel nunquam extinctus fuit. Romani ſiquidem Pontifices nũquam deſtitêre illis Eccleſijs de Epiſcopo prouidere, ad retinendam memoriam illarum Eccleſiarum, vel licet eſſet extinctus, in Roman. Pontificis poteſtate eſt, illum toties reſuſcitare, nouum Epiſcopum creando, quoties Prædeceſſor moritur.

Num. XVI.

SVMMARIA.

30. *Text. c. Inter quatuor, non agit de Monaſterio extincto, ſed egente reformatione.* C. c. 2.

31. *Coacta P. Romani interpretatio verbi* prouideri.

32. *Item verbi* ordinari.

33. *Item illarum vocum,* in defectu.

34. *Alij textus allati à P. Rom. ac primùm c.* ſicut alterius.

35. *Sed extra rem.*

36. 2. c. quæ ſemel. *ſed inefficax.*

37. 3. c. Poſſeſſiones. *pariter infirmus.*

38. 4. c. Peruenit. *pariter nullus.*

30. Illuſtris, inquit P. Romanus, ad hanc rem locus eſt in *c. inter quatuor. de Relig. Dom.* cuius Titulus eſt, *locus Religioſus debet reformari de Religioſis duntaxat, non de ſæcularibus, niſi in defectu Religioſorum*; & in margine apponit illa verba: Notabilis Textus.

Illuſtrem & *Notabilem* eſſe textum, negari non poteſt: ad hanc eſſe rem, omninò pernego. Noſtra Controuerſia eſt, An demortuis omnibus Monachis alicuius Monaſterij, illuc introduci poſſint alterius Ordinis Regulares, vel etiam Clerici ſæculares? itaque cupiens ſcribere ad rem, debet afferre Textus, qui loquantur de Monaſterijs, in quibus omnes Monachi mortui ſint; atqui textus allatus à P. Romano agit de Monaſterio & loco Religioſo, in quo opus ſit reformatione, qui certè non eſt locus, vbi iam omnes Monachi mortui ſunt, niſi dicamus mortuos etiam fortè reformari poſſe. Quid enim aliud eſt reformari locum aliquem Religioſum, vel Monaſterium, vel totum etiam aliquem Ordinem, niſi eius loci incolas, Monachos, & Religioſos, maximam partem, regularem diſciplinam non obſeruantes, ad meliorem frugem traducere; vel, ſi fieri non poſſit; illis amotis & diſperſis, alios ſubſtituere Diſciplinæ Regularis cupidos & amãtes? Auctores certè quotquot à P. Romano adducuntur, in hanc ſententiã accipiendi ſunt, & nominatim S. Petrus, Venerabilis Abbas Cluniacenſis, quem poſt reliquos omnes, declamãtem inducit. Is enim grauiſſimè conqueritur, & tanquam *monſtrum, portentum, ac prodigium* deteſtatur, *quod expulſis à ſuis Sedibus Monachis Virdunenſibus, Clerici pro eis intruſi, ſua deſeruiſſent, aliena occupaſſent, ſicque Ordo ipſe inauditus fuiſſet condemnatus, cui tamen ex Canonũ præſcripto debuerant Monachis diſcolis amotis, dari alij Monachi Religioſiores, priùs quàm.*

quã deueniretur ad Clericos. Quis neget hæc omnia Iure lamentari Sanctiſſimum illum virum? Sed, bona cum venia P. Romani, ad hanc rem nõ ſunt; quia Virdunenſe Monaſterium occupabatur à Clericis, vi Monachis expulſis; ergò illud Monaſterium non erat diſſolutum per omnium mortem: ſed integrum viuis adhuc, ſed exturbatis Monachis ijſdem.

31. Verum examinemus, quâ ratione P. Romanus hoc *c. inter quatuor.* textum verè *Illuſtrem & Notabilem* pro noſtra ſententia, peruerſis interpretationibus cogat ſuffragari pro ſua. *Quærebatur*, inquit Gloſſa, quæ eſt Panormit. *à Domino PP. vtrum Eccleſiæ Regulares poſſint fieri ſæculares?* vtique ex eo, quòd Monachi & Regulares earum Eccleſiarum viderentur egere Reformatione, quocirca huic c. (quod etiam ipſe P. Romanus aduertit) hic Titulus præfigitur. *Locus Religioſus debet reformari de Religioſis dũtaxat, non de ſæcularibus, niſi in defectu Religioſorum* eiuſdem Ordinis, & in horũ defectu, alterius, vt benè docet ibi Panor. Ex his conſtat, eſſe ſermonem non de loco & Monaſterio aliquo, in quo nulli ſint Monachi, ſed in quo ſint, & reformatione indigeant; & tamen P. Romanus, vt diximus, interpretatur, eſſe ſermonẽ de Monaſterio, etiã deſtituto omnibus Monachis, quod certè Reformatione nõ indiget. Tuetur autẽ ſe hoc nomine, quia idẽ eſt Monaſteriũ aliquod reformari, quod eidẽ prouideri de Monachis. Qua interpretatione, quænam poteſt eſſe magis coacta?

32. Deinde in eodem capitulo *inter quatuor*, ſtatuitur, quãdiu Monaſteria per Regulares remanere potuerint ordinata, non eſſe ad ſæculares Clericos transferenda. P. Romanus illud verbum *ordinata* vult ſignificare *prouideri*, ſiue *inſtitui*. nam *ordinare*, inquit, *Monachos, eſt illos creare: ordinare Abbates, eſt illos eligere.* At, ſi hæc interpretatio locum habeat; cum P. Romanus nomen *Monaſterij* hoc loco accipiat, pro Conuentu & Eccleſia materiali, (nam ſupponit omnes Monachos eſſe mortuos) ſimiliter dicere poterimus *Monaſterium eligi, poſtulari, inſtitui, confirmari*: quia hæc omnia propriiſſimè dicuntur de Abbatibus. Quis autem non videat, quàm ſit abſurda, dũ ſermo eſt de Eccleſia materiali? Verbum ergò *Ordinari* non conuenit loco materiali, ſed formali, hoc eſt Cõgregationi, & Collegio Religioſo.

33. Poſtremò inde probat P. Romanus, *ordinari* in illo textu ſignificare *prouideri*, quia Panorm. & Gloſſa, aliique Doctores dicunt, *Monaſterium eſſe reformandum de Monachis eiuſdem Monaſterij*, ſi adſint; *Secundò in defectum eorum de Regularibus aliorum Monaſteriorum eiuſdem Ordinis; Tertiò deueniendum eſſe ad Regulares alterius Ordinis: poſtremò in defectum omnium Regularium poſſe inſtitui Clericos ſæculares.* Interpretatur ergò P. Romanus illas particulas *in defectum eorum*, id eſt, *omnibus mortuis.* At ego nego, rectam eſſe interpretationem: & aio, illas particulas ſignificare defectum vel Voluntatis, vel Capacitatis reſpectu reformationis, vt ſenſus ſit, ſi Monaſterium acceptum

Digitized by Google

pro Congregatione eſt ita deformatum, & tantopere in eo diſciplina religioſa collapſa; vt non videatur poſſe reformari & ordinari per religioſos, qui in eo ſunt; debeant aſſumi ex altero Monaſterio eiuſdem Ordinis, & *in defectum* horum (non vtique per mortem,) ex altero Ordine: imò ex omnibus & quibuſcũque Ordinibus Religioſis, & *in defectum* omnium Regularium (qui certè defectus moraliter non poteſt eſſe per omnium mortem) aſſumantur Clerici ſæculares.

34. Poſt hæc P. Romanus adducit aliquot textus, quibus oſtendat, deſtitutis Monaſterijs prouideri debere de Monachis eiuſdem Ordinis. Primus eſt ex c. *ſicut alterius* 7. q. 1. Secundus ex c. *quæ ſemel* 12. q. 3. in tit. Tertius ex c. *poſſeſſiones. de reb. Eccleſ. non alien.* Quartus ex c. *peruenit* 18. q. 2. qui tamen, vt mox patebit, nihil probant.

35. Nam in c. *ſicut alterius.* in verbo *Regulariter,* quod P. Rom. citat, ſolùm decernitur, vt ſicut ſponſa mortuo marito nubere poteſt *tantũ in domino,* id eſt, *regulariter;* ita etiam Eccleſia viduata Epiſcopo, debet ſpiritualiter nubere alteri *Regulariter*, id eſt, ex Gloſſę interpretatione, *homini eiuſdem Profeſſionis.*

Veriſſimè hoc dicitur. nam & mortuo Abbate Monaſterij, prouideri illi debet de nouo Abbate, qui ſit Monachus eiuſdem Ordinis, imò & Monaſterij. at ſi Monaſterium per omnium mortem ſit extinctum, non eſt quod amplius nubat; ſicut ſi ſimul cum marito moriatur vxor; fruſtra dicitur debere nubere *Regulariter, & homini eiuſdẽ Profeſſionis.*

36. In c. *quæ ſemel* nihil aliud ſtatuitur, niſi vt, *quæ ſemel dedicata ſunt Monaſteria, ſemper Monaſteria perſeuerent, nec fiant vltra ſæcularia habitacula.* Idem & nos cõcedimus debere fieri, *nõ eſſe* Monaſterijs recuperatis *habitacula ſæcularia facienda,* ſed Religioſis Operibus applicanda illorum bona, & loca etiam ipſa & Eccleſias non eſſe profananda.

37. In c. *Poſſeſſiones* decernitur, ne *Eccleſiæ, in quibus Monachi miniſtrare conſueuerunt, Clericis vel Laicis aſſignentur.* Rectè. Sed eſt ſermo de Eccleſijs, in quibus Monachi *miniſtrare conſueuerũt, vt Collegium;* vt ait Gloſſa ibidẽ in verbo *conſueuerunt,* vbi citat c. *inter quatuor.* quod hoc numero examinamus; vt vel hinc intelligamus, in eo textu tam *Illuſtri* & *Notabili* per P. Romanum, nomine Monaſterij intelligendum eſſe Collegium & Congregationem Monaſticam, quæ dum in loco perſeuerat, non poteſt Iure amoueri & ſuis bonis priuari.

38. Denique c. *peruenit.* pro P. Rom. nullo modo facit, nam S. Gregorius ſcribens Archiepiſcopo Rauennati, præcipit, vt Clericos ſæculares, qui Monaſterijs præficiebantur, eaque grauabant, & vt ait Gloſſa, *quaſi communia habitacula habebant etiam Laicorũ,* inde remoueat; ex quo apertè infertur, eſſe ſermonem de Monaſterijs, in quibus eſſent Monachi, & nõ de Monaſterijs, in quibus omnes Monachi deceſſiſſent: Et confirmatur ex ſequẽti capitulo *Dudum,* in quo ſcribens idem Pontifex ſucceſſori alterius Archiepiſcopi, iterum mãdat, *vt omni mora, omniq; excuſatione ſubmotâ Monaſteria, de* quibus

quibus ſcripſerat, ab illo grauamine Laicorum releuet; & ſubdit, *vt Clerici non amplius ad ea accedant, niſi fortè ad peragenda ſacra Miſſarum fuerint inuitati myſteria.* Inuitati, vtique à Monachis, vt habet Gloſſa in figuratione Caſus eiuſdem *c. dudum.* Itaque non eſt dubium, in his textibus non eſſe ſermonem de Monaſterijs deſtitutis Congregatione Monachorum, de quibus nos cõtrouertimus; ſed de Monaſterijs, in quibus adhuc perſeueret Monachorum Collegium.

Num. XVII.

SVMMARIA.

39. *Obijcitur, Monaſteria ideò dici S. Benedicti, quia illius filijs debentur.*

40. *Sed aſſumitur id, quod probandũ eſt.*

39. *Ex hactenus dictis ſatis*, inquit P. Rom. *colligi poteſt, cur Monaſteria Ordinis S. Benedicti dicantur & ſint patrimonium S. Benedicti, eò quod de Iure Communi debeantur filijs S. Benedicti, quamdiu inueniri poſſint.*

40. At P. Romanus nondum demonſtrauit, huiuſmodi *Monaſteria debere filijs S. Benedicti*, etenim, vt nos contra infra oſtendemus, nõ debentur ex eo capite, quòd iſte Ordo conficiat vnum corpus, vel habeat vnũ caput, vel bona omnium Monaſteriorum ſint communicabilia, de quibus aliquis Prę̨latus pro arbitratu diſponere poſſit, vel quod ſinguli Monachi habeãt titulum in pluribus Monaſterijs, neq; oſtendit P. Rom. vel Iure Communi, vel fundationum factarum, eſſe factã aliquam ſubſtitutionem, ita vt vnum Monaſterium alteri ſuccedere queat, ergò ex his omnibus multò melius poſſumus nos colligere, Monaſteria recuperata, & eorum bona & Iura *non debere filijs S. Benedicti*; ſed, cum ea Monaſteria ſint ſoluta iam dudũ per omnium mortem: eſſe eorum *bona vacantia*, & ſub diſpoſitione Sedis Apoſtolicæ, nõ excluſis Epiſcopis, quoad Monaſteria non exempta, ac proinde, P. Romanum debere inueſtigare alias rationes, ob quas *Monaſteria Ordinis S. Benedicti dicantur S. Benedicti patrimonium.*

Num. XVIII.

SVMMARIA.

41. *Fingit P. Rom. nos prouocare ad plenitudinem poteſtatis.*

42. *Falſum eſſe demonſtratur. C. 6. 2.*

43. *Idem oſtenditur.*

41. P. Romanus, ac ſi parum haberet, quod refutaret, fingit Aduerſarios, conuictos, quod Monaſteria recuperata neceſſario ſint reſtituenda antiquis Ordinibus, prouocare ad plenitudinem poteſtatis abſolutæ Romani Pontificis, *qui huiuſmodi Legibus & Iure Communi non eſt alligatus.*

42. Primum aueo ſcire, quinam ſint hi Aduerſarij tam fatui, qui aſſerant, negotium transferendorum Monaſteriorum pertinere ad Tribunal abſolutæ poteſtatis Pontificiæ, cùm remis velíſque contendant, Romanum Pontificem de Iure Communi tanquam Principem Chriſti-

anæ Reipublicæ poſſe diſponere de Iuribus & bonis horum Monaſteriorum, tanquam de *bonis vacantibus*, propterea quòd Monaſteria & omnes Tituli ſint *extincti*.

43. Deinde quibus Iuribus, aut legibus dicitur, non eſſe aſtrictus Romanus Pontifex, vt neceſſariò debeat, ſi Monaſteria recuperata transferenda ſint ad alios Ordines, vti ſua abſoluta poteſtate & præter eiuſmodi leges facere? *inania ſunt iſta*, inquit P. Laymannus; & ſanè Iure. nam ſtando etiam in Iure Communi, & vſu Ordinariæ poteſtatis, poteſt Romanus Pontifex de huiuſmodi Monaſterijs, tanquam de *bonis vacantibus*, pro ſuo arbitratu in bonum Catholicæ Religionis diſponere.

Num. XIX. vſque ad XXIII.

SVMMARIA.

44. *Aduocati Romani ſenſerunt; Monaſteria eſſe reſtituenda Ordinibus.*
45. *Sed nixi fundamento infirmo.*
46. *Dicitur non obſtare quod nulli Religioſi Monaſteriorum iam viuant.*
47. *Imò obſtare demonſtratur.*
48. *Impugnatur à P. Romano diſtinctio Monaſt. in Congregationem redactorum & non redactorum, ſed fruſtrà.*
49. *Reſponſ. ad Gloſſ. c. porro 16. q. 3.*

44. Ex hactenus à ſe diſputatis P. Romanus quatuor Corollaria deducit, eaque Clariſſimorum Iuriſconſultorum in Romana Curia Aduocatorum Auctoritate confirmat, quam ego Auctoritatem non cenſeo paruifaciendam, ſicut ipſe parui pendit, quæ contra ſe à Clariſſimis pariter Romanis Iuriſconſultis & Aduocatis ſcripta ſunt; eò quòd, vt aſſerit, *num. LIV.* huius quæſtionis, Doctorum antiquorum iudicio potius ſtandum ſit, quam Iuniorum ſeu modernorum, ex Gloſſa in *c. ſic viue 16. q. 1.* Hoc tantum dico id genus hominum ſolere ſcribere, non tam quid ipſi verius eſſe iudicent, quàm quod Clientes, à quibus conſuluntur, cupiant; ſatiſque habere, ſi proferant, quid in ea cauſa qua de agitur, pro parte, quam ruendam ſuſceperunt, dici queat. quocirca nihil plus Auctoritatis in eorum cõſilijs ineſſe par eſt, quàm ſit ponderis in textibus & rationibus, quas afferunt. hoc ergò agamus; examinemus ſingula diligenter, quæ adferuntur hoc & tribus ſequentibus numeris. vniuersè enim de omnibus ſic ſentio, ſemper à P. Romano ſupponi, imò & ab ipſis Aduocatis id, quod eſt in quæſtione, Dominium ſcilicet Monaſteriorum, non exemptorum præſertim, etiam mortuis Monachis omnibus, qui in illis vouerant loci ſtabilitatem, remanere penes eundem Ordinem, & alios eiuſdem Ordinis Religioſos.

Hoc ergò *num. XIX.* & repetit *XXII.* infert, de Iure Communi Monaſteria vtriuſque Palatinatus (& eadem eſt ratio cæterorum in Germania) per Cæſarem ab Hæreticorum manibus recuperata, Iure poſtliminij reſtituenda eſſe Ordini S. Benedicti, cujus olim erant, & ſingulas per-

perſonas Ordinis poſſe agere pro eiuſdem vtilitate.

45. Si probatum fuiſſet Monaſteria recuperata, illorumque Iura ac bona olim fuiſſe in Dominio totius Ordinis S. Benedicti, vel alicuius alterius Monaſterij eiuſdem Ordinis, & non fuiſſent ſolum in dominio ſingulorum Collegiorum, quæ per Monachorum omnium mortē ſoluta ſunt; illatio eſſet legitima; ſed cùm res aliter ſe habeat, nulla eſt.

46. *Num. XX.* Infert, non obſtare à ſe dictis, quod nulli ex Abbatibus & Monachis expulſis hodiè ſuperſint. quia nihilominus alij eiuſdem Religionis & Ordinis in eorum locum ſubſtituendi, & ſubrogandi ſunt.

47. Reſpondeo, Auctores & Textus ibidem citatos hoc nō probare. dum enim ſcribūt in *c. cum ex iniunct. de nou. Oper. nunc.* tantùm dicunt, ſi ex facto alicuius Tyranni, vna Eccleſia deſtruatur (vt contigit in Germania) illam retinere omnia priuilegia, & Clericos poſſe ſe appellare Canonicos, & ijs mortuis alios in eorum l. cum ſubſtituendos eſſe. Dixi autem ſupra, hæc eſſe intelligenda in caſu, quo non ſit ſolutum Collegium, & debere alios ſubſtitui, dum Collegio manēte Canonici ſucceſſiuè moriuntur. Gloſſa verò *in c. ſtatutum. de Elect. in 6.* vt etiam ſupra demonſtraui, loquitur in caſu, quo Collegium ſit quidem diſſolutum, ſed in vno ſuperſtite remanſerint, vt remanere poſſunt, omnia ipſius Iura.

48. *Num. XXI.* Aſſerit P. Romanus, ex dictis tolli diſtinctionem P. Laymanni inter Monaſteria in Congregationem redacta, & nō redacta; quod nullo Iure probetur, imò reprobetur expreſsè, & varios textus producit, qui nihil omninò probanr. Et ſi quidem *conſideremus. Authentica de Trient. & ſemiſſ.* nil aliud habet ad hanc rem, niſi quòd ſine lege nihil affirmandum eſt. Hoc P. Romano & illi Aduocato, cuius verba refert, credimus etiam aſſerentibus ſine lege; ſed negamus, nulla lege aut textu inniti P. Laymanni & Contrariorum Aduocatorum ſententiam; dum dicunt, aliam eſſe rationem Monaſteriorum, quæ redacta ſunt in Cōgregationem, ita vt habeant Communionem bonorum, aliam Monaſteriorum, quæ non ſunt talia, in hoc negotio & Cōtrouerſia. An diſſoluto aliquo Monaſterio per omnium mortem, Ius & Dominium Iurium & bonorum illius ſit penes Cōgregationem & reliquos Monachos & Abbates; quia ſi Monaſterium ſit vnicum, &c. Dominium Monaſterij occupati manet penes reliqua Monaſteria, & illa quoque cenſentur ſpoliata, & conſequenter habere *Ius & Actionem Vindicandi,* quâ doctrinâ nulla magis Iure fundata eſt. Quod verò ibidem dicitur, hanc doctrinam expreſsè reprobari *l. cum per loca ff. de rel. & ſumpt. funer. & Gloſſa in c. Paſtoralis 7. q. 1. in verbo reuertaris*; præcisè negatur. ibi enim ſolum decernitur, Eccleſiam per captiuitatem Prælati deſinere eſſe locum religioſum, in hoc ſenſu, vt ait Gloſſa, *quia viduatus eſt ſacris miniſterijs.* Deinde, quod additur, Canones ſine diſtinctione,

Digitized by Google

ctione, præcipere & permittere Ordini religioſo ſuorũ Monaſteriorum ex ſuo Ordine reformationem, & Ordinationem, & indiſtinctè prohibere, fieri ſæcularia habitacula; paulò antè expoſitum eſt, in illis Canonibus eſſe ſermonem in caſu, quo Monaſteria perſeuerent eſſe Collegia, non autem ſi ſint ſoluta per omnium mortem.

49. Poſtremò, quod Gloſſa *in c. porrò 16. q. 3.* dicat, ſic in Germania & Pannonia fuiſſe receptas poſſeſſiones Eccleſiarum hoſtilitate Saracenorum per centum aut plures annos auulſas, non eſt ad rem, quia nemo negat, poſſe ac debere recipi poſſeſſiones Eccleſiarum & Monaſteriorum in Germania occupatorum ab hæreticis poſt Paſſauicam tranſactionem; ſed caput difficultatis eſt, quinam *Iure proprio* repetere poſſint; quinam habeant *Ius & Actionem Vindicationis, & remedium poſſeſſorium.* In hoc oportet laborare, & textus concludentes adducere, & non facere fucum lectoribus, alienis à cauſa congerendis.

Numeri XXII. Confutationem vide *Num. XXVI.*

Num. XXIII.

SVMMARIA.

50. *Obijcitur, quod Iure deuolut. Monaſteria reſtituenda ſunt ijſdem.*

51. *Confutatur. quia hic non eſt deuolutio propriè. C. c. 4. Nec ex debito vnius infertur Ius alterius.*

50. Confirmat ex ſupradictis, Monaſteria recuperata eſſe reſtituenda Monachis eiuſdem Ordinis, quia Monaſterijs *Vacantibus Iure deuolutionis*, de ijſdem prouideri debet. Cùm ergò *Actio* nihil aliud ſit, quam *Ius proſequendi, quod ſibi debetur,* & toties in Canonibus allatis dicatur *debent, oportet, ſubſtituendi ſunt, habent ſubſtitui, debent ſubrogari,* perſonæ eiuſdem Qualitatis & Ordinis, & verbum *oportet* ſapiat præceptum, & verbum *debet* importet neceſſitatem, eademque verba *omnem omninò Actionem* comprehendant; hinc fit Monachos habere *Ius & Actionem* etiam *Vindicationis* reſpectu Monaſteriorum, quæ recuperata ſunt.

51. Reſpondeo primò, Monaſteria, de quibus agimus, vt toties dixi, non eſſe conferẽda *Iure deuolutionis* iſtius, quam P. Romanus ponit, quia illam Iura nõ agnoſcunt. Secundò reſpondeo ex P. Laymanno, etiamſi concedamus reperiri aliquem Canonem, quo præcipiatur Epiſcopis, vt Monaſteria huiuſmodi, ſi exempta non ſint, per eiuſdem Ordinis Religioſos ordinent; non tamen inde rectè infertur, Abbatibus & Monachis aliorum Monaſteriorum *Ius* & propriè dictam *Actionem* competere; quia non omnis lex aut præceptum, quo decernitur aliquid dari, aut fieri oportere in fauorem alicuius, tribuit illi propriè dictam *Actionem*; ſed opus eſt, vt per illam legem aut præceptum Ius acquiratur, cui obligatio iuſtitiæ reſpondeat; hinc fit, vt licet hæres defuncti, qui votum ediderat dotandi puellam inopem, quod non ſit inſinuatum neque

que acceptatum; obligetur ad exequendum, & poſſit à Iudice ad id cōpelli *ex l.2.ff.de pollicit.* non tamen propterea puellæ competit *Actio propriè dicta* ad illam dotem, oportuiſſet ergò,vt P.Romanus primùm produceret Canones, quibus præciperetur, vt Monaſteria ſoluta per omnium mortem,reſtituerentur perſonis eiuſdem Ordinis, quod non fecit. Deinde,vt oſtenderet, etiam per illos Canones importari debitum Iuſtitiæ, quod multò minus præſtitit: & conſequenter non probauit *ex dictis*, Monachis viuentibus *competere Ius & Actionem ad repetenda Monaſteria recuperata.*

Num. XXIV. *vſque ad* XXXIV.

SVMMARIA.

52. *P.Laym.aſſertio, neminem eſſe qui habeat Ius vindicandi Monaſteria.*
53. *Reſpondet P.Rom. eſſe Abbates & Monachos eiuſdem Ordinis.*
54. *Sed petit principium. nec eſt eadem ratio de Monaſterio acquirendo & deſtructo.*
55. *Quod Eccleſia facto Prælati ſpoliata reſtitui debeat,non eſt ad rem.*
56. *Aliud Arg. P. Romani, quia quilibet agere poteſt nomine Eccleſiæ.*
57. *Ergò multò magis Abbatibus Monaſt.*
58. *Et quilibet Monachorum.*
59. *Et Abbas Montis Caſſin.& Fulden.*
60. *Et hæredes Fundatorum.*
61. *Et Aduocati Monaſt.*
62. *Et Locorum Ordinarij.*
63. *Et Sedes Apoſtolica.*
64. *Reſponſ.ad omnia eſt, iſtis non competere Actionem Vindicationis, de qua eſt Quæſtio.C.c.4.* (man.
65. *Summa totius Argumentationis P.Ro-*
66. *Demonſtratur eſſe nullam.*
67. *Cur negetur conſequentia in ſenſu intento ab arguente.*

52. Hi & prædicti numeri eò pertinent,vt oſtendatur P. Laymannum *grauiſſimè allucinatum* eſſe (verba ſunt P.Romani *num.*XXXIII. *verſ. ex quibus omnibus*) *quando ſcripſit,neminem hominum iam reperiri, qui ſibi Ius & Actionem ad Monaſteria eidem Ordini reſtituenda vindicare poſſit, neq; vllum Iuris textum poſſe produci, in quo dicatur, Monaſterium reſtituendum eſſe eiuſdem Ordinis Religioſis, poſito quod Congregatio particularis, ſeu Conuentus, cui Monaſteriū iniuſtè ablatum fuit,extinctus ſit.* ſcripſit autem hæc P. Layman. in *iuſta Defenſione fol.*19.491.

53. *Numero ergò* XXIV. affirmat, meritò Abbates & Monachos Ordinis S.Benedicti adeſſe,non quâ intitulati ſunt in ſuis Monaſterijs,ſed quâ Religioſi eiuſdem Ordinis & familiæ, & quâ filij S.Benedicti, & repetere *Iure hæreditario* legibus ſibi conceſſo Parentis ſui patrimonium ab hoſtibus direptum: quia ſi Religioſis alicuius Ordinis conceditur Actio pro Monaſterio comparando, quod nunquam habuerunt,& in quo nullus adhuc titulum acquiſiuerat:quantò magis pro eo,quod poſſederunt, & quo ſpoliati ſunt?

54. Reſpondeo,ſemper peti principium. Religioſi & Monaſteria quæ nunc ſunt, nec poſſederunt, nec ſpoliata ſunt,ſicut nec totus Ordo;& miror, P. Romanum adeò verſatum in

Iure Canonico, dicere bona Eccleſiaſtica poſſe repeti *Iure hæreditario*. Non eſt autem par ratio de Monaſterio acquirẽdo, & iam deſtructo per omniũ mortem. nam, ſi quis Iure legati relinquat bona ſua, vt fundetur vnum Monaſteriũ S. Benedicti, toti Ordini acquiritur Ius; & eo ipſo, ꝙ aliqui Monachi in locum deſignatum introducantur, extinguitur obligatio, & illud particulare Collegium ibi conſtitutũ, & Cõgregatio habet Ius & Dominium, &c. peculiare, in quo non communicant vlla alia Monaſteria Ordinis: ſi verò aliquod Monaſterium deſtruatur per omnium mortem; nulli alteri competit vllum Ius. quia ſingula Monaſteria habent Iura & bona Incommunicabilia.

55. *Num. XXV.* docet, Eccleſiam bonis ſuis, etiam facto Prælati nulliter vel iniuſtè ſpoliatam, ſpolio agere poſſe, & reſtitui. Sit ita. quid hinc inferatur, non video.

56. *Num. XXVI.* oſtendit, ſi Iudices abſentium, qui cuiuſlibet rei poſſeſſione priuati ſunt, ſuſcipiunt in Iure perſonas, ita vt etiam amicus ſine mandato, admittatur ad recuperandam poſſeſſionem, quâ quis abſens ſpoliatus eſt; ſi denique cuiuis de populo competit Actio, & quilibet de populo poteſt agere, vt relicta ad pias cauſas adimpleantur; multò magis poſſe quemlibet agere nomine Eccleſiæ ad recuperanda Monaſteria occupata.

57. Et *Num. XXVII.* hoc Ius maximè competere demonſtrat Dominis Abbatibus & Monachis, quorum Ordini facta fuit fundatio, ſicut de facto admiſſi ſunt in Cæſarea & Spirenſi Imperiali Camera, & in Curia Romana.

58. Et *Num. XXVIII.* cùm Ordo Sancti Benedicti ſit Vniuerſitas, poſſe quemlibet de hac Vniuerſitate, agere ad ea quæ ad honorem Vniuerſitatis tendunt.

59. Et *Numer. XXIX.* poſſe agere Dominum Abbatem montis Caſſini, qui eſt caput Ordinis & Religionis: poſſe etiam agere Abbatem Fuldenſem Sacri Romani Imperij Principem, qui in Germania & Gallia eſt Primas Ordinis.

60. *Num. XXX.* agere poſſe hæredes & deſcendentes à Fundatoribus & dotantibus Monaſteria & Eccleſias.

61. Et *Num. XXXI.* ſimiliter agere poſſe Aduocatos Cœnobiorum tam particulares, quam Vniuerſalem, qui eſt Romanorum Imperator.

62. Et *Numer. XXXII.* prætereà poſſe agere locorum Ordinarios, idque nomine Eccleſiæ Vniuerſalis, vel particularis, aut Ordinis; ſicut poteſt quilibet alius. pro Monaſterijs verò ſeu locis non exemptis proprio Epiſcopatus nomine quoad recuperanda Iura Diœceſana, & pro exercendo Iure vocis Actiuæ ad ſe per mortem omnium de Collegio deuolutæ.

63. Et *Num. XXXIII.* denique adeſſe Sedem Apoſtolicam omnium matrem, quę ſarta tectaque manu tenere debet Iura, priuilegia, & ſtatum antiquum dictorum Monaſteriorum.

64. Gra-

64. Gratias habeo P. Romano, quod mihi indicauerit duo illa loca *iuſtæ Defenſionis* P. Laymanni. nam ex illis ipſis ſupperit facilis & expedita defenſio eiuſdem Patris. Nuſquam dixit ille, *neminem hominum iam reperiri, qui inſtituere poſſit Actionem ad Monaſteria ab hæreticis occupata recuperanda.* neque enim ignarus erat, competere Romano Pontifici & Apoſtolicæ Sedi, alijſque Epiſcopis & Prælatis Ordinarijs, in quorum Diœceſi ea ſunt, tanquã Adminiſtratoribus, Diſpenſatoribus, & Ordinatoribus: non ignorabat, competere Cæſari Vniuerſali Eccleſiarũ Patrono, & Fundatorum hæredibus & deſcendentibus, & Aduocatis Cœnobiorum, & Abati Fuldenſi & Caſſinenſi, & cuilibet Monacho Benedictino, imò & cuilibet de Clero & populo, ſolum ergò affirmauit, neminem hominum eſſe, qui ſibi *Ius & Actionem vindicare* poſſit *Tituli ſeu Proprietatis Iure* ad Monaſteria occupata recuperãda. huiuſmodi enim *Ius & Actio* ſolum competit ijs, qui fuerũt ſpoliati, vel eorum hæredibus & Succeſſoribus: illæ autem perſonæ, quæ à P. Romano nominantur, non poſſunt repetere *Iure proprietatis aut tituli, ſiue quaſi domini,* ſed alijs nominibus, quæ non inferunt *Ius & Actionem Vindicationis.* Qua diſtinctione poſita finem impono huic primæ Parti. nam quæ fusè à P. Romano his numeris diſputantur, nullum faceſſere poſſunt negotium, vel medioctiter intelligenti. Placet nihilominus antequam Secũdam partem aggrediar, quam pauciſſimis verbis ad legitimam Argumentationis formam totum hunc diſcurſum P. Romani redigere, vt clarius appareat, quàm nihil probet.

SVMMA ARGVMENtationis, qua P. Romani totus diſcurſus comprehenditur.

65. QVotieſcunque aliqua Eccleſia Collegiata, etiam Regularis *vacat*, & *Iure deuolutionis* cõferenda, prouidenda, vel ordinanda eſt: nũc de Iure communi neceſſariò debet prouideri, ordinari, & conferri perſonis qualificatis & eiuſdem Religionis, quibus tantum Iure Ordinario ſeu proprio conferenda erat, & conſequenter perſonæ eiuſdem Ordinis ſolæ habent Ius Electionis paſſiuæ, & ſi aliter factum fuerit; eidem Ordini competit *Ius & Actio ad vindicandam* talem Eccleſiam tanquam ſpoliato.

Atqui Monaſteria, de quibus controuerſia eſt, recuperata ab hæreticis, *vacant*, & ſunt conferenda, prouidenda, ſeu ordinanda Iure deuolutionis. ergò.

De Iure communi neceſſariò debet prouideri, ordinari, ſeu conferri Monachis eiuſdẽ Ordinis, quæ ſolæ ſunt perſonæ qualificatæ, & quibus Iure proprio, & Ordinario conferri ſolebant. & ſi hoc non fiat; Ordini ipſi competit Ius, & Actio ad illa repetenda & vindicanda tanquam ſpoliato.

Reſpondetur.

66. Conceſſa maiore propoſitione, negatur minor, & conſequentia in ſenſu ab arguente intento.

Ratio, cur negetur minor, eſt, quia Monaſteria de quibus agimus, nõ *va-*

 cant;

Digitized by Google

cant; ſed *extincta* ſunt, & per omnium Monachorum mortem ante tot annos Conuentus ipſe & Collegiũ Monachorum diſſolutum eſt, cui ſunt annexi tituli Abbatis, Præpoſiti, Prioris, &c. & propterea ipſorum *bona* cenſentur *vacantia*, & ſub diſpoſitione Principis Reipublicæ Eccleſiaſticæ, qui proinde poteſt ordinare, & prouidere huiuſmodi Monaſteria *Iure proprio & ordinario*, & non *Iure deuolutionis*; cum ſupra demonſtratum ſit, Canones agnoſcere ſolũ tres deuolutionis modos, ſi videlicet Electores non eligant intra tempus debitum, vel eligant indignum, vel in Electione non ſeruent debitam formam; in hoc autẽ caſu nullus reperitur ex his modus.

67. Ratio verò, cur negetur conſequentia in ſenſu ab arguente intento; eſt, quia ille intelligit, ex debito iuſtitiæ Superiores teneri conferre hæc Monaſteria Monachis eiuſdem Ordinis, & ipſum Ordinem habere Ius, & Actionem tanquam ſpoliatum ad ea repetenda, quæ omnia, vt docuimus, ſunt falſiſſima. Poteſt ſolum conſequentia eſſe vera in hoc ſenſu, quod eidem Ordini reſtituenda ſint *ex quadam æquitate*; & quod Ordo ipſe, & Monachi habeant *Ius* & *Actionem* tantum *popularem*, qualem quiuis de Clero, imò & de populo, vt ſupra declaratum eſt.

THEORICA SECVNDÆ PARTIS, I. QVAESTIONIS.

De reſponſionibus P. Romani ad Argumenta nouem à ſe propoſita, ac primum Reſponſionis ad primum Argumentum.

VIdimus hactenus, quàm nullo nitatur Iure Ius ad Titulos Abbatis, &c. & ad Monaſteria cum annexis bonis recuperanda, & cõſequenter, quàm malè funda ta ſit Actio, quam P. Romanus competere putat antiquis Ordinibus pro recipiendis Monaſterijs, quæ recuperata ſunt è manibus hæreticorum; & quam infirmis rationibus, & alienis textibus ſuam Aſſertionem ſtabilire conatus fuerit. Examinandum nunc eſt, quàm parum benè ſatisfecerit contrarijs argumentis, quæ in tituli examine dixi, fuiſſe à ſe propoſita: licet enim tantùm tria ex illis præcipuè allata fuerint à P. Laymanno, & totidem ab Authore *Placidæ Diſceptationis*; tamen

tamen P. Romanus auxit vſque ad nouem, vt initio indicaui. Seruabimus autem eundem ordinem, quem in primâ huius quæſtionis parte obſeruauimus, vt ipſius reſponſiones ſingulis numeris explicatas, ſuis ponderibus examinemus & perpendamus.

THEORICA RESPONSIONIS ad primum Argumentum.

Num. XXXIV.

SVMMARIA.

68. *Quid ſit Canonia Monachalis.*
69. *Monachus ſit membrum vnius tantum Monaſterij.*

68. Præmittit quid ſit *Canonia* Monachalis, & definit, *eſſe Ius quoddã, quod ex receptione alicuius in Monachum de nouo creatur, & conſiſtit in eo, quod receptus in Societatem Ordinis, debeat cenſeri membrũ corporis, ſeu Congregationis Religioſæ, ex quo ſequitur ei ſtallum in choro & vocem in Capitulo deberi.* Deinde definit, quid ſit *Prabenda*, *Perſonatus*; & *Titulus*. 69. Allatam definitionem non improbo: moneo tamen, receptum in Monachum fieri membrum propriè illius Monaſterij peculiaris, in quo emittit profeſſionem, & in eo ſolùm habere Ius ſtalli in Choro, & vocis in Capitulo, & Præbendam, Perſonatũ, & Titulum. Nam noſtra Controuerſia eſt de Monachis, qui edunt Profeſſionẽ cum ſtabilitate loci; hoc eſt, determinatè ad illud Monaſteriũ, & vouent Obediẽtiam illius Abbati; ex quo fit, vt non habeãt Ius in alijs Monaſterijs eiuſdem Ordinis, neque volentes aut nolentes poſſint transferri de vno ad aliud pro libitu Superioris, vti benè docet Nauar. *com.* 4. *de Regul. num.* 23. ad eum prorſus modũ, quo Canonicus in vna Collegiata habet titulum dumtaxat in ea Eccleſia & non in alia. tales ſunt Monachi S. Benedicti, Canonici Regulares S. Auguſt. Ciſtercienſes, Præmonſtratenſes.

Num. XXXV.

SVMMARIA.

70. *Quid ſit Monaſterium eſſe extinctum, ex ſententia P. Layman.*
71. *P. Romanus indignis modis agit contra P. Layman.*
72. *Acceptio vocis Monaſterij P. Roman. impugnatur.*
73. *Duplex genus Iurium, realia, & perſonalia.*
74. *Realia non pereunt pereuntibus Perſonis aut Collegio, ſed loco deſtructo abſque ſpe reſtaurationis, nec Perſonalia deſtructo loco materiali.*
75. *Collegium deſtruitur vel abſque ſpe, vel cum ſpe reſtaurationis.*
76. *Titulus Abbatiæ, Prioratus, &c. ſunt Iura perſonalia competentia Collegio.*
77. *Duplici comparatione oſtenditur, ſoluto Collegio & Monaſterio omnium morte, extingui Titulos Abbatis, &c.*

Digitized by Google

nes, &c. ſi primum; verè affirmat ſe à P. Laym. diſſentire: ſed non video, cur ſimul cũ Titulis numerauerit fundationes. ſi ſecũdum; falſo ait, P. Laymannum affirmare, hæc omnia eſſe extincta: nam pluribus locis concedit, Iura realia conſeruari penes Monaſterium ſumptum pro habitatione materiali. Deinde quæro, quid intelligat nomine habitatorum Religioſorum in ſecunda acceptione Monaſterij; an ipſam Congregationẽ & Collegium Monachorum, qui ſunt perſona quædam repræſentata, an Monachos ſingulares & ipſos perſonas veras. Si primum; non poteſt negare, Monaſteria complura eſſe extincta, cum eorum omnes habitatores ad vnum iam pridem mortui ſint: ſi ſecũdum; dupliciter peccat; ſemel quia textus, quos citat, ſunt accipiendi ſolũ de Monaſterio vt ſignificat Collectionẽ: iterũ, quia in ſua partitione omiſit hanc Acceptionem vocis Monaſterij, quâ tamen nulla frequentius occurrit in Iure. Sed omiſſis vocibus veniamus ad rem.

73. Primùm: exploratiſſimum eſt, Monaſterijs & quibuſcunque Collegijs licitis duplex Genus Iurium competere ex communi ſententia Doctorum in *lege. interſtipulantem §. ſacram. ff. de verb. obligat.* Alia dicuntur *Iura realia*, alia *perſonalia*. *Realia* ſunt v.g. cenſus annui, redditus, prouentus &c. quia huiuſmodi iura immediatè adhærent loco, ſeu fundo, & ſolo materiali Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, & mediante loco, & re materiali, competunt etiã ipſis perſonis, Conuentui, Collegio, & Monaſterio, & propterea ſolent etiam appellari *Iura localia*. *Iura* autem *Perſonalia* Collegiorum, de quibus nunc loquor, dicuntur illa, quæ competunt & adhærent immediatè perſonis de Collegio, non prout ſingulares perſonæ ſunt; ſed quatenus conficiũt ſimul ſumptæ Collegium, & Congregationem, & Corpus quoddam politicum; quam ob rem ſolent appellari etiam *Iura corporalia*. tale Ius eſt v.g. Iuriſdictio ſpiritualis, quæ cõpetit Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Sede vacante &c.

74. Secundò Not. *Iura* illa, quæ vocãtur *realia*, etiam ſi moriantur ſingulæ perſonæ de Collegio; non extingui aut deficere; quia non ſunt fundata in ipſarum ſingularum perſonarum vita: ſed adhærẽt ipſi rei, & loco materiali v.g. Eccleſiæ: & ob hanc eandem rationem non pereunt; etiamſi totum Collegium ſoluatur, quia non adhærent ei immediatè, ſed loco. Extinguuntur tamen, ſi ipſe locus materialis & Eccleſia deſtruatur abſque ſpe reſtaurationis, vt fit, quando deſtruitur authoritate Superioris, vt communis Doctorum ſententia habet, & ratio perſuadet, quia competebant ipſi loco & Eccleſiæ materiali. Pari ratione, *Iura perſonalia* Collegij, & Monaſterij, licet locus habitationis materialis, & Monaſterium ipſum & Eccleſia deſtruantur; non extinguuntur; quia non competebant immediatè loco; ſed perſonis collectiuè ſumptis, & Collegio & Congregationi Monachorum. Et contra; quamuis locus, & Habitatio materialis integra per-

Google

permaneant; ſi Collegium ipſum, & Monaſterium; prout ſignificat collectionem perſonarum, diſſoluatur ſine ſpe reſtaurationis; extinguuntur.

75. Tertiò Not. ex doctrina Baldi *in procemio ff. col. 2.* Collegium aliquod deſtrui, vel omninò deſeri poſſe duobus modis: aliquando *ſine ſpe*, aliquando *cum ſpe* reſtaurationis. Illa autem ſola in Iure vocatur *ſpes*, quæ fundatur in aliqua cauſa exiſtente de præſenti, ex qua poſſit ſequi reſtauratio, vt benè tradit Barthol. *in l. ſi vxor. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Sic Matrimonium dicitur eſſe *in ſpe*, ſi ſponſalia iam fuerint contracta. Si ergò Collegium & Monaſterium deſeratur, aut deſtruatur primo modo, *ſine ſpe* reſtaurationis; bona, & *Iura realia* ad illud ſpectantia, dicuntur *vacare* & pertinere ad diſpoſitionem Principis Eccleſiaſtici, qui eſt Papa. quia, cum nullus ſit iam eorum poſſeſſor, nec *in re* nec *in ſpe*; neceſſario ſpectant ad Principem Reipublicæ, ſiue ad fiſcum *ex leg. 1. C. de bonis vacant. & l. 1. ff. de Iure Fiſci.* Si verò deſtruatur ſecundo modo, id eſt *cum ſpe* reſtaurationis, licet omnes Collegiales & Monachi mortui ſint; bona tamen immobilia & cenſus iuxta benignam Iuris fictionem, cenſentur pertinere ad locũ & Monaſteriũ, ſeu Eccleſiam materialem, in qua tituli & Iura perſonalia *extincta* ſunt; quia illa bona ſunt acceſſoria, & ipſa Eccleſia & Monaſterium ipſum legitima Auctoritate alicui aſſignetur; is conſequenter acquirit Ius ad omnia bona, & cenſus, & quæcunque adhærentia Monaſterio, eaque repetere poteſt à poſſeſſoribus & detentoribus. Immò P. Laymannus concedit, ſi Monaſterium & Eccleſia ſoluta fuerit *cum ſpe* reſtaurationis; titulos & Prælaturas v.g. Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus &c. (licet ſint *extincta*) nihilominus, quia poſſunt, & ſolent per Prælatos reſuſcitari; ideò hac conſideratione, poſſe dici, *vacare*; quando de ijs nondum facta eſt prouiſio, aut collatio, vel alia Monaſterij translatio. Si autem fiat; conſequenter etiam transferri bona ac Iura Monaſterio adhærentia.

76. Quartò Not. Titulos Prælaturæ, Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus, &c. ex ſententia P. Laymanni & vera, eſſe *Iura non realia*; ſed *perſonalia* competentia immediatè Collegio Eccleſiaſtico & Monaſterio accepto in ſignificatione à nobis ſupra allata, quatenus ſcilicet ſignificat Collectionem & Congregationem Monachorum. Et ratio eſt; quia huiuſmodi Tituli fundantur immediatè in Sacratorum hominum officio & proprietate, hoc eſt, in Monachatu & Profeſſione Religioſa, ſicut Iuriſdictio Spiritualis, quam habet Capitulum Eccleſiæ, v.g. Sede vacante, fundatur in Clericatu; vndè ſi ſubtrahatur hoc fundamentũ per diſſolutionem Collegij & Monaſterij, quod conſtat perſonis religioſis; corruant neceſſe eſt, & *extinguantur* iſti Tituli, qui in eo fundantur, ad eum modum, quo *priuilegia perſonalia* alicui perſonæ conceſſa, ipſa perſona mortua, extinguuntur. & hoc maximè verum eſt, quando Collegia & Monaſteria deſtructa & diſſoluta ſunt

ſunt *abſque Spe* reſtaurationis.

77. Hæc P. Layma. doctrina explicari poteſt duplici comparatione. Abbas, ſicut & Epiſcopus, dicitur Sponſus, & Paſtor Eccleſiæ: ipſa verò Eccleſia Sponſa, & Grex. ſi alicuius Mulieris coniugatæ Vir moriatur, illa Mulier dicitur Vidua, & titulum ſeu appellationem Mariti reſpectu ipſius Viduæ nemo habet, quia tamen iterum nubere poteſt; idem titulus videtur quaſi eſſe in potentia. at, ſi Mulier ipſa moriatur; perit omninò, &, vt ſic loquar, extinguitur Mariti Titulus. Pari ratione philoſophandum eſt de Titulo Paſtoris, donec Grex manet, etiam ſi ad vnam ouiculam redigatur, manet titulus Paſtoris, licet qui actu paſcebat Gregem, moriatur. at ſi totus Grex intereat; Paſtoris Titulus nuſquam eſt, penitus ceſſauit, extinctus eſt. Cùm ergò Abbas ſit ſponſus, & Paſtor, non Monaſterij materialiter ſumpti, ſed Collegij Monachorum; conſequens eſt, vt nullo remanente ex Monachis & diſſoluto omnium morte Collegio, Titulus Abbatis, & ſimiles, extincti eſſe dicantur, *non vacantes*. Ratio à priori huius rei reddi poteſt, quia Titulus eſt quid reſpectiuum, & tamquam terminum reſpicit Collegium Monachorum. cùm ergò pereunte termino pereat relatio; infertur, Titulum Abbatis, ſublato per omnium mortem Collegio Monaſtico, periiſſe, & extinctum eſſe. Confirmatur primò ex eo, quod P. Romanus concedit infra *Num. XLIV.* Titulos non dici vacare in Eccleſijs nó numeratis, ſicut vacant in numeratis. Ratio autem diſcriminis non poteſt eſſe alia, niſi quia Eccleſijs numeratis debiti ſunt tot Canonici, & ideò vno demortuo, Titulus ille manet ſine poſſeſſore, & dicitur vacare: in Eccleſijs verò non numeratis, quia non eſt certus Canonicorum numerus; ſi vnus deſideretur, ille Titulus non dicitur *vacare*, ſed *extinctus*. quia in locum defuncti non debet alius ſuffici. Pari ergo ratione, quia diſſoluto Collegio Monaſtico per omnium mortem non debetur amplius Abbas, Prior, &c. hi quoque Tituli erunt *extincti*, non vacantes. Confirmatur ſecundò ex doctrina Baldi in Proœmio digeſtorum Num. 5. vbi affirmat, *quod ſi aliqua ciuitas deſtruatur, eò quòd eius incolatus deſeratur; ibi deinceps non eſt ponendus Epiſcopus. quia vbi amplius Populus fidelium non eſt,* non poteſt eſſe Epiſcopus. & conſequenter ibi Titulus Epiſcopatus non *vacat*, ſed *extinctus* eſt.

Ex his apparet, in quo ſita ſit vis primi argumenti P. Laymanni, quod P. Romanus ſequentibus numeris ſoluere aggreditur. Sentit enim P. Laymannus, Titulos Prælaturæ, Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus, &c. eſſe *Iura perſonalia* competentia Monaſterio; quatenus ſignificat Collegium & Congregationem Monachorum: & conſequenter, quia Monaſteria, de quibus eſt controuerſia, ante tot annos fuerunt diſſoluta *abſque vlla ſpe* reſtaurationis, imò tamdiu manſerunt, ſi licet ita dicere, *cum deſperatione*, vt poſſent aliquando è manibus hæreticorum eripi, & rurſus ordinari; ideò etiam cenſet, Titulos eorundem Monaſte-

Digitized by Google

ctione, præcipere & permittere Ordini religioſo ſuorũ Monaſteriorum ex ſuo Ordine reformationem, & Ordinationem, & indiſtinctè prohibere, fieri ſæcularia habitacula; paulò antè expoſitum eſt, in illis Canonibus eſſe ſermonem in caſu, quo Monaſteria perſeuerent eſſe Collegia, non autem ſi ſint ſoluta per omnium mortem.

49. Poſtremò, quod Gloſſa *in c. porrò 16. q. 3.* dicat, ſic in Germania & Pannonia fuiſſe receptas poſſeſſiones Eccleſiarum hoſtilitate Saracenorum per centum aut plures annos auulſas, non eſt ad rem, quia nemo negat, poſſe ac debere recipi poſſeſſiones Eccleſiarum & Monaſteriorum in Germania occupatorum ab hæreticis poſt Paſſauicam tranſactionem; ſed caput difficultatis eſt, quinam *Iure proprio* repetere poſſint; quinam habeant *Ius* & *Actionem Vindicationis,* & *remedium poſſeſſorium.* In hoc oportet laborare, & textus concludentes adducere, & non facere fucum lectoribus, alienis à cauſa congerendis.

Numeri XXII. Confutationem vide *Num.* XXVI.

Num. XXIII.

SVMMARIA.

50. *Obijcitur, quod Iure deuolut. Monaſteria reſtituenda ſunt ijſdem.*

51. *Confutatur. quia hic non eſt deuolutio propriè. C.c. 4. Nec ex debito vnius infertur Ius alterius.*

50. Confirmat ex ſupradictis, Monaſteria recuperata eſſe reſtituenda Monachis eiuſdem Ordinis, quia Monaſterijs *Vacantibus Iure deuolutionis,* de ijſdem prouideri debet. Cùm ergò *Actio* nihil aliud ſit, quam *Ius proſequendi, quod ſibi debetur,* & toties in Canonibus allatis dicatur *debent, oportet, ſubſtituendi ſunt, habent ſubſtitui, debent ſubrogari,* perſonæ eiuſdem Qualitatis & Ordinis, & verbum *oportet* ſapiat præceptum, & verbum *debet* importet neceſſitatem, eademque verba *omnem omninò Actionem* comprehendant; hinc fit Monachos habere *Ius & Actionem* etiam *Vindicationis* reſpectu Monaſteriorum, quæ recuperata ſunt.

51. Reſpondeo primò, Monaſteria, de quibus agimus, vt toties dixi, non eſſe conferẽda *Iure deuolutionis* iſtius, quam P. Romanus ponit, quia illam Iura nõ agnoſcunt. Secundò reſpondeo ex P. Laymanno, etiamſi concedamus reperiri aliquem Canonem, quo præcipiatur Epiſcopis, vt Monaſteria huiuſmodi, ſi exempta non ſint, per eiuſdem Ordinis Religioſos ordinent; non tamen inde rectè infertur, Abbatibus & Monachis aliorum Monaſteriorum *Ius* & propriè dictam *Actionem* competere; quia non omnis lex aut præceptum, quo decernitur aliquid dari, aut fieri oportere in fauorem alicuius, tribuit illi propriè dictam *Actionem*; ſed opus eſt, vt per illam legem aut præceptum Ius acquiratur, cui obligatio iuſtitiæ reſpondeat; hinc fit, vt licet hæres defuncti, qui votum ediderat dotandi puellam inopem, quod non ſit inſinuatum neque

que

que acceptatum; obligetur ad exequendum, & poſſit à Iudice ad id cõpelli *ex l.2.ff.de pollicit.* non tamen propterea puellæ competit *Actio propriè dicta* ad illam dotem, oportuiſſet ergò, vt P. Romanus primùm produceret Canones, quibus præciperetur, vt Monaſteria ſoluta per omnium mortem, reſtituerentur perſonis eiuſdem Ordinis, quod non fecit. Deinde, vt oſtenderet, etiam per illos Canones importari debitum Iuſtitiæ, quod multò minus præſtitit: & conſequenter non probauit *ex dictis*, Monachis viuentibus *competere Ius & Actionem ad repetenda Monaſteria recuperata.*

Num. XXIV. *vſque ad* XXXIV.

SVMMARIA.

52. *P.Laym.aſſertio, neminem eſſe qui habeat Ius vindicandi Monaſteria.*
53. *Reſpondet P.Rom. eſſe Abbates & Monachos eiuſdem Ordinis.*
54. *Sed petit principium. nec eſt eadem ratio de Monaſterio acquirendo & deſtructo.*
55. *Quod Eccleſia facto Prælati ſpoliata reſtitui debeat, non eſt ad rem.*
56. *Aliud Arg. P. Romani, quia quilibet agere poteſt nomine Eccleſiæ.*
57. *Ergò multò magis Abbatibus Monaſt.*
58. *Et quilibet Monachorum.*
59. *Et Abbas Montis Caſſin.& Fulden.*
60. *Et hæredes Fundatorum.*
61. *Et Aduocati Monaſt.*
62. *Et Locorum Ordinarij.*
63. *Et Sedes Apoſtolica.*
64. *Reſponſ.ad omnia eſt, iſtis non competere Actionem Vindicationis, de qua eſt Quæſtio.C.c.4.* (*man.*
65. *Summa totius Argumentationis P.Ro-*
66. *Demonſtratur eſſe nullam.*
67. *Cur negetur conſequentia in ſenſu intento ab arguente.*

52. Hi & prædicti numeri eò pertinent, vt oſtendatur P. Laymannum *grauiſſimè allucinatum* eſſe (verba ſunt P. Romani *num.XXXIII. verſ. ex quibus omnibus*) *quando ſcripſit, neminem hominum iam reperiri, qui ſibi Ius & Actionem ad Monaſteria eidem Ordini reſtituenda vindicare poſſit, neq; vllum Iuris textum poſſe produci, in quo dicatur, Monaſterium reſtituendum eſſe eiuſdem Ordinis Religioſis, poſito quod Congregatio particularis, ſeu Conuentus, cui Monaſteriũ iniuſtè ablatum fuit, extinctus ſit.* ſcripſit autem hæc P. Layman. in *iuſta Defenſione fol.19.491.*

53. *Numero ergò* XXIV. affirmat, meritò Abbates & Monachos Ordinis S.Benedicti adeſſe, non quâ intitulati ſunt in ſuis Monaſterijs, ſed quâ Religioſi eiuſdem Ordinis & familiæ, & quâ filij S.Benedicti, & repetere *Iure hæreditario* legibus ſibi conceſſo Parentis ſui patrimonium ab hoſtibus direptum: quia ſi Religioſis alicuius Ordinis conceditur Actio pro Monaſterio comparando, quod nunquam habuerunt, & in quo nullus adhuc titulum acquiſiuerat: quantò magis pro eo, quod poſſederunt, & quo ſpoliati ſunt?

54. Reſpondeo, ſemper peti principium. Religioſi & Monaſteria quæ nunc ſunt, nec poſſederunt, nec ſpoliata ſunt, ſicut nec totus Ordo; & miror, P. Romanum adeò verſatum in

Iure Canonico, dicere bona Eccleſiaſtica poſſe repeti *Iure hæreditario*. Non eſt autem par ratio de Monaſterio acquirẽdo, & iam deſtructo per omniũ mortem. nam, ſi quis Iure legati relinquat bona ſua, vt fundetur vnum Monaſteriũ S. Benedicti, toti Ordini acquiritur Ius, & eo ipſo, quod aliqui Monachi in locum deſignatum introducantur, extinguitur obligatio; & illud particulare Collegium ibi conſtitutũ, & Cõgregatio habet Ius & Dominium, &c. peculiare, in quo non communicant vlla alia Monaſteria Ordinis: ſi verò aliquod Monaſterium deſtruatur per omnium mortem; nulli alteri competit vllum Ius. quia ſingula Monaſteria habent Iura & bona Incommunicabilia.

55. *Num.* XXV. docet, Eccleſiam bonis ſuis, etiam facto Prælati nulliter vel iniuſtè ſpoliatam, ſpolio agere poſſe, & reſtitui. Sit ita. quid hinc inferatur, non video.

56. *Num.* XXVI. oſtendit, ſi Iudices abſentium, qui cuiuſlibet rei poſſeſſione priuati ſunt, ſuſcipiunt in Iure perſonas, ita vt etiam amicus ſine mandato, admittatur ad recuperandam poſſeſſionem, quâ quis abſens ſpoliatus eſt; ſi denique cuiuis de populo competit Actio, & quilibet de populo poteſt agere, vt relicta ad pias cauſas adimpleantur; multò magis poſſe quemlibet agere nomine Eccleſiæ ad recuperanda Monaſteria occupata.

57. Et *Num.* XXVII. hoc Ius maximè competere demonſtrat Dominis Abbatibus & Monachis, quorum Ordini facta fuit fundatio, ſicut de facto admiſſi ſunt in Cæſarea & Spirenſi Imperiali Camera, & in Curia Romana.

58. Et *Num.* XXVIII. cùm Ordo Sancti Benedicti ſit Vniuerſitas, poſſe quemlibet de hac Vniuerſitate, agere ad ea quæ ad honorem Vniuerſitatis tendunt.

59. Et *Numer.* XXIX. poſſe agere Dominum Abbatem montis Caſſini, qui eſt caput Ordinis & Religionis: poſſe etiam agere Abbatem Fuldenſem Sacri Romani Imperij Principem, qui in Germania & Gallia eſt Primas Ordinis.

60. *Num.* XXX. agere poſſe hæredes & deſcendentes à Fundatoribus & dotantibus Monaſteria & Eccleſias.

61. Et *Num.* XXXI. ſimiliter agere poſſe Aduocatos Cœnobiorum tam particulares, quam Vniuerſalem, qui eſt Romanorum Imperator.

62. Et *Numer.* XXXII. præterea poſſe agere locorum Ordinarios, idque nomine Eccleſiæ Vniuerſalis, vel particularis, aut Ordinis; ſicut poteſt quilibet alius. pro Monaſterijs verò ſeu locis non exemptis proprio Epiſcopatus nomine quoad recuperanda Iura Diœceſana, & pro exercendo Iure vocis Actiuæ ad ſe per mortem omnium de Collegio deuolutæ.

63. Et *Num.* XXXIII. denique adeſſe Sedem Apoſtolicam omnium matrem, quę ſarta tectaque manu tenere debet Iura, priuilegia, & ſtatum antiquum dictorum Monaſteriorum.

64. Gra-

64. Gratias habeo P. Romano, quod mihi indicauerit duo illa loca *iuſtæ Defenſionis* P. Laymanni. nam ex illis ipſis ſuppetit facilis & expedita defenſio eiuſdem Patris. Nuſquam dixit ille, *neminem hominum iam reperiri, qui inſtituere poſſit Actionem ad Monaſteria ab hæreticis occupata recuperanda.* neque enim ignarus erat, competere Romano Pontifici & Apoſtolicæ Sedi, alijſque Epiſcopis & Prælatis Ordinarijs, in quorum Diœceſi ea ſunt, tanquã Adminiſtratoribus, Diſpenſatoribus, & Ordinatoribus: non ignorabat, competere Cæſari Vniuerſali Eccleſiarũ Patrono, & Fundatorum hæredibus & deſcendentibus, & Aduocatis Cœnobiorum, & Abati Fuldenſi & Caſſinenſi, & cuilibet Monacho Benedictino, imò & cuilibet de Clero & populo, ſolum ergò affirmauit, neminem hominum eſſe, qui ſibi *Ius & Actionem vindicare* poſſit *Tituli ſeu Proprietatis Iure* ad Monaſteria occupata recuperãda. huiuſmodi enim *Ius & Actio* ſolum competit ijs, qui fuerũt ſpoliati, vel eorum hæredibus & Succeſſoribus: illæ autem perſonæ, quæ à P. Romano nominantur, non poſſunt repetere *Iure proprietatis aut tituli, ſiue quaſi domini,* ſed alijs nominibus, quæ non inferunt *Ius & Actionem Vindicationis.* Qua diſtinctione poſita finem impono huic primæ Parti. nam quæ fusè à P. Romano his numeris diſputantur, nullum faceſſere poſſunt negotium, vel mediocriter intelligenti. Placet nihilominus antequam Secũdam partem aggrediar, quam pauciſſimis verbis ad legitimam Argumentationis formam totum hunc diſcurſum P. Romani redigere, vt clarius appareat, quàm nihil probet.

SVMMA ARGVMENTATIONIS, *qua P. Romani totus diſcurſus comprehenditur.*

65. QVotieſcunque aliqua Eccleſia Collegiata, etiam Regularis *vacat*, & *Iure deuolutionis* cõferenda, prouidenda, vel ordinanda eſt: nũc de Iure communi neceſſariò debet prouideri, ordinari, & conferri perſonis qualificatis & eiuſdem Religionis, quibus tantum Iure Ordinario ſeu proprio conferenda erat, & conſequenter perſonæ eiuſdem Ordinis ſolæ habent Ius Electionis paſſiuæ, & ſi aliter factum fuerit; eidem Ordini competit *Ius & Actio ad vindicandam* talem Eccleſiam tanquam ſpoliato.

Atqui Monaſteria, de quibus controuerſia eſt, recuperata ab hæreticis, *vacant*, & ſunt conferenda, prouidenda, ſeu ordinanda Iure deuolutionis. ergò.

De Iure communi neceſſariò debet prouideri, ordinari, ſeu conferri Monachis eiuſdẽ Ordinis, quæ ſolæ ſunt perſonæ qualificatæ, & quibus Iure proprio, & Ordinario conferri ſolebant. & ſi hoc non fiat; Ordini ipſi competit Ius, & Actio ad illa repetenda & vindicanda tanquam ſpoliato.

Reſpondetur.

66. Conceſſa maiore propoſitione, negatur minor, & conſequentia in ſenſu ab arguente intento.

Ratio, cur negetur minor, eſt, quia Monaſteria de quibus agimus, nõ *vacant;*

tamen P. Romanus auxit vſque ad nouem, vt initio indicaui. Seruabimus autem eundem ordinem, quem in primâ huius quæſtionis parte obſeruauimus, vt ipſius reſponſiones ſingulis numeris explicatas, ſuis ponderibus examinemus & perpendamus.

THEORICA RESPONSIONIS *ad primum Argumentum.*

Num. XXXIV.

SVMMARIA.

68. *Quid ſit Canonia Monachalis.*
69. *Monachus ſit membrum vnius tantum Monaſterij.*

68. Præmittit quid ſit *Canonia* Monachalis, & definit, *eſſe Ius quoddã, quod ex receptione alicuius in Monachum de nouo creatur, & conſiſtit in eo, quod receptus in Societatem Ordinis, debeat cenſeri membrũ corporis, ſeu Congregationis Religioſæ, ex quo ſequitur ei ſtallum in choro & vocem in Capitulo deberi.* Deinde definit, quid ſit *Prabenda*, *Perſonatus*; & *Titulus.* 69. Allatam definitionem non improbo: moneo tamen, receptum in Monachum fieri membrum propriè illius Monaſterij peculiaris, in quo emittit profeſſionem, & in eo ſolùm habere Ius ſtalli in Choro, & vocis in Capitulo, & Præbendam, Perſonatũ, & Titulum. Nam noſtra Controuerſia eſt de Monachis, qui edunt Profeſſionẽ cum ſtabilitate loci; hoc eſt, determinatè ad illud Monaſteriũ, & vouent Obediẽtiam illius Abbati; ex quo fit, vt non habeãt Ius in alijs Monaſterijs eiuſdem Ordinis, neque volentes aut nolentes poſſint transferri de vno ad aliud pro libitu Superioris, vti benè docet Nauar. *com.* 4. *de Regul. num.* 23. ad eum prorſus modũ, quo Canonicus in vna Collegiata habet titulum dumtaxat in ea Eccleſia & non in alia. tales ſunt Monachi S. Benedicti, Canonici Regulares S. Auguſt. Ciſtercienſes, Præmonſtratenſes.

Num. XXXV.

SVMMARIA.

70. *Quid ſit Monaſterium eſſe extinctum, ex ſententia P. Layman.*
71. *P. Romanus indignis modis agit contra P. Layman.*
72. *Acceptio vocis Monaſterij P. Roman. impugnatur.*
73. *Duplex genus Iurium, realia, & perſonalia.*
74. *Realia non pereunt pereuntibus Perſonis aut Collegio, ſed loco destructo abſque ſpe reſtaurationis, nec Perſonalia destructo loco materiali.*
75. *Collegium destruitur vel abſque ſpe, vel cum ſpe reſtaurationis.*
76. *Titulus Abbatia, Prioratus, &c. ſunt Iura perſonalia competentia Collegio.*
77. *Duplici comparatione oſtenditur, ſoluto Collegio & Monaſterio omnium morte, extingui Titulos Abbatis, &c.*

H 3 70. Ro-

ares,&c.ſi primum; verè affirmat ſe à P. Laym. diſſentire: ſed non video, cur ſimul cũ Titulis numerauerit fundationes.ſi ſecũdum; falſo ait, P. Laymannum affirmare, hæc omnia eſſe extincta:nam pluribus locis concedit, Iura realia conſeruari penes Monaſterium ſumptum pro habitatione materiali. Deinde quæro, quid intelligat nomine habitatorum Religioſorum in ſecunda acceptione Monaſterij;an ipſam Congregationē.& Collegium Monachorum,qui ſunt perſona quædam repræſentata, an Monachos ſingulares & ipſos perſonas veras.Si primum; non poteſt negare, Monaſteria complura eſſe extincta, cum eorum omnes habitatores ad vnum iam pridem mortui ſint: ſi ſecũdum; dupliciter peccat;ſemel quia textus, quos citat,ſunt accipiendi ſolũ de Monaſterio vt ſignificat Collectionē: iterũ,quia in ſua partitione omiſit hanc Acceptionem vocis Monaſterij,quâ tamen nulla frequentius occurrit in Iure. Sed omiſſis vocibus veniamus ad rem.

73. Primùm: explotatiſſimum eſt, Monaſterijs & quibuſcunque Collegijs licitis duplex Genus Iurium competere ex communi ſententia Doctorum in *lege.interſtipulantem* §. *ſacram. ff. de verb. obligat.* Alia dicuntur *Iura realia*,alia *perſonalia*. *Realia* ſunt v.g. cenſus annui,redditus,prouentus &c. quia huiuſmodi iura immediatè adhærent loco,ſeu fundo, & ſolo materiali Eccleſiæ,ſeu Monaſterij, & mediante loco,& re materiali, competunt etiã ipſis perſonis, Conuentui, Collegio, & Monaſterio, & propterea ſolent etiam appellari *Iura localia*. *Iura* autem *Perſonalia* Collegiorum, de quibus nunc loquor,dicuntur illa, quæ competunt & adhærent immediatè perſonis de Collegio, non prout ſingulares perſonæ ſunt; ſed quatenus conficiũt ſimul ſumptæ Collegium, & Congregationem, & Corpus quoddam politicum; quam ob rem ſolent appellari etiam *Iura corporalia*. tale Ius eſt v.g. Iuriſdictio ſpiritualis, quæ cōpetit Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Sede vacante &c.

74. Secundò Not. *Iura* illa, quæ vocãtur *realia*, etiam ſi moriantur ſingulæ perſonæ de Collegio; non extingui aut deficere;quia non ſunt fundata in ipſarum ſingularum perſonarum vita: ſed adhærẽt ipſi rei, & loco materiali v.g. Eccleſiæ: & ob hanc eandem rationem non pereunt; etiamſi totum Collegium ſoluatur,quia non adhærent ei immediatè, ſed loco. Extinguuntur tamen, ſi ipſe locus materialis & Eccleſia deſtruatur abſque ſpe reſtaurationis, vt fit,quando deſtruitur authoritate Superioris, vt communis Doctorum ſententia habet, & ratio perſuadet, quia competebant ipſi loco & Eccleſiæ materiali. Pari ratione, *Iura perſonalia* Collegij, & Monaſterij, licet locus habitationis materialis, & Monaſterium ipſum & Eccleſia deſtruantur;non extinguuntur;quia non competebant immediatè loco; ſed perſonis collectiuè ſumptis, & Collegio & Congregationi Monachorum. Et contra; quamuis locus, & Habitatio materialis integra

ſunt *abſque Spe* reſtaurationis.

77. Hæc P. Layma. doctrina explicari poteſt duplici comparatione. Abbas, ſicut & Epiſcopus, dicitur Sponſus, & Paſtor Eccleſiæ: ipſa verò Eccleſia Sponſa, & Grex. ſi alicuius Mulieris coniugatæ Vir moriatur, illa Mulier dicitur Vidua, & titulum ſeu appellationem Mariti reſpectu ipſius Viduæ nemo habet, quia tamen iterum nubere poteſt; idem titulus videtur quaſi eſſe in potentia. at, ſi Mulier ipſa moriatur; perit omninò, &, vt ſic loquar, extinguitur Mariti Titulus. Pari ratione philoſophandum eſt de Titulo Paſtoris, donec Grex manet, etiam ſi ad vnam ouiculam redigatur, manet titulus Paſtoris, licet qui actu paſcebat Gregem, moriatur. at ſi totus Grex intereat; Paſtoris Titulus nuſquam eſt, penitus ceſſauit, extinctus eſt. Cùm ergò Abbas ſit ſponſus, & Paſtor, non Monaſterij materialiter ſumpti, ſed Collegij Monachorum; conſequens eſt, vt nullo remanente ex Monachis & diſſoluto omnium morte Collegio, Titulus Abbatis, & ſimiles, extincti eſſe dicantur, *non vacantes.* Ratio à priori huius rei reddi poteſt, quia Titulus eſt quid reſpectiuum, & tamquam terminum reſpicit Collegium Monachorum. cùm ergò pereunte termino pereat relatio; infertur, Titulum Abbatis, ſublato per omnium mortem Collegio Monaſtico, periiſſe, & extinctum eſſe. Confirmatur primò ex eo, quod P. Romanus concedit infra *Num. XLIV.* Titulos non dici vacare in Eccleſijs nō numeratis, ſicut vacant in numeratis. Ratio autem diſcriminis non poteſt eſſe alia, niſi quia Eccleſijs numeratis debiti ſunt tot Canonici, & ideò vno demortuo, Titulus ille manet ſine poſſeſſore, & dicitur vacare: in Eccleſijs verò non numeratis, quia non eſt certus Canonicorum numerus; ſi vnus deſideretur, ille Titulus non dicitur *vacare,* ſed *extinctus.* quia in locum defuncti non debet alius ſuffici. Pari ergo ratione, quia diſſoluto Collegio Monaſtico per omnium mortem non debetur amplius Abbas, Prior, &c. hi quoque Tituli erunt *extincti,* non vacantes. Confirmatur ſecundò ex doctrina Baldi in Proæmio digeſtorum Num. 5. vbi affirmat, *quod ſi aliqua ciuitas deſtruatur, eò quòd eius incolatus deſeratur; ibi deinceps non eſt ponendus Epiſcopus. quia vbi amplius Populus fidelium non eſt,* non poteſt eſſe Epiſcopus. & conſequenter ibi Titulus Epiſcopatus non *vacat,* ſed *extinctus* eſt.

Ex his apparet, in quo ſita ſit vis primi argumenti P. Laymanni, quod P. Romanus ſequentibus numeris ſoluere aggreditur. Sentit enim P. Laymannus, Titulos Prælaturæ, Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus, &c. eſſe *Iura perſonalia* competentia Monaſterio; quatenus ſignificat Collegium & Congregationem Monachorum: & conſequenter, quia Monaſteria, de quibus eſt controuerſia, ante tot annos fuerunt diſſoluta *abſque vlla ſpe* reſtaurationis, imò tamdiu manſerunt, ſi licet ita dicere, *cum deſperatione*, vt poſſent aliquando è manibus hæreticorum eripi, & rurſus ordinari; ideò etiam cenſet, Titulos eorundem Mo-

I naſte-

Digitized by Google

naſteriorum fuiſſe *extinctos*, & quia nō entium nullæ ſunt qualitates, nemo poterit habere Ius ad eiuſmodi Titulos: cenſet præterea *Iura realia* & bona eorundem Monaſteriorum ab Hæreticis detenta eſſe *bona vacantia*, & pertinere ad diſpoſitionem Principis Eccleſiaſtici; ex quibus tandem efficitur, vt de Iure cōmuni nulli competat *Ius & Actio* illa ſibi *vindicandi*; ſed poſſunt aſſignari cuicunque expedire ad Catholicæ Religionis bonum iudicauerit Papa. Examinemus ergò, quo pacto P. Romanus huicce Argumentationi reſpondeat.

Num. XXXVI.

SVMMARIA.

78. *Collegia per P. Rom. diſſoluuntur vel diſſolutione Iuris, vel facti.*
79. *Oſtenditur ex Bartol. per vtramque bona Collegij fieri vacantia.*
80. *Duplex P. Romani effugium.*
81. *Præcluditur ſecundum.*
82. *Vt & primum. C. l. 7.*
83. *Arg. ab erectione Collegij ad diſſolutionem probatur vtrâque bona fieri vacantia.*

78. Cùm negaſſet, mortuis omnibus Monachis, *extinctos* eſſe omnes Titulos Prælaturæ, Abbatiæ, &c. & Eccleſiam ac Monaſterium materiale, & Iura Collegialia perdidiſſe; affert triplicem modum, quo Collegia ſolui poſſunt, & prætermiſſo primo, qui contingit, quando omnes & ſinguli de Collegio volunt, qui non habet locum in Collegijs Monaſticis (Monachi enim cùm ſint profeſſi, & per profeſſionem ſolemnem incorporati Religioni; non poſſunt ſua ſponte recedere) affert duos alios modos diſſolutionis, ſeu deſtructionis. vnum enim appellat *Diſſolutionem Iuris*: Alterum *Diſſolutionem Facti*. *Diſſolutionem Iuris*, quando per Authoritatem Superioris propter delictum, vel aliā grauem cauſam ſupprimuntur omnes Tituli, Dignitates & Canoniæ, ſiue ipſi Monachi vel Clerici mortui fuerint, ſiue non. *Diſſolutionem* autem *Facti* vocat, quando vel per violentiam Tyrannorum, Hæreticorum, aliorumve hoſtium omnes de Collegio profligantur, vel graſſante lue, ſeu quouis alio fortuito caſu, omnes ſimul aut ſucceſſiuè moriuntur, ita vt nullus eorum ſuperſit. Et in hoc caſu aſſerit, Monaſteria non eſſe *extincta*; ſed *vacantia*, & deſolata, & retinere omnia ſua Iura, Priuilegia & Titulos ſecus autem, ſi ſint *diſſoluta Iure*.

79. Primò huic Aſſertioni P. Romani repugnat expreſsè Barthol. *in l. vlt. ff. de Colleg. illic. n. 22.* ex quo P. Romanus deſumpſit triplicem illum modum Diſſolutionis Collegij; nam vniuerſaliter ſubiungit; *ſi Collegia ſoluta, ſint perſonarum; quæ habere poſſint bona in Communi, & nihil in particulari, vt ſunt Collegia Religioſorum, in iſtis diſſoluto Collegio remanere bona apud Superiorē, vel cui ipſe conceſſerit*, addens, *ita fuiſſe obſeruatum, quando fuit deſtructum Collegium Templariorum per Summum Pontificem, ſunt enim*, inquit, *bona vacantia; & ita debentur Fiſco.*

80. Vidit

80. Vidit P. Romanus vim huius doctrinæ, ideoque excogitauit duplex effugium. primum eſt, eſſe hanc doctrinam intelligendam, quando Collegium ſolutum fuit *Iure*, non verò quando *Diſſolutio* fuit ſolum *Facti*, alterum, Bartholum eſſe accipiendum ſolùm, quando Collegium diſſolutum fuit mandato Superioris propter delictum.

81. Verùm hæc non ſubſiſtunt, & quod pertinet ad hoc ſecundum; ſine vllo fundamento aſſeritur, Bartholum ſenſiſſe, eſſe *bona vacantia* ſolùm, quando Collegium diſſolutum fuit mandato Superioris propter delictum. quia Barth. enumeratis tribus modis, quibus diſſoluitur Collegium, ſtatim ſubdit regulam Generalem, & dicit, *ſi Collegia fuerunt Religioſorum; bona remanere apud Superiorem.* & licet ſubiecerit exemplum in Deſtructione Collegij Templorum, quæ fuit facta mandato Papæ; non tamen per hoc exemplum limitatur regula: ſed declaratur, & ideò Bart. illud exemplum attulit, quia erat notiſſimum, & circa alios duos modos Diſſolutionis non erat facilè exemplum proferre, quia & valdè rarò Collegia diſſoluuntur penitus per omnium mortem, ſi ſint numeroſa, vel omnibus volentibus, &, ſi non ſint numeroſa, & diſſoluantur, non facilè peruenit ad notitiam ſcriptorum.

82. Quoad primum verò illud effugium petitum ex diſtinctione *Diſſolutionis Iuris* & *Facti*, prudenter aduertit P. Laymannus, latere in hoc loquendi modo aliquam deceptionem. Cur enim P. Romanus mutauit formam loquendi Bartholi & Doctorum, qui primam Collegij Diſſolutionem appellant *omnibus de Collegio volentibus*. ſecundam *omnibus mortuis nullo remanente*, & tertiam *mandato Superioris propter delictum*, &c. Cur hanc tertiam appellat *Diſſolutionem Iuris*, & alias, *Facti* exiſtimatne *Diſſolutionem*, quæ ſequitur *per omnium mortem*, non eſſe *Diſſolutionem Iuris*? Fallitur vehementer, ſi hoc putat. vtraque enim eſt *Diſſolutio Iuris*, & vtraque *Facti*. Hoc illi conceſſerim, ſi per nomen Iuris intelligat ſententiam Superioris, quam Bartholus appellat *mandatum*; hoc eſt verum; ſed P. Romanus non vult tantùm hoc, ſed vult quaſi contra diſtinguere *Diſſolutionem*, *quæ fit mandato & ſententiâ* Superioris, & illam, *quæ fit per omnium mortem*; ita, vt illa ſit tantum *Iuris & de Iure*, & iuxta leges, & per illam ſolum legitimè Collegium diſſoluatur, & inde conſequantur effectus legitimi, vt ſcilicet bona Collegij Diſſoluti ſint *vacantia*, & eorum Diſpoſitio ſpectet ad Superiorē: hæc autem, quæ fit *per mortem*, ſit *Diſſolutio ſolius Facti*, *& non de Iure*, & ſecundùm leges, & conſequenter non habeat illos effectus legitimos, vt bona ſint *vacantia*. In quo, vt dixi, vehementer errat; & perinde facit, ac ſi quis diceret, excōmunicationem quæ fertur per ſententiam Iudicis, eſſe *excommunicationem Iuris*, illam verò, quam quis incurrit *ipſo facto*, ob percuſſionem, verbi gratia, Clerici, eſſe ſolum *excommunicationem Facti*, quod tamen eſt abſurdiſſimum, & vtraque habet eundem effe-

 ctum,

Digitized by Google

ctum, vt priuet excommunicatum omni communione Fidelium. Explico hoc alio exemplo. Clericus beneficiatus dupliciter priuari poteſt ſuo beneficio & Iure percipiendi fructus ex illo. Primò *per ſententiam Epiſcopi* ob commiſſum graue aliquod delictum; Secundò *propter factum proprium*, ſi videlicet contrahat matrimonium per verba de præſenti. Diceturne rectè, illam priuationem eſſe *Iuris*, hanc *Facti*? nec vtramq; habere eoſdem effectus? perperam. vtraque eſt *Iuris*, id eſt, iuxta Iura, & ſecundum leges, & de vtraq; Canones diſponunt, vt ille Clericus priuatus beneficio, non habeat amplius Ius ad fructus, &c. Solum eſt diſcrimē, quod illa orta eſt immediatè *ex Iudicis ſententia*, & hæc *ex aliqua facto proprio*, hoc eſt, ex contractu matrimonij. Cæterum vtraque eſt Iuridica, & legalis, & legitima, & Canonica priuatio.

83. Confirmatur hæc doctrina argumentando *ab erectione* Collegij *ad Diſſolutionem*. dupliciter ex Bart. *in l. Sodales ff. de Collegijs illic. n. 6. & ſeqq.* poteſt Fundari & conſtitui Collegium. Primò *Auctoritate Superioris*, & talia ſunt omnia Collegia Eccleſiaſtica; Secundò *ſine Superioris Auctoritate*, & hæc dicit eſſe Collegia Diſciplinatorum, Iuuantium oppreſſos, Doctorum, Scholarium, Opificum. P. Romanus fortè illorum primorum Collegiorum *erectionem* vocaret *erectionem* ſeu *fundationem Iuris*: horum autem poſteriorum *erectionem & fundationem Facti*. Non ita Bartholus, vtraque Collegia affirmat *eſſe de Iure Ciuili*, vtraq; eſſe vera Collegia: & ideò vtrorumque *erectio* dici poteſt *erectio Iuris*. Pari modo Diſſolutio Collegij, ſiue ſit facta Superioris ſententia & mandato, ſiue hoſtium violentia, aut omnium de Collegio morte; de Iure eſt, & ſecundum Iura, & vtraque benè appellatur Iuris, & habet eoſdem effectus, quos Iura aſſignant.

Num. XXXVII.

SVMMARIA.

84. *Negat P. Rom. titulos eſſe extinctos & bona vacantia, ex Doctoribus.*
85. *Reſpondetur, vniuersè Doctores citatos non loqui de titulis, ſed Iuribus realibus.*
86. *Exponitur teſtamentum Gloſſæ.*
87. *Et Innocentij.*
88. *Et Soccini.*
89. *Bartolus verò eſt contrà P. Roman.*
90 *Explicatur Abb. ſententia.*
91. *Alia Explicatio.*
92. *Tertia expoſitio.*
93. *Explicatio quarta.*

84. Suppoſita illa ſua duplici *Diſſolutione Iuris & Facti*, qua Collegia diſſoluuntur: hinc exorditur P. Romanus reſpondere argumento primo P. Laymanni, quo probabatur, *Iura perſonalia & Titulos* Monaſteriorum occupatorum ab Hęreticis, eſſe *extinctos*, & conſequenter alia Iura & *bona* eſſe *vacantia*, ſubiecta Diſpoſitioni Summi Pontificis, nec vlli hominum competere *Ius & Actionem* ad illa *vindicanda*. Summa verò reſponſionis, quam pro-

ſequi

ſequitur, vſque ad *nu. XLVI.* eſt, negare, illa Iura & Titulos Monaſteriorũ eſſe *extinctos*, & hoc *n. XXXVII.* probat cõtrariũ teſtimonio Abbatis *in c. gratum. de poſtul. num. 12.* Bart. *in c. in l. Sodales ff. de colleg. illicit. n. 24.* Socini *in c. Dilecta. de exceſſ. Prælat. n. 9. q. 2. & in c. cum ex iniuncto. de nou. oper. nunc. n. 12.* Innocentij *ibidem n. 2. & Gloſſæ in c. Priuilegium. de Reg. Iur. in 6.*

85. Pater Laymannus vniuerſim reſpondet, hos omnes Auctores loqui de Iuribus & Priuilegijs *realibus*, ſiue *localibus*, quæ, etiamſi Collegium Eccleſiaſticum diſſolutum ſit, & non per Iudicis ſentẽtiam; cenſentur permanere ex benigna Iuris fictione apud locum & Eccleſiam materialem, præſertim quando *eſt ſpes reſtaurationis*; alioquin *extinguuntur* & pereunt; quæ veritas innititur optimæ Auctoritati & rationi. Auctoritas eſt citatæ Regulæ Iuris, vbi dicitur *Priuilegium perſonale perſonam ſequi, & extingui cum perſona.* Ratio verò eſt, quam ſupra attulimus, quia cum Iura & Tituli, de quibus diſputamus, ſint aliquid ſpirituale, & fundatum in Sacratorum hominum officio & qualitate, & immediatè adhæreant Collegio & Congregationi Monachorum, & vt dixi paulo antè, reſpiciant tanquam terminum Collegium Monachorum, ſicut titulus Mariti Sponſam, & titulus Paſtoris Gregem; neceſſariò ſequitur, vt ſoluto Collegio, *extinguantur* etiam Tituli & Iura, quæ in eo fundantur. Huic argumẽto optaſſem, vt P. Rom. categoricè reſpondiſſet. Examinemus tamen ſingillatim teſtimonia hoc loco producta, & quia è re mea eſt, faciamus Homericè ὕστερον πρότερον.

86. Primum Teſtimonium erat Gloſſæ. Illa expreſsè loquitur *de priuilegijs realibus*; cum enim dixiſſet priuilegiorum aliud eſſe *Perſonale*, aliud *Reale*, & quod dicitur hîc Priuilegium *Perſonale extingui* cum perſona; idem eſſe intelligẽdum *de Reali*, vt ſcilicet extincta re, extinguatur priuilegiũ; ſubdit hæc verba. *Quod dico verum* (id eſt, quod Priuilegium Reale extinguatur extincta re) *quando ipſa res, vel loca, puta Eccleſia, Ciuitas, vel loca alia ſacra, vel profana deſtruuntur Superioris Authoritate; ſin autem deſtruatur ab hoſtibus; retinet omnia ſua priuilegia.* Ex quibus liquidò apparet, Gloſſam loqui in hoc duplici modo deſtructionis Eccleſiæ, *de priuilegijs realibus*, non autem *de perſonalibus*, de quibus nos diſputamus.

87. Quod affertur ex Innocentio loco citato, nullo modo eſt contra P. Laym. nam ibi Innocentius non agit de noſtro caſu, quando affirmat, ſi Eccleſia deſtruatur ab hoſtibus, retinere omnia Priuilegia ſua. nam primò, vt benè aduertit Pater Laymannus, intelligit Innocentius de *Priuilegijs realibus & localibus* Eccleſiæ materialis, quæ ſupponitur deſtructa. deinde Innocent. expreſsè loquitur in caſu, quo deſtructa Eccleſiâ, antiqui Clerici remaneant ibi, aut Superioris Authoritate illa Eccleſia transferatur in alium locum, aut alteri vniatur. Tertiò addit Innocentius, *quòd ſi aliqua Eccleſia occupentur ad tempus à Tyrannis, ita, vt non*

poſſint ibi inhabitare Clerici; quod Eccleſia retinet ſua priuilegia & ſuos Clericos, licet ſint deiecti, quia poſſunt congregari tũ in Eccleſia, tum extra ad faciendas Electiones, & alia negotia tranſigenda; & quod quando Clerici ſunt diſperſi, ille qui eſt caput Capituli, poteſt illos congregare, & ſi nullus eſt, qui fungatur officio Capitis, legitimè poſſe conuenire duas tertias illorum partes, & ſimilia multa, ex quibus conſtat, Innocent. ſolùm loqui de Iuribus & Priuilegijs realibus, vel in caſu, quo Collegium Eccleſiaſticũ ſolùm ad tẽpus diſperſum ſit: non verò ſolutum, vel ſi ſolutum eſt, ſupereſt *ſpes cita reſtaurationis*, qui non eſt noſter caſus.

88. Socinus in locis adductis expreſsè loquitur *de Iuribus & Priuilegijs localibus*, & quando eſt *ſpes reparationis*. fundatur enim in doctrina modò tradita ex Innocentio *in c. cum ex iniuncto citato*. Quid enim aliud ſibi volunt illa verba Socini: *Si tamen eſſet ſpes Collegij in habitu, ita quod per nouum introitum poſſet reparari, non dicetur diſſolutum?*

89. Porrò cur à Patre Romano adductum ſit Bart. teſtimonium; ſanè nõ intelligo; cum expreſsè faciat contra ipſum. Nos enim agimus de Collegijs & Monaſterijs deſtructis per omniũ mortem ante octoginta & plures annos, quorum *reſtauratio penitus deſperata erat*: Bartolus autem, quando Collegium non eſt deſtructum, ſed ſolùm ad tempus diſperſum, & conſequenter eſt *in proxima ſpe reſtaurationis*. audiamus illum loquentem; *quandocunque*, inquit, *Collegium non deſtruitur ſed diſpergitur, v. g. vniuerſitas huius ſtudij tẽpore mortalitatis receſſit totaliter* (*NB. receſſit*, non deceſſit.) *ita quod nulla tradvniuerſitas ſtudij Peruſij: vel pone propter alium caſum Vniuerſitatem, vel Collegium recedere, iſto caſu Priuilegia & Iura non pereunt, imò ipſa Iura dicuntur retineri per illum locum, à quo denominabatur Vniuerſitas ſecundum Moyſ. not. per Innoc. de nou. oper nunc. n. 2.* Ita Bartolus, ex quibus verbis cõſtat illum loqui in caſu, quo Collegium non eſt penitus ſolutum, vel ſi ſolutum ſit, eſt *in proxima ſpe reſtaurationis*, vt propterea dicatur ex *benigna* ſcilicet *fictione Iuris* omnia ipſius [illegible]a retineri per illum locum, à quo denominabatur Collegium. Et confirmatur totum hoc; quia loquitur in ſenſu quo Innocent. quem citat.

90. Reſtat ergò ſolus Abbas, cuius verba & ſententia, ſi rectè intellecta fuerint, apparebit ſtatim infirmitas huius primæ reſponſionis P. Romani, ductæ ab Auctoritate tantorum Doctorum. Primò autem aduerto, ab Abbate citari Innocentium *in c. cum ex iniuncto* modo allato, & bonam Gloſſam, quam etiam iubet *mente teneri, in c. ſtatutum de Elect. in 6.* & Bartolum potiſſimum *in l. fin de colleg. illic.* Cum ergò iam oſtenderimus, Innocentium & Bartolum, vel loqui de *priuilegijs & Iuribus realibus*, vel, ſi de *Perſonalibus*, non in caſu, quo Collegiũ ſit ſolutum per omnium mortem, ſed ſit ſolum diſperſum ad tempus, & *manente ſpe reſtaurationis*: Gloſſa verò in citato *c. ſtatutum*, agat in caſu, quo Collegium ſit quidem ſolutum per mortem Collegialium vno tamen remanente, in quo benè conſeruantur *omnia Iura* etiam *Perſonalia* ipſius Collegij;

Regij; cum, inquam, hæc omnia ita ſe habeant; Abbatis teſtimonium contra argumentum P. Laymanni nullius eſt ponderis.

91. Secundò dico, Abbatis verba eſſe accipienda de Collegio ſoluto per Collegialium diſperſionē, &, ſi ſit *ſpes reſtaurationis*; in eo ſiquidem caſu *Iura perſonalia & Tituli* non tam cenſentur *extincta* eſſe, quàm *dormire*, vt etiam ſupra monuimus ex ſententia P. Laymanni; vel in euentu, quo Collegium ſolutum ſit per omnium mortem vno excepto, in quo caſu in illo vno ex Eccleſ. benè conſeruantur omnia Iura.

92. Tertiò dico, *omnia Iura & priuilegia etiam perſonalia* conſeruari apud Eccleſiam, in hoc ſenſu, vt, ſi in aliqua Eccleſia deſinat eſſe Collegium, v.g. Abbas in Monaſterio, Prior & omnes alij Monachi, & tamen Eccleſia & Monaſterium materiale per legitimā poteſtatem transferatur ad alias perſonas; huiuſmodi perſonæ gaudeant Iuribus & priuilegijs, quibus potiebatur Collegiū Monachorum, v.g. ſint exemptæ à Iuriſdictione Ordinarij, habeant Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem &c. in eo gradu quo hæc habebantur à Collegio Monaſtico.

93. Quartò dico, non eſſe magnopere laborandum de eo, quod Abbas aſſeruerit, hanc eſſe opinionem communem, nam cū Abbas retuliſſet eodē loco duas ſententias, vnam eorū, qui putabant, in Collegio quidem Eccleſiaſtico, ſoluto Collegio conſeruari omnia Iura ipſius apud ipſam Eccleſiā; non autem in Collegio ſæculari; alteram verò eorum, qui exiſtimabant eādem eſſe rationem vtriuſque; Abbas dicit *eſſe communiorem opinionem illam primam*, quæ vult Iura cōſeruari apud Eccleſiam in Collegio Eccleſiaſtico, & non in ſæculari, ſed communis hæc ſententia eſt intelligenda modis illis tribus paulò ante relatis, atque adeò non probatur teſtimonio Abbatis, ſolutis Monaſterijs per omnium omninò mortem, abſque vlla ſpe reſtaurationis, titulos & Iura perſonalia remanere penes Eccleſiam materialem.

Num. XXXVIII.

SVMMARIA.

94. *Exponuntur aliorum Doctorum recentiorum teſtimonia.*

95. *Reſpondetur ad Baldi auctoritatem.*

94. Pergit P. Romanus in emendicandis Doctorum ſuffragijs pro ſua ſententia: Cæterùm, cùm ferè omnes, qui hoc numero nominantur, ſint tāquam Senatores pedarij, qui ſtant à partibus antiquiorum, & præſertim Innocentij, & Baldi; non eſt magnoperè laborandum in cōfutatione eorum, quæ ex ipſis afferuntur. Et Magerus quidem, quem primo loco nominat, non loquitur de deſtructione Collegij & Monaſterij, prout hęc nomina ſignificant Monachorum Congregationem, ſed de deſtructione ædificiorum, vel ipſo P. Romano teſte, qui ad marginem hæc verba addit, *Sermo eſt de deſtructione ædificiorum.* Fridericus autem de Senis, qui refert Innocentium

nocentium, quid velit, iam ſupra explicatum eſt. Ioannes Maſſobrius expreſsè ait Ius Collegij non *perire*, ſed *dormire* omnibus mortuis. quia ſupponit remanere in habitu, quod eſt dicere *cum ſpe reſtaurationis*. Denique Eraſmus à Chokier nil aliud probat, niſi Eccleſiam non amittere *Iura* & *Priuilegia* quæ durabant habitu, hoc eſt, propter ſpem Iuridicam reſtaurationis: vel ſi Eraſmus aliud vult; eius auctoritas non eſt maior quam vnius nuperi Scriptoris, quam P. Romanus flocci facit.

94. Supereſt ergò examinandum teſtimonium Baldi, quod adducitur *ex l. Si tibi. §. in Decurionibus. ff. quod cuiuſq. Vniuerſ.* Cuius Authoris doctrinā aſſerit P. Romanus non eſſe fideliter adductam à P. Laymanno, immò ex ea plurima deducta fuiſſe, quæ Baldus nunquam ſomniauit. Inprimis Baldus eo loco docuerat, *ſi ciuitas deſtruatur, & eius incolatus deſeratur perpetuò, non eſſe ibi deinceps ponendum Epiſcopum, & ſic* inquit *per deſtructionem Facti deuenitur ad deſtructionem Iuris* (ſcilicet Epiſcopatus) *quia remoto actu, & potentia*, id eſt actuali Habitatione ciuium & Potentia proxima, vt eodem redeant (ſupponitur enim incolatus perpetuò deſertus) *remouetur Habitus*, id eſt, Ius Epiſcopatus; quia eſſet fruſtra. Deinde his traditis, ſubdit Baldus, Innocentium ſentire contrarium, hoc eſt non eſſe *extinctum* Ius Epiſcopatus, ſi Ciuitas ſit deſtructa Authoritate Superioris, ſecus, ſi aliter. hoc autem videtur eſſe contra P. Laymannum, qui cenſet Titulos *extingui*, etiamſi Collegium non deſtruatur Authoritate Superioris, ſed alijs modis. reſpondet tamē ipſe Baldus ibidem hæc formalia verba: *Sed Innocentius debet intelligi, vbi de facto eſt ſpes reparationis*; itaque in ſententia Baldi, quando ciuitas eſt deſtructa (& eadem eſt ratio de Collegio, & Monaſterio quocunque) mandato Superioris, vel quando *non eſt ſpes reparationis*; tunc omnia Iura & Priuilegia *extincta ſint*, ideòque benè Felinus *in c. cum dilecta. de Reſcriptis n. 21.* dicit, Baldum *pacificare, quod Collegium ſit deſtructum Authoritate Superioris, vel per rerum naturam ſine ſpe reparationis*. Quocirca Baldi mens eſt in loco citato à P. Romano, ſi Collegium deſinat eſſe caſu, puta mortalitate, deſinat eſſe ſolum, vt ipſe loquitur, *quantum ad Iuris intellectum*, id eſt, deſinat quidem, ſed *quia eſt ſpes reparationis*, cenſeantur conſeruari omnia Iura & Priuilegia apud ipſam Eccleſiam. Hoc autem totum, non ſolùm non facit contra P. Laymannum, ſed confirmat ipſius ſententiam, quā dicit Monaſteria deſtructa per omnium mortem ante tot annos *abſque vlla ſpe reſtaurationis*, eſſe omninò *extincta*, & non *vacantia*, & hoc ex Baldi à ſe adducti doctrina, ex quā in optima forma deducuntur ea omnia, quæ P. Laymannus deducit, nā ſuppoſito, quòd Monaſteria ſint ſoluta *ſine ſpe reſtaurationis*, vt reuera ſunt, ſequitur *bona* illorum eſſe *vacantia*, pertinere ad Summi Pontificis diſpoſitionem; ſi Monaſteria aſſignentur alijs; iiſdem aſſignari etiam bona, & illos, quibus aſſignata fuerint, poſſe ea repetere ab iniquis detentoribus;

quæ

quæſunt illa omnia, quæ P. Laymannus ex ea doctrina deducit, & quæ Baldus etiam ſobrius & vigilans deduxiſſet, vt erat non minor Dialecticus & Philoſophus, quàm Iuriſvtriuſque Conſultus.

Num. XXXIX.

SVMMARIVM.

96. *P. Rom. citat Gloſſ.* c. Paſtoralis de nou oper. nunc. *quod nuſquam eſt.*

96. Videtur iam P. Romanus tota acie confligere velle, euocatis è ſuis ſtationibus, innumeris propemodũ pugnatoribus partim grauis, partim leuis armaturæ. collocat in prima frõte manipulum illum ſuum Romanorũ Iuriſconſultorum, qui tamen nihil promouent, fortiter reſiſtentibus non paucioribus ex eadem palæſtra eductis; Gloſſæ autem Auctor, qui videbatur à P. Romano in hoc prælio vexillifer deſignatus, licet graui clangore buccinæ *Paſtoralis* citatus fuerit, *vt noui operis nunciaret* conſilium; nuſquam inuentus eſt. Mittamus Ænigmata. capitulum *Paſtoralis* ſub Titulo de *nou. oper. nunc.* nullum eſt. in *Clem.* autem *in pleriſq́;, de Elect.* nihil habet, quod P. Laymanni doctrinam labefactet. tantùm enim docet in verbo *Chriſtiano*, loca capta ab hoſtibus non deſinere eſſe ſacra; neque nos negamus, Eccleſias occupatas ab hæreticis, non deſijſſe eſſe ſacras, quamdiu profanatæ non fuerunt; neque propterea quod profanatæ fuerint, plus Iuris tribuunt Monachis eius Ordinis cuius olim fuerunt. Reliqui autem Doctores, qui eodem numero afferuntur, accipiendi ſunt *de Iuribus & Priuilegijs realibus*, vel de Collegio in caſu quo ſit *ſpes reſtaurationis.*

Num. XL.

SVMMARIA.

97. *Probat P. Rom. Titulos Abbatis &c. non eſſe extinctos ex ipſo P. Laym. à ſimili, & Iure Canonico.*

98. *P. Layman. dicit non extingui, ſed vacare, at incolumi Monaſterio & Collegio.*

99. *Similitudo Sponſarum facit contra ipſum P. Rom. ſi rectè fiat comparatio.*

100. *Parochia, mortuo Parocho, vacat, non eſt extincta.*

101. *Reſp. ad inſtantiam de Epiſcopatus Titularibus.*

102. *Exponitur* c. quia Monaſteriũ.

97. Parum fuerat P. Romano tam multos in P. Laymannum armaſſe. Facit illum nunc ſibi ipſi manus afferentem. Supponit enim (ſed falsò) omnes Titulos numeratos Monaſterij etiam *extinctis* omnibus Titularibus, manere, & hoc ipſum confirmat teſtimonio ipſius P. Laymani, qui in *Iuſta Defenſione fol.* 444. aſſerit, Dignitatem nunquam perire, nec mori, indiuidua verò quotidie perire. & ſubdit P. Romanus, neque pluralitate morientium Titulos *extingui*; quia ex morte cuiuslibet, alienus Titulus,

tulus, quem nunquam habuit, nec *vacare* poteſt, nec *extingui*, ſed *vacant* tantum ſingulorum *numerati Tituli*, ſeu carent ſponſis; ſicut mortuis in ciuitate omnibus maritis, vxores carent ſponſis: non autem hinc ſequitur, omnes etiam vxores eſſe mortuas. Præterea probat, non tantùm Titulos per omnium mortem non ſupprimi: ſed potius manere & *vacare*, ſicut mortuo Parocho rurali *non extinguuntur*, ſed *vacant* omnia Iura Parochialis Eccleſiæ, & Epiſcopatus in partibus Infidelium perſeuerant Epiſcopatus, etiamſi dudum Eccleſiæ Cathedrales vnà cum ſuo capite *extinctæ* fuerint; quo fit, vt hæretici etiam hodiè ſe appellent Archiepiſcopos, Abbates, &c. Eccleſiarum à ſe occupatarum. Poſtremò affert *capitulum, quia Monaſterium, de relig dom.* in quo ſtatuitur, Monaſterium quoddam deſtitutum à Monachis, & vnitum alteri, retinere omnia Iura ſibi competentia ante vnionem. Hîc multa dicuntur, ad quæ ſingillatim reſpondendum eſt.

98. Ad id ergò, quod ait, ex P. Laymanni ſententia Dignitatem nunquã mori, & conſequenter Titulos Collegij extincti ſolùm *vacare*; negatur conſequentia, quia P. Laymannus loquitur in caſu, quo Monaſterium ſeu Collegium maneat, & ſinguli ſolùm moriantur, at ſi Collegium per omnium mortem ſit ſolutum; ſentit contrarium, hoc eſt Titulos eſſe *extinctos*. Audiamus ipſius verba, quæ tamen P. Roman pro ſe attulit: *Volo*, inquit, *dicere, ſi Prælatus, Canonicus, aut Monachus moriatur; eius Titulus ac Ius ſuſtentationis vacat, ita vt apud Conuentum, Capitulum, ſeu Congregationem maneat, atque intra tempus à ſacris Canonibus præſcriptũ alteri conferatur, vel collatio aut prouiſio ad Superiorem deuoluatur. Sin autem tota Congregatio, ſeu Conuentus penitus ceſſarit ſiue ſolutus ſit; tum conſequenter Prælaturæ, Adminiſtrationes, Officia, Canoniæ, Monachatus, & vno verbo, Iura ac Tituli extincti ſunt, id eſt, penitus ceſſarunt.*

99. Ad illam comparationem, quâ probababatur, omnibus Titularibus mortuis, Titulos non *extingui*; reſpondeo, illam facere pro P. Laymanno, ſi comparatio vt debet, rectè inſtituatur, hoc eſt, eo modo, quo expoſui ſupra. Summa verò eſt, Monaſteria accepta pro Habitatione Clauſtralium, non rectè comparari cum vxoribus, cum potiùs illa ſint dos. vxores ergò & ſponſæ, ſunt ipſæ Congregationes Monachorum; quæ cum per omnium mortem iampridem ſint extinctæ; infertur fatali illa tempeſtate, quæ totam Germaniam ſuperiore ſæculo inuoluit, non ſolum multorũ Monaſteriorum ſponſos, ſed etiam ipſas ſponſas fuiſſe ſublatas. Reſponderi etiam poſſet, admiſſa comparatione vxoris cum Titulis, primò negando conſequentiam. nam vxor materialiter accepta, quoad eſſe ſubſtantiæ ſuæ, eſt Ens per ſe ſubſiſtens, independens ab exiſtentia Mariti: ſecus eſt de ente morali & accidentali, quale eſt Titulus. ſublato enim ſubiecto illius adæquato; id eſt, Collegio Monachorũ, neceſſariò etiã perit illud. Secundò reſponderi poteſt, negando antecedens, quod mortuo

Marito,

Marito non deſinat etiam vxor acce-pta formaliter quoad eſſe vxoris. ſimiliter autem deſinente toto Collegio per mortem omnium, deſinunt etiam Tituli. Mortuo autem vno, v. g. Abbate, deſinit quidem Titulus Abbatis ſecundum quid, & in indiuiduo, quia deſinit eſſe in ipſo; non tamen deſinit abſolutè & ſimpliciter; cenſetur enim Iurisfictione, & modo noſtro concipiendi remanere in reliquo Collegio, non vt tribuens illi actualem denominationem Abbatis, ſed vt virtute & implicitè contentum in Iure, quod habet tale Collegium ad eligendum aliquem & conferendum illi denominationem Abbatis, & poſſidendi talem Titulum in aliqua perſona vera & ſingulari iſtius Collegij.

100. De Parocho rurali pridem reſpondit Pater Laymannus diſparem eſſe rationem. nam Titulus Parochi ruralis per ipſius mortem non *vacat* in Parochiali Eccleſia, quando ea non eſt Collegiata, ſed in Eccleſia Diœceſana, quæ quia manet etiam mortuo Parocho, manet etiam Titulus, ſed ſine poſſeſſore. & ideò rectè dicitur vacare. At Eccleſia Monachalis eſt Collegiata, & in ea Tituli exiſtunt, & ideò illa ſublata per omnium mortem, auferuntur & ceſſant etiam ipſi.

101. De Epiſcoparibus in partibus Infidelium, dico vel illos nunquam fuiſſe *extinctos*, quia in Diœceſibus ſemper aliqui fuerunt Chriſtiani; vel quia Romani Pontifices ſemper ſucceſſiuè crearunt Epiſcopos illorum Epiſcopatuum, ad retinendam memoriam illarum Eccleſiarum, toties reſuſcitando Titulum extinctum, quoties extingui contingit, vt dixi *num.* 29. quod ſi Monachi expulſi ante tos annos è ſuis Monaſterijs, elegiſſent ſucceſſiuè Abbates, atque etiam Monachos admiſiſſent ad Profeſſionem, ita vt Monaſteria viderentur quaſi aliò eſſe translata; maiori cum fundamento poſſet P. Romanus aſſerere illorum titulos non fuiſſe extinctos.

102. Teſtimonium, quod producitur ex Panormit. *c. quia Monaſterium, de relig. dom.* nullam habet vim contra doctrinam Patris Laymanni. Panormit. enim primum docet, Monaſterium illud fuiſſe deſolatum, ſiue quia per hoſtilitatem perdiderat bona temporalia, ſiue quia à Monachis fuerat deſtitutum. in quibus caſibus, licet concederetur Monaſterium non *extingui*; ſed retinere omnia ſua Iura etiam perſonalia; nihil efficeretur contra Patrem Laymannum, qui loquitur in caſu, quo Monachi omnes mortui ſint, & rectè contendit tunc Monaſterium eſſe *extinctum*. Deinde Panormitanus agens de eodem Monaſterio deſolato alterutro modo à ſe indicato, aſſerit, dupliciter vniri poſſe alteri Monaſterio: vel vt *Monaſterium*, vel vt *Capellam*. hinc ſequitur in ſententia Panormitani, illud Monaſterium non eſſe ordinandum neceſſario per Monachos eiuſdem Ordinis, cum dicat poſſe vniri, vt Capellam, cui deinde ſeruiatur per Clericum. Tertiò Panormitanus ait, ſi Monaſterium deſolatum v-

niatur *vt Monaſterium* , debere conſeruari in ſuo ſtatu, & habere Abbatem ſolitum , & Congregationem Monachorum ; quia non alterantur Iura Eccleſiæ per Vnionem, quæ omnia veriſſimè dicuntur. ſuppoſito enim , Monaſterium deſolatum vniri *vt Monaſterium*, neceſſariò debet habere Monachos & Abbatem. ſed falſum eſt abſolutè loquendo, Monaſteria deſolata eſſe vnienda *vt Monaſteria*, cum vniri poſſint *vt Capellæ*. & notatu dignum eſt, quod ibidem addit Panormitanus, eiuſmodi vnionem poſſe fieri ab Epiſcopo: ne dicat Pater Romanus hoc fieri ſolum poſſe à Papa ex plenitudine Poteſtatis.

Num. XLI. & XLII.

SVMMARIA.

103. *In Monaſterijs extinctis non habet locum ſucceſſio.*

104. *Monaſterium vacat per ſolius mortem Abbatis.*

105. *P. Rom. Sophiſma, nam Eccleſia vacat per mortem etiam omnium.*

103. Tota hæc confirmatio omitti poterat. Licet enim conceſſa olim Iura & Priuilegia reaſſumantur, & perdurent, nec ſit neceſsè nouiter impetrare Titulum Abbatis vbi fuit; Licet etiam verum ſit , reſtituta re in priſtinum ſtatum , omnia Iura reſtitui ; & in ſucceſſionibus hæreditarijs, Succeſſorem ſecundum in Iure primi ſuccedere ; licet inquam hæc omnia vera ſint; tamen non habent locum in noſtro caſu , quia *extinctis* Monaſterijs per omnium mortem, vt ſæpè probatum eſt , omnia *Iura perſonalia* & Tituli *extincti* ſunt , & ideò non perdurarunt , & quod non eſt, non poteſt reaſſumi , ſed debet creari de nouo , & in beneficijs Eccleſiaſticis non habet locum ſucceſſio hæreditaria : & , ſi hodie in Monaſterijs ante tot annos occupatis inſtituatur aliquis nouus Abbas ; non ſuccedet conſequenter in omnibus Iuribus & priuilegijs perſonalibus , quæ habebant antiqui , cum illa dudum *extincta* ſint, ſed habebit ſolùm bona & Iura realia , & illa perſonalia, quæ à Superiore fuerint illi de nouo conceſſa.

104. Colligit ex dictis Pater Romanus , ſi propriè loqui velimus ; Monaſterium *de Iure vacare* per ſolius Abbatis Obitum vel Ceſſionem ex *c. Meſſana* , & *c. ne pro defectu de Elect.* Ideoque , ſi Totus Conuentus moriatur, Abbas autem non , *vacare* non dicetur Monaſterium : mortuo autem viciſſim ſolo Abbate, *vacat* Monaſterinm *de Iure.*

105. Pater Laymannus cenſuit, Patrem Romanum hoc loco indoctè loqui , & Sophiſtam agere , nam Monaſterium per mortem Abbatis dicitur quidem *vacare* , ſed non omnimodè & abſolutè ; ſed cum addito, & ſecundum quid , hoc eſt *vacare Paſtore*, ex *dicto c. Meſſana.* & Eccleſia dicitur *vidua* orbata Prælato tanquam

tanquam ſponſo ſuo. Et addit falſum quoque eſſe, quod mortuo toto conuentu, ſolo Prælato ſuperſtite, Monaſterium *non vacet tam de Iure, quàm de Facto*, quoad titulos Conuentuales. quamuis enim ſi Eccleſia Regularis numerata non ſit, per mortem ſingulorum è Conuentu Tituli *vacare* non cenſeantur; tamen per mortem omnium, & conſequenter per extinctionem totius Conuentus, neceſſariò dicendum eſſe Titulos *vacare*, & per nouam Creationem conferri oportere. Addo ego, quidquid ſit de hoc modo loquendi, ſiue moriantur omnes Monachi ſuperſtite Abbate, ſeu contra moriatur Abbas, Monachis ſuperſtitibus: omnia Monaſterij Iura & Titulos *non extingui*: ſed *vacare*, quia, vt ſæpiùs dictum eſt, omnia & quæcumque Iura Collegij benè conſeruantur in vno tantum.

Num. XLIII.

SVMMARIA.

106. *Argument. ex c.* ſicut alterius, 7. q. 1.
107. *Soluitur.*
108. *Et retorquetur.*
109. *Reſp. ad Confirmationem.*

106. Cùm proximè dixiſſet P. Romanus Eccleſiam *vacantem* per mortem vel ceſſionē Prælati, dici propriè *Viduam*; hinc promit aliud Argumentum, quo oſtendat, ſolis Monachis cōpetere *Ius agendi* ad recuperanda Monaſteria. *Sunt enim*, inquit, *Correlatiua Eccleſia Monachalis & Monachus, & Titulus illius ſe habet reſpectu Monachi intitulati, ſicut mulier Vidua reſpectu mariti defuncti*, ergò ſicut Vidua, ſi denuò nubere velit; non poteſt nubere niſi homini eiuſdem ſpeciei, quia, vt dicit S. Paulus 1. *Cor.* 7. debet nubere *in Domino*, id eſt, *regulariter*, ex c. *ſicut alterius* 7. q. 1. (*regulariter* autem nubere, ex Gloſſa ibidem, eſt *nubere homini ſuæ profeßionis*, hoc eſt, *Chriſtiano. ex c. Caue.* 28. *q.* 1.) ita Eccleſia Monachalis, ſi iterum conferri debeat; non poteſt conferri, niſi Monachis eiuſdem Profeſſionis. Confirmat hoc totum ex Conc. Trident. *Seſſ.* 14. *c.* 10 *de Reform.* vbi ſtatuit, ne *beneficia regularia dentur in Titulum ſæculari, imò nec Regulari, niſi ſit illius Ordinis.*

107. Reſpondeo primò, in illa comparatione non eſſe ponendam magnam vim; quia in illo c. *ſicut alterius*, Pontifex ſolum decernit, *Eccleſiam vnius Epiſcopi ab alio diſponi & adminiſtrari non debere*, *ſicut alterius vxor nec adulterari ab aliquo, vel iudicari aut diſponi, niſi à proprio viro conuiuente permittitur*: & hoc modo comparatio habet vim. verè enim Eccleſia Monachalis dum eſt iuncta ſuo Prælato, non poteſt aſſignari alteri. Vtrum autem Eccleſia *vacans Paſtore* debeat conferri hominibus eiuſdem Profeſſionis, ex inſtituto non decernit; ſed obiter tantum dicit, ad inſtar Viduæ mulieris poſſe nubere cui voluerit *in Domino*, id eſt, *Regulariter*, quam vocem Gloſſa etiam interpretatur, *vel*

Digitized by Google

ſine ſuſpicione turpitudinis. verbi gratia, abſque Simonia,&c.

108. Reſpondeo ſecundò, ſi velimus ſtare in ea comparatione Eccleſiæ orbatæ Paſtore & Viduæ mulieris; verum quidem eſſe, mulierem Viduam non poſſe nubere, niſi hominibus eiuſdē ſpeciei,& conſequenter Eccleſiam vacantem hominibus eiuſdem Profeſſionis; at ſi ſupponamus, quod P. Laymannus demonſtrauit, Titulum Eccleſiæ, quem ipſe P. Romanus repræſentari ait per mulierem viduam, eſſe extinctum; tunc dicimus à Prælatis Eccleſiæ creari nouum Titulum poſſe, qui ſit Eccleſiæ ſæcularis, & conſequenter poterit aſſignari etiam Clericis ſæcularibus, nec erit aſſignanda neceſſariò Monachis.

109. Ad Confirmationem ex Concilio Trident. reſpondeo, eo loco Concilium agere de Eccleſijs *vacantibus*, non autem de *extinctis*, qui eſt noſter caſus. ait enim expreſsè, *regularia beneficia cum per obitum, aut reſignationem, vel alias illa in Titulum obtinentis vacare contigerit, Religioſis tantum illius Ordinis,&c. conferantur,* nec ſatiſfacit P. Romanus dum obijcit, Concilium nihil dicere de Conuentu Regulari exiſtente, vel non exiſtente. ſatis enim hoc dicit, dum agit ſolum de beneficijs *vacantibus*, cum, eò ipſo quod *vacant*; non ſint *extincta*. noſtra autem quæſtio ſit de Monaſterijs *extinctis*.

Num. XLIV.

SVMMARIA.

110. *Tituli extinguuntur, etiam quando Collegium ſoluitur de facto.*

111. *Monaſteria vt bona vacantia, poſſunt à Papa cuicumque aſſignari.*

112. *Quomodo Tituli non extinguantur per mortem ſingulorum, ſed omnium.*

Ex hactenus dictis, ſufficienter putat P. Romanus, ſolutum manere diſcurſum ex aduerſo factum in iuſta Defenſione fol. 444. quem diſcurſum ait in tribus à vero aberrare.

110. Primò. Quod dicat, toto Conuentu mortuo, ſeu ſoluto de facto, conſequenter omnes Titulos & Iura *extingui*, id eſt, penitus ceſſare. probat autem hoc eſſe falſum, quia Tituli & Iura ſolum *extinguuntur*, quando Collegium diſſoluitur *Diſſolutione Iuris*, nō *Facti*. Atqui nos ſupra oſtendimus hanc *Diſſolutionem* eſſe fictitiam, & vtramque *Diſſolutionem eſſe Iuris, & vtramque Facti*,& de Iure,& ſecundum Canones, & conſequenter vtramque habere eundem effectum legitimum, vt Tituli ſoluto Collegio *extinguantur* & penitus ceſſent; ac proinde ſequitur, ne latum quidem vnguem tranſgreſſum fuiſſe P. Laymannum limites Profeſſoris Sacrorum Canonum.

111. Secundò ait, illum diſcurſum aberrare à vero, quod velit huiuſmodi *vacantia* Monaſteria, ſtando in Iure Communi, poſſe à Romano Pontifice, & Cæſare aſſignari, & donari, quibus ipſi voluerint. Atqui demonſtratum eſt, hoc eſſe veriſſimum, cùm enim Monaſteria *non* ſint *vacantia, ſed extincta*, prout hoc nomen ſignificat Collegium & Congregationem; Monaſteria materialia, & bona remanent apud Superiorem tanquam *vacantia*

ſantia, ſtando etiam in Iure Communi, vt habet Bartol. quem omnes ſequuntur *in l.1.C.de bon.vacant. & in l.ff. de Iure Fiſci*, & fuſius probabitur in Examine Reſponſionis ad ſecundum Argumentum.

112. Tertiò ait, non eſſe verum, quòd ſingulis de Collegio mortuis, Iura ac Tituli *vacent*, & maneant in dominio Eccleſiæ particularis, cuius Tituli ſunt; quia ſimplices Canoniæ Monachiales in Germania non cenſentur *vacare*, quoniam ſunt *in Eccleſia non numerata*, in qua ſcilicet numerus Religioſorum eſt arbitrarius. Reſpondeo, P. Laymannum in *Iuſta Defenſione fol.* 444. vniuerſalem tradidiſſe doctrinam, dum aſſeruit mortuis ſingulis de Collegio vel Eccleſia Collegiata; *Iura ac Titulos vacare.* quia illius Inſtitutum erat oſtendere per ſingulorum mortem Collegium *non extingui*, ſed ſolum per ceſſationem totius Congregationis, ſeu Conuentus; quæ doctrina veriſſima eſt. Siue enim Eccleſia Collegiata ſit numerata, ſiue non, exploratiſſimum eſt, per ſingulorum Intitulatorum mortem Titulos ac Iura non *extingui* vniuerſim, nec *bona* Eccleſiæ fieri *vacantia:* ſed ſolum per omnium mortem quantumuis negari non poſſit, Titulos quoſdam in Eccleſia non numerata per ſingulorum mortem *extingui.*

Num. XLV.

SVMMARIA.

113. *Doctrina recepta eſt, ſoluto Collegio omnium morte, bona eſſe vacantia.*

114. *P.Rom.arg.plauſibile, ſed infirmum.*

113 Exprobrat hic P. Laymanno, quòd in *Iuſta Defenſione* varijs locis dicat, eſſe receptas doctrinas, ſoluto Collegio per omnium mortem, *bona & Iura* eius *eſſe vacantia*, & ſimilia, & putat ſe hactenus contrarium demonſtraſſe. Cùm autem nos contra oſtenderimus, eius omnia Argumenta laborare in Æquiuoco, & Textus productos non eſſe ad rem; non eſt cur pluribus huic exprobrationi reſpondeam.

114. *Num.eodem.* Antequam ad ſolutionem ſecundi Argumenti progrediantur, affert nonnulla, quæ vulgo videri poſſint valdè plauſibilia, & omninò oſtendere, Monaſteria quidem, de quibus agimus, eſſe deſolata, ſeu deſtituta à mortalibus: non poſſe tamen *extincta* nuncupari: in ijs ſiquidem *toties intempeſta nocte certis anni temporibus in hunc vſque diem accendi luminaria, fulgere lampades, adornari altaria, cereos ardere, proceſſiones Monachorum inſtitui, Chorum frequentari, & illuſtriſſima luce, cantuq; Pſalmodiæ templa perfundi, compleriq;, teſtes oculati tam Catholici, quàm Acatholici vigilantibus ſenſibus acceperunt, & accipiunt.* Quid dicemus ad hæc? S.Gregorius, vt ipſe P.Romanus habet, ſimile quiddam de Monachis à Longobardis in arbore ſuſpenſis ac mortuis, interpretatus eſt, *eos, qui Deo ſeruire ſtudent, poſt carnis mortem verius viuere.* Nec dubitandum, quin tam beata ſors etiam antiquis illis Monachis contigerit. P. Romanus inferri cupit ex hoc, debere neceſſariò eſti-

mari

tui Monachos in Monaſterijs. pia commendatio; ſed parum efficax in hoc negotio. Sperare fas eſt, ſi legitima Authoritate Monaſteria antiqua applicentur etiam alijs Ordinibus, & ad amplificationem Catholicæ Religionis deſtinentur; beatas illas Monachorum mentes haud ægrè laturas.

THEORICA RESPONſionis ad Secundum Argumentum.

Secundum Argumentum, iuxta diſpoſitionem P. Romani, ſed primum apud P. Laymannum, illud erat: *Si Iura aliqua, aut bona vacantia ſint: nemo eorum dominium, aut Ius ad ea prætendere, Actionemq́; pro ijs inſtituere poteſt, ſed Diſpoſitio pertinet ad Principem Reipublicæ. At Iura & bona Monaſteriorum verè vacantia cenſeri debent: ergo Diſpoſitio de illis pertinet ad Summum Pontificem, & reſpectiuè ad Romanum Imperatorem, ad illum tanquam Principem Chriſtianæ Reipubl. ad hunc tanquam Supremum Eccleſiæ Aduocatum, non excluſo Epiſcopo, cum ſubordinatione ad Papam, quoad Monaſteria non exempta.* Huic Argumento, examinandum eſt, quàm ſolidè ſatisfiat à P. Romano.

Num. XLVI.

SVMMARIVM.

115. *Pugnantia loqui P. Laymannum ſentit P. Romanus.*

115. Acerbius enimuerò, aut inclementius, quàm exſpectaſſem à Monacho Sacerdote, agente cum Religioſo Præſbytero, & libris ſcriptis clariſſimo, inuehitur P. Romanus hoc loco in P. Laymannum; non modò enim ipſius dicta eſſe ait è Diametro pugnantia; ſed ipſum quoque, vtpote contraria reſpondentem, aſſerit *eſſe, & haberi debere ſuſpectum de falſitate, & ex hac varietate reſponſionis præſumi fraudem*, &(quod ſatis mirari non poſſum) talia affirmat P. Romanus etiam, poſtquam ſe P. Laymanni Cenſuras vidiſſe non negat. Audiamus ergò vbinam pugnantia loquatur. *Paſſim*, inquit, *affirmat reſtituenda Monaſteria, eorumq́; Titulos & Iura eſſe penitus extincta. Interdum eſſe vacantia, & quidem de Iure. Nonnunquam ſimul coniungit vtrumque, aſſerens Monaſteria eſſe extincta, & vacantia. Interdum ſimiliter ait, bona huiuſmodi Monaſteriorum eſſe vacantia: alibi fatetur, Vacantium Eccleſiarum bona ab Eccleſia poſſideri.* Hęc ſunt *illa pugnantia è diametro, falſitatis & fraudis indicia.* Non poſſum melius oſtendere, hæc omnia falsò à P. Roman. affirmari, quàm ſi Argumenta, quibus ea probare contendit, inaniſſima eſſe demonſtrauero in examine ſequentium numerorum.

Num. XLVII.

SVMMARIA.

116. *Primò probat, quia dicit P. Laym. Monaſteria eſſe extincta & vacantia.*

117. *Reſp. non dicere de eodem, ſed de Monaſterio diuerſimode ſumpto. C. c. 7.*

116. Suppoſito, quod dixerat extremo numero præcedenti, hoc eſt ex vna

vna parte eſſe collocanda Monaſteria cum ſuis Titulis & Iuribus Collegialibus; ex altera bona immobilia & cenſus pertinentes ad Monaſterium, tanquam acceſſoria ad ſuum principale; probat eſſe pugnantia inter ſe illa duo, hoc eſt, vt *Iura Collegialia vacent & ſint extincta*, quia quod eſt *extinctum*, eſt Non Ens, quod autem eſt *vacans*, eſt Ens, quia poſſideri poteſt, ergò implicat Monaſteria de quibus agimus, eſſe *extincta & vacantia*.

117. Reſpondeo, non poſſe eſſe Repugnantiam & Implicantiam, niſi cõtradictoria affirmentur vel negentur de eodem ſubiecto. oportuiſſet Patrē Romanum docuiſſe à P. Laymanno illa prædicata *eſſe Extinctum*, & *eſſe Vacans* (quod eſt dicere, *Eſſe Non Ens*, & *Eſſe Ens*) affirmari de Monaſterio tanquam de ſubiecto accepto in eadem ſignificatione. P. Layman. vt etiam Canones ſolent, nomen Monaſterij dupliciter accipere conſueuit: aliquando pro Conuentu, ſeu Congregatione Monachorum, aliquando pro Eccleſia & loco materiali. Præterea duplicis generis Iura ille conſtituit, quædam ſunt Tituli, Prælaturæ, Abbatiæ, &c. quæ ſunt *Iura Perſonalia*, adhærentia ipſi Collegio & Congregationi: quædam verò ſunt *Iura Realia*, cum quibus cõputantur etiam bona materialia, habitatio ſcilicet, templa, prædia, &c. Quando P. Laymannus affirmat, Monaſteria, Titulos & Iura eſſe *extincta*: accipit Monaſterium in prima ſignificatione, quatenus denotat Conuentum, Collegium, & Congregationem Monachorum, Prælaturas, Abbatias, &c. quæ immediatè competunt ipſi Collegio, & Congregationi, & vtraque per omnium mortem *extinguuntur*. Quando autem dicit, Monaſteria, & Iura, & bona eſſe *vacantia*, accipit nomen Monaſterij in ſecunda notione, quatenus ſignificat Eccleſiam, & habitationem materialem, & per Iura, intelligit *Iura Realia*, v g cenſus, & per bona, omnia bona, etiã materialia, & corporalia, quæ omnia, ſolutis Collegijs & Monaſterijs per omnium mortem, dicuntur *vacantia*. quia carent immediato poſſeſſore, ideoque pertinent ad Principis diſpoſitionem. Poſita ergò illa duplici acceptione Monaſterij & Iurium, vbi eſt contradictio? non maior, quàm ſi dicerem. Eccleſia *eſt vna*, Eccleſia *non eſt vna*, accipiendo Eccleſiam in prima propoſitione, pro Congregatione fidelium, in ſecunda pro templo & loco materiali.

Num. XLVIII.

SVMMARIA.

118. *Secundum argumen. quia dicit, bona eſſe vacantia, & poſſideri ab Eccleſia.*

119. *Reſp. Eccleſiam non habere dominium & poſſeſſionem immediatam, & ideò bona adhuc dici vacantia.*

118. Probat, eſſe repugnantia illa duo, *Quod bona huiuſmodi Monaſteriorũ ſint vacantia*, & quod *poſſideantur ab ipſa Eccleſia*: patet: quia *eſſe vacans*, eſt *non poſſideri*, poſſideri autem & non poſſideri, ſunt implicantia.

119. Reſpondeo, licet veriſſimum ſit, quod P. Laymannus aſſeruit, ſoluto Collegio per omnium mortem; bona ex benigna Iurisfictione cenſeri poſſideri ab ipſa Eccleſia materiali, & licet etiam concedi poſſit, quod docet P. Romanus hoc numero, mortuo Prælato proprietatem & poſſeſſionem bonorum remanere penes Chriſtum; vel vniuerſalem & ſingularem Eccleſiam: tamen non propterea hinc ſequitur, ipſa bona & *Iura Realia* non eſſe *vacantia*: quia non obſtat, quod Dominium & Proprietas ſit penes Chriſtum vel Eccleſiam tanquam penes Dominos mediatos; ſed ſatis eſt, quod careant Domino & Poſſeſſore immediato. Imò ex eo, quòd Chriſtus tantum, & Eccleſia vniuerſalis poſſidet bona Collegij Eccleſiaſtici diſſoluti, ſequitur Diſpoſitionē de illis Iure pertinere ad Chriſtum, & Eccleſiam Vniuerſalem, & conſequenter ad Chriſti Vicarium, & Eccleſiæ Principem. Si in aliquo verò caſu Eccleſia ſingularis maneat, eò quia per omnium mortem non ſit ſoluta, tunc non eſt mirum, ſi bona non ſint *vacantia*: quia habent immediatum poſſeſſorem. Dicet fortaſſis P. Romanus, ipſam Eccleſiam materialem eſſe immediatum iſtorum bonorum Poſſeſſorem: ergò non ſunt bona vacantia.

Verùm hoc parum ad rem facit, nam ipſa Eccleſia materialis, cum careat Domino & poſſeſſore immediato, eſt bonum quoddam *vacans*, ac proinde ſummus Eccleſiæ Princeps, & de ipſa, & bonis omnibus ei adhærentibus liberè diſponere poteſt.

Num. XLIX.

SVMMARIA.

120. *Diſtinctio P. Romani de Iuribus & bonis.*
121. *Reprobatur.*
122. *Alia eiuſdem diſtinctio.*
123. *Sed non ſubſiſtit.*

120. Vt ſe P. Romanus Dialecticis præceptionibus imbutum oſtendat, conatur reſpondere in forma ad Syllogiſmum initio propoſitum, & ad maiorem, quæ erat huiuſmodi: *Si Iura aliqua aut bona vacantia ſint, nemo eorum Dominium, aut Ius ad ea prætendere, Actionemq; pro ijs inſtituere poteſt, ſed Diſpoſitio de ijs ad illum pertinet, qui Reipublicæ præeſt.* Vt reſpondeat, ſupponit, à P. Laymanno per nomen *Iura* intelligi Iura Collegij, id eſt, Titulos beneficiorum, vel Abbatiarum, vel Prioratuum, &c. per *bona* verò Monaſteriorum intelligi bona immobilia, & prouentus eorum: & hac diſtinctione ſuppoſita, reſpondet. Si *maior ſumatur de bonis temporalibus*; *tranſeat*: *ſi autem de Iuribus Collegialibus Spiritualibus*, dicit eſſe falſam, nam hæc cenſet pertinere ad Religioſos eiuſdem Profeſſionis.

121. Verum diſtinctio, quæ ſupponitur à P. Romano inter *Iura* & *bona*, nulla eſt: nam P. Laymannus per *Iura* in ſuo ſyllogiſmo non intelligit Iura Spiritualia & Titulos, quæ omnia putat ſoluto Collegio eſſe *extincta* & non *vacantia*, ſed intelligit *Iura Realia*, vt ſunt:

Digitized by Google

vt ſunt cenſus, prouentus, &c. quæ à Iuriſtis ſolent appellari *res incorporales*, & per *bona* intelligit Eccleſiam & habitationem materialem, fundos, & prædia, & res omnes immobiles, quæ dicuntur *corporales*. Proinde P. Romanus neceſſariò debet concedere, illam maiorem; & ipſius diſtinctio non quadrat Argumento; quia, vt dixi, P. Laymannus, loquitur de *Iuribus Realibus*, quorum eſt eadem ratio, quæ de bonis corporalibus, & in ipſius ſententia, Tituli beneficiorum, & *Iura Perſonalia* in Monaſterijs diſſolutis, per omnium mortem *ſine ſpe reſtaurationis* non ſunt bona *vacantia*, ſed penitus *extincta*.

122. Videamus ergò an melius reſpondeat ad Minorem, quæ erat hæc. *Atqui Iura & bona Monaſteriorum, quæ iam ab hæreticis recuperantur, verè vacantia cenſeri debent.* Adhibet duplicem diſtinctionem, quarum alteram hoc numero explicat, alteram ſequenti. diſtinguit ergò primò hoc modo: vel per *Iura* intelliguntur Tituli Spirituales, vel bona temporalia; ſi primum; concedit eſſe bona *vacantia*, quia in ipſius ſententia ſoluto etiam Monaſterio per omnium mortem, Tituli, Prælaturæ, &c. *vacant*: ſi ſecundum; negat, quia bona temporalia poſſidentur ab ipſis Monaſterijs & Eccleſijs materialibus.

123. Reſponſio non poteſt ſubſiſtere, ſicut nec adhibita diſtinctio: quia P. Laymannus per *Iura* non accipit Titulos, ſed bona & Iura temporalia, & de his, malè negat minorem P. Romanus. dicendo iſta bona non *vacare*, quia ſubſunt Monaſterijs: vel enim per Monaſteria intelligit, vt ego puto, loca materialia, vel alia Monaſteria & Congregationes Ordinis eiuſdem. Si primum; ipſa Monaſteria materialia ſunt bona *vacantia*: & conſequenter *vacantia* ſunt etiam Iura & bona Temporalia, quæ ad ea pertinent. Si ſecundum, Monaſteria eiuſdem Ordinis, nec poſſederunt vnquam, nec poſſident. Ex quibus duo inferuntur. Primò, malè P. Romanum negare conſequentiam, cùm tam maior, quàm minor vera ſit in ſenſu P. Laymanni, & in eodem ſenſu concedatur maior, & minor ſine vllo fundamento negetur, & ſupra demonſtratum ſit, eſſe veriſſimam. Alterum, quod infertur, eſt, perperam dici à P. Romano eſſe impoſſibilem minorem propoſitionem, ſi mutetur particula *aut* in *&*, & dicatur, *Si bona & Iura aliqua ſint vacantia*, eo quòd *nunquam*, inquit, *poſſint ſimul Iura Collegialia, ſeu beneficialia & bona immobilia Eccleſiarum vacare.* perperam, inquam, hoc aſſeritur. quia, vt dixi, P. Laymannus per *Iura* non intelligit Iura beneficialia, ſed *Iura Realia*, & ſoluto Monaſterio per omnium mortem, tam hæc quam bona immobilia corporalia cenſentur *vacantia*.

Num. L.

SVMMARIA.

124. *Tertia diſtinctio.*
125. *Quæ etiam eſt inſufficiens.*
126. *Quarta diſtinctio.*
127. *Et ipſa inutilis.*

124. Quaſi diffideret P. Romanus allatæ reſponſioni; alteram affert, vt reſpondeat Maiori Argumenti P. Laymanni, adhibita noua diſtinctione. *Si aliqua bona*, inquit, *vacantia ſint reſpectu omnis Dominij, ita vt nullus adſit Dominus neque immediatus, neque mediatus, tunc verum eſt, quod nemo Ius ad ea, Actionemq́; inſtituere poſſit, ſecus ſi ſint vacantia reſpectu Domini tantum immediati, non autem reſpectu mediati*, & hac poſita diſtinctione, reſpondet ad minorem. *Bona Monaſteriorum recuperandorum verè vacantia cenſeri debent, reſpectu Domini immediati, qui ſit Abbas & Monachi intitulati; conceditur, verè vacantia cenſeri debent reſpectu Domini immediati, qui Iuris Intellectu eſt ipſa Monaſterialis Eccleſia, vel mediati ſiue ſubalterni, qui eſt Ordo, Eccleſia vniuerſalis, & Chriſtus; negatur minor, & iterum Conſequentia.*

125. Hæc reſponſio non ſatisfacit difficultati; nam ex eo quod Eccleſia Monaſterialis *Iuris intellectu*, ſit Domina bonorum, non tollit quo minus ipſa ſint *vacantia*. nam ipſa etiam Eccleſia Monaſterialis eſt *vacans*, & ſine poſſeſſore immediato, & conſequenter *vacat*, & vna cum ipſa omnia bona annexa. Ordo verò ipſe, nullum habet Dominium reſpectu bonorum horum Monaſteriorum: nec vnquam habuit, ſed fuit penes ſingulorum Monaſteriorum Collegia. Quod verò eorundem Monaſteriorum Dominium ſit Chriſti & Eccleſiæ vniuerſalis; confirmat noſtram ſententiam, qui dicimus, à Chriſti Vicario & Eccleſiæ Principe, tanquam ab Adminiſtratore, à Cæſare tanquam Supremo Patrono, poſſe de ijs diſponi, prout ad maiorem vtilitatem Eccleſiæ expedire iudicauerint.

126. Ingerit P. Romanus ad finem huius numeri aliam diſtinctionem, quæ licet ad rem non ſit; non eſt tamen prætereunda, ne putet nihil ſuppetere, quod reſpondeatur. Diſtinctio autem procedit, ſi nomine *Iurium* intelligantur Tituli beneficiales: *Si huiuſmodi*, inquit, *Iura ſint vacantia, nemo Ius ad ea Actionemq́; inſtituere poteſt, diſtinguo; nemo in Indiuiduo Religioſus poteſt ad ea tanquam ſibi in particulari debita Ius Actionemq́; nomine proprio inſtituere; ſic vera eſt maior; nemo in genere*, id eſt, *nullus Ordo Religioſus; ſic eſt falſa.*

127 Sed hoc nihil eſt; tum quia, vt toties dixi, hæc Iura & Tituli in caſu noſtro ſunt *extincti*; tum quia ſupponit P. Romanus, quod eſt probandum, Ordinem & Religionem in communi, mortuis omnibus in Monaſterio, habere *Ius & Actionem vindicandi* ſibi Monaſteria, quod eſt falſiſſimum.

Num.

Num. LI. vſque LV.

SVMMARIA.

128. *Bonorum vacantium diſpoſitionem ſpectare ad Principem, probatur multiplici teſtimonio.*
129. *P. Roman. reſpondet Bart. locutum de bonis Collegij Iure diſſoluti.*
130. *Reprobatur ſolutio euidenter.* C. c. 8.
131. *Vt etiam ſimilis reſponſio ad Panormit.*
132. *Vrgetur aliud Bart. teſtimonium.*
133. *Obijcitur quod bona Coll. diſſoluti poßidentur ab Eccleſia, ergò non vacant.*
134. *Reſp. adhuc dici vacare, quia carent poſſeſſore immediato.*
135. *Reſp. ad Gloſſ.*
136. *Referuntur verba Gloſſæ.*
137. *Oſtenditur eam loqui de Collegio ſoluto per mortem omnium, & bona eſſe vacantia.* C. c. 8.
138. *Quomodo putet P. Rom. à Bart. dici, bona dici Fiſci, ſcilicet, 1. ſi ſint Collegij extincti.*
139. *2. Eſſe in cuſtodia eiuſdem Fiſci.*
140. *3. Eos, qui talia bona deferunt Fiſco, incurrere pœnas Legis.*
141. *Sed bona de quibus hîc, ſunt Collegij extincti.*
142. *Verba Bartoli plus ſignificant quàm cuſtodiam.*
143. *Nullus ſubeſt metus pœnarum.*
144. *P. Rom. ſibi fauere ait Innocentium, ſed fallitur.*
145. *Ancharanum loqui de Collegijs Iure deſtruendis. hoc quoque non ſubſiſtit.*
146. *Idem reſpondet ad Epiſtolam Cardin. Barberini & Ripæ, ſed malè.* C. c. 8.
147. *Nec ſatiſfacit teſtimonio Nauarri.* C. c. 8.
148 *P. Romanus nihili facit teſtimonia modernorum contra ſe, pro ſe, maximi.*

128. Numero præcedenti conatus eſt P. Rom. ſed fruſtra, oſtendere falſam eſſe illam maiorem propoſitionē Argumenti P. Laymanni, quæ erat hæc. *Si Iura aliqua, aut bona vacantia ſint, nemo earum dominium aut Ius ad ea prætendere Actionemque pro ijs inſtituere poteſt, ſed Diſpoſitio ad illum pertinet, qui Reipublicæ præeſt.* Iam in prænotatis numeris hoc vnum agit, vt reſpondeat minori propoſitioni eiuſdem Argumenti, quâ dicebatur *Iura & bona Monaſteriorum, quæ ab hæreticis recuperantur verè, vacantia cenſeri debere,* & quam P. Laymannus ſolidè confirmauerat Authoritate Bartoli, Gloſſæ, Innocentij, Panormitani, Petri de Ancharano, Petri de Vbaldis, Compoſtellani, Ioannis Franciſci Ripæ, Cardinalis Barberini, & duorum Aduocatorū Romanorū.

129. Ad Bartoli ergò Auctoritatem in *l. vlt. ff. de Colleg. illic. n. 22.* reſpondet, locutum fuiſſe de Collegio quod *Iure diſſolutum ſit*, hoc eſt, mandato & ſententia Superioris, vt patet ex allato Templariorum exemplo. quorum Collegium *iure* fuit deſtructum mādato Summi Pontificis ob delictum.

 130. Hæc

120. Hæc reſponſio nullo modo ſubſiſtit, patet ex ipſo Bartoli contextu, qui ita habet. *Quæro qualiter Collegia diſſoluantur. Reſpond. quædam eſt Diſſolutio quæ fit omnibus de Collegio volentibus, vt ſupra ead. l. 1. vel omnibus mortuis nullo remanēte, vt l ſicut ſupra, quod cuiuſque vniuerſ. quædam eſt Diſſolutio inuita; quæ fit mandato Superioris propter aliquod delictum Collegiatorum, vt putà, ſi prætextu Collegij liciti, committant illicita. Quæro quid fiet de rebus Collegij diſſoluto Collegio?* (NB. Bartolum mouere quæſtionem de Collegio diſſoluto generatim, quocunque ſcilicet modo contingat diſſolui ex tribus enumeratis, quare & reſponſio generalis eſſe debet:) *reſpondeo*, inquit Bartol. *quædam ſunt Collegia, quæ poſſunt habere in communi, & nihil in particulari, vt Collegia Religioſorum, & in iſtis diſſoluto Collegio, remanent bona apud Superiorem, vel cui ipſe conceſſerit. Et ita fuit obſeruatum, quādo fuit deſtructum Collegium Templariorū per Summum Pontificem, ſunt enim bona vacantia, & ſic debentur Fiſco l. 1. C. de bonis vacantibus, & l. 1. ff. de Iure Fiſci. quædam ſunt Collegia, quæ poſſunt habere aliquid in particulari & in communi. Et hic eſt aduertendum, quia quædam ſunt Collegia quæ habent aliquid in remuneratione laborum, vt Collegium vnius Eccleſiæ, habēt enim propter officium & laborem, quem ſuſtinent pro ciuibus & parochianis, & tunc diſſoluto Collegio ſiue in totum, ſiue quoad vnum recedentem bona eorum non conſequuntur: ſed remanent apud Superiorem, ceſſante enim labore, ceſſare debet præmium. quædam ſunt Collegia, quæ habent aliquid non propter ſe, ſed vt diſtribuant inter alios, vt Collegium Miſericordiæ. &c & tunc etiā deſtructo Collegio non remanent apud eos.* Hæc Bartolus. ex quibus liquidò apparet, illum eſſe locutum de omni Collegij diſſolutione, & maximè de ea, quæ fit per mortem omnium de Collegio, & egiſſe nominatim de Collegijs Religioſorum. neque refert, quod attulerit exemplum de Tēplarijs. Quis enim ignorat, exemplum ſpeciale non reſtringere regulam generalem, cui apponitur? Quis poteſt ſibi perſuadere, reſponſionem Bartoli ad quæſtionem generalem, *Quid fiet de rebus Collegij diſſoluto Collegio?* dum dicit *remanere bona apud Superiorem, vel cui ipſe conceſſerit quia ſunt bona vacantia, & ſic debentur Fiſco*; eſſe coarctandam ad *Diſſolutionem*, quæ fit ob delictum mandato Superioris? Illuſtremus hoc exemplo. Communis eſt Doctorum ſententia, effectum Interdicti eſſe prohibitionem diuinorum officiorū, ſiue Interdictum ſit perſonale, ſiue locale, ſiue latum per ſententiam Iudicis, ſiue de Facto incurratur ob aliquod publicum & graue delictum, cui per Canones Interdicti Cenſura annexa ſit abſque ſententia contrahēda, quale eſt illud, quod decernitur contra Vniuerſitates aut Collegia cōcedentia locum habitationis Vſurarijs alienigenis. *c. 1. de Vſur. in 6.* Si iam quis vellet afferre exemplum aliquod ſpeciale in Confirmationem huius doctrinæ, & diceret hoc modo. *Et ita fuit hoc obſeruatum Mediolani menſe Martio anno 1632. quando Vicarius Capitularis & Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ interdixerūt totam Ciuitatem propter*

delictum

Digitized by Google

delictum violata, vt ipſi putabant, immunitatis Eccleſiaſticæ ; & ideò toto quatriduo omnia templa fuerunt clauſa, nec ſunt publicè celebrata officia. Si inquam, hoc exemplum afferretur ad oſtendendum effectum Interdicti eſſe ſuſpenſionem diuinorum officiorum; an non ineptè diceretur, hunc effectum eſſe ſolùm Interdicti, quod fertur per ſententiã, & mandatum Superioris? Similiter omninò facit P. Romanus: cùm exemplo Templariorum allato à Bartolo ad regulam generalem declarandam, abutitur ad illam reſtringendam.

131. Hæc eadem Confutatio reſpõſionis P. Romani ad Bartoli teſtimonium, deſeruire etiam poteſt ad refellendum quod dicit ad Panormitani Authoritatem *in c. recolentes n. 2. & 3. de ſtatu Monachorum*, eſſe ſcilicet intelligendam ſicut Bartoli teſtimonium.

132. Secundò ad alterum Bartoli locum *in l. ſicut §. in decurionibus ff. quod cuiuſq; vniuerſ.* vbi ait. *quod pertinet ad proprietatem bonorum Collegij diſſoluti, bona eſſe vacantia; & quòd pertinebunt ad illud Collegium, quod Superior reſtaurabit loco illius;* reſpondet P. Romanus, non apparere, quid contra ſe inferat. Docebit illum P. Laymannus. Infert illud ipſum, quod Bartholus ibidem dicit: *quod ſi nullus de Collegio remanſit, & conſequenter diſſolutum eſt; bona illius ſunt vacantia, & ſecundum proprietatem pertinent ad fiſcum, ſi ſint ab eo agnita, & poſtea pertinebunt ad Collegium, quod Superior reſtaurabit loco illius, & quod poſſeſſio eorũdem bonorum vacantium, ſi Collegium fuerat Clericorũ, ſit penes Chriſtum, & Eccleſiam Vniuerſalem.* Cuperem ſanè ſcire, quid horum neget P. Romanus, & quomodo hæc nihil inferant contra ipſum, qui affirmat, bona Collegij nõ eſſe *vacantia*, & illa debeti eiuſdem Ordinis Religioſis; quæ ſunt duo capita huius totius Controuerſiæ. Solũ cauillatur, quòd P. Laymannus omiſerit duas voculas in referendo teſtimonio Bartoli, ſunt autem hæ: *ſicut hæreditas,* quaſi verò hoc multum faceret ad cauſam. reponamus ergò eaſdem voces, & dicamus, quod ſicut iacente hæreditate res hæreditariæ vacant, ſiue, in nullius dominio ſunt, donec hęreditatẽ adierit hæres, & ex eo tẽpore quo adierit, res cenſentur eſſe illius; ita diſſoluto Collegio morte omnium res Collegij *vacant*, & in nullius bonis ſunt, & pertinent ad Fiſcũ, & diſpoſitionem Eccleſiæ: &, ſi deinde alicui aſſignentur; Iuris artificio cenſentur ipſius fuiſſe. Nec quicquam aliud vult P. Laymannus, quàm bona Monaſteriorum eſſe *vacantia*, & pertinere ad Diſpoſitionem Papæ, & ſi ab eo etiam hominibus alterius Profeſſionis aſſignentur; fieri ipſorum, & hoc totum ex doctrina Bartoli, quam nihilominus P. Romanus nihil contra ſe inferre affirmat.

133. Tertiò parum fuerat P. Romano reſpondiſſe vtcunque ad hæc Bartoli teſtimonia: profert eiuſdem Authoritatem contra P. Laymãnum pro ſua ſententia *ex l. 1. §. municipes ff. de acquir. poſſeſſ. n. 4.* vbi ſic ait. *Quero ſi moriuntur omnes de Collegio; an poſſeſſio vacet? In Collegio ſæculari dic quod ſic, vt not. ſupra. quod cuiuſque Vniuerſ. l. ſicut. ſed in Collegio Eccleſiæ videtur quod non, quia*

ipſa

Digitized by Google

ipſa Eccleſia poßidet C. *de Sacroſanct. Eccleſ. l. Iubemus, &c. ideò dicit Innocentius, quod res Eccleſiæ poßidet Chriſtus vel vniuerſalis Eccleſia*, hoc eſt, *Congregatio fidelium, & in hoc ſtemus eis.* Subdit ergò P. Romanus, his Bartoli verbis: ſuam ſententiam de poſſeſſione *non vacante* ſolidè confirmari.

134. Alia omnia. Ex eo enim, quòd Bartolus & Innocentius volunt, bona Collegij Eccleſiaſtici diſſoluti, quòad poſſeſſionem eſſe penes Chriſtum & vniuerſalem Eccleſiam, non infertur *bona* non eſſe *vacantia*: quia ad hoc, vt dicantur *vacantia*, ſatis eſt, quod *vacant* poſſeſſore immediato, vt ſupra declaratum eſt, & eo ipſo, quod res eiuſmodi poſſidentur à Chriſto, vel vniuerſali Eccleſia, inferri poteſt, eſſe ſub diſpoſitione Vicarij Chriſti, & Paſtoris Eccleſiæ.

135. Quartò addit P. Romanus, teſtimonium Gloſſæ allatum à P. Laymanno *L. ſicut. §. in decurionibus. ff quod vniuerſ.* eſſe in eodem ſenſu explicandum, hoc eſt, *diſſoluto Collegio per omnium mortem, vacare bona, ſicut vacat hereditas, quia licet Ordo Religioſus, vel Eccleſia vniuerſalis, aut ipſe Chriſtus, retineat dominium eiuſmodi rerum Eccleſiæ; illud tamen eſt dominium altum, vel ſubalternum; Dominium autem immediatum reſpectu Intitulati vacat, & Succeſſor illud habebit, velut heres*, & ſubdit P. Romanus, *quod per Iuris intellectum dicatur etiam Proprietas, ſicut & Poſſeßio remanere penes Eccleſiam particularem viduam, & hoc Bartolus non neget.*

136. Quod pondus habeat Gloſſæ teſtimonium, clarius apparebit, ſi ipſius verba referantur. Sunt autem huiuſmodi; *Si nullus omninò remanſit, ſolutum eſt Collegium, & res in nullius bonis ſunt, ſicut & hæreditariæ. Sed tamen ſi Authoritate D. Papæ, vel eius, ad quem ſpectat cura eiuſdem Collegij, inſtituatur aliquis in eadem Collegia; Iuris artificio fingitur illius fuiſſe*, & paulò poſt, *verum id eſſe videtur, vt nullo modo dicantur eſſe vllius, ſcilicet ab eo tempore, quo ſolutum eſt Collegium, ſed ipſo Iure ſint Fiſco, vel Papæ quæſita*, & hoc *quantum ad Dominium.*

137. In his verbis, primò ſermo eſt de Collegio ſoluto per omnium mortem: ait enim. *Si nullus omninò remanſit.* Secundò dicuntur res Collegij *in nullius bonis eſſe, nec vllo modo dici, eſſe vllius quoad Dominium*, nec P. Roman. diffitetur, ſi hoc intelligatur de Dominio immediato. Tertiò dicuntur *ea bona ipſo Iure eſſe Fiſco vel Papæ quæſita.* Quartò *ſi Authoritate Papæ aliquis in eadem Collegia inſtituatur, Iuris artificio fingi illa bona fuiſſe eius, qui fuerit inſtitutus.* Quid horum deeſt in noſtro caſu? Monaſteria ſunt ſoluta nullo remanente: Nullus eſt Dominus immediatus: & mediatus eſt ſolus Chriſtus, & Eccleſia vniuerſalis, & nullo modo Ordo Religioſus, vt infra etiã probabitur; ergò ſequitur vt ipſa Monaſteria, & bona annexa, ſint quæſita Fiſco, hoc eſt Papæ; &, ſi aſſignentur hominibus etiam alterius profeſſionis, quàm Religioſis antiquis, fiant illorum; imò Iuris artificio fingatur, eorũdem fuiſſe. P. Romanus ſolùm obijcit, Proprietatem & Poſſeſſionem remanere penes Eccleſiam particularem viduam, neque Bartolum hoc negare. Sed quæro

quid

quid intelligat per Eccleſiam particularem viduam?non Congregationem Monachorũ; quia ſupponimus, eſſe ſolutam per omnium mortem;ergò neceſsè eſt,vt intelligat Eccleſiam materialem, (quæ eſt opinio Gloſſæ loco citato,vbi non reprobat dictum cuiuſdam Moyſis aſſerentis, *quod plerumque dicitur Eccleſia ipſe locus parietibus circundatus,& etiam conſecratus,& alias Eccleſia Ius habere,& poſſidere,& vendicare,vnde videtur, quod talis locus ſiue parietes poſſideant,etiam durante Collegio, & vendicent per Prælatos, tanquam quilibet priuatus per Procuratorem, vel Colonum.*) Sed ſi hoc dicatur;cum ipſa Eccleſia,& locus materialis ſit *vacans*, & carens omni immediato poſſeſſore & domino; conſequenter omnia bona ei annexa erunt *vacantia*, & ſub Diſpoſitione Papæ; & proinde poterunt ab eo aſſignari cuicunque pro bono Eccleſiæ iudicarit expedire. Quamuis autem hæc bona non careant domino mediato, & poſſeſſore, hoc eſt Chriſto, & Eccleſia vniuerſali (ſi tamen hi ſunt poſſeſſores) abſolutè vocari debent bona *vacantia*: quia carent poſſeſſore immediato; & ſic illa vocat Bartolus, & reliqui Auctores, qui tamen non ignorabant pertinere ad Chriſtum & ad Eccleſiam. Dignũ autem eſt obſeruatione,quod Bartolus & Doctores loquentes de Collegijs Religioſis ſolutis,dicant,*proprietatem & poſſeſſionem remanere penes Chriſtum,qui viuit in æternum, vel Eccleſiam vniuerſalem, quæ nuſquam moritur*: & nunquam dicant,remanere penes eũdem Ordinem.Haud dubiè,quia ſentiebant, Ordinem commũnem nullũ habere dominium,nec immediatum, nec mediatum, nec vllam poſſeſſionem.

138. *Num.LII.*P.Rom.quæ de Fiſco ex Bartolo producta ſunt, ait eſſe quidem vera de bonis Monaſteriorum *extinctorum*,non autẽ *vacantium*, qualia ipſe putat eſſe Monaſteria, de quibus agitur, quorum bona non licet applicare pro libito ex *c.præſenti.de Offic.Iud.Ord.in 6.*

139. Secundò dicit, Bartolum locis citatis poſſe explicari, vt bona Collegij ſoluti remaneant apud Superiorẽ, velut in *Cuſtodia* ex Gloſſa *dicti c. præſenti.& 6.Synodo Canone 35. & c.non liceat.12.q.2.*

140. Tertiò ait,eos, qui ad Fiſcum deferunt huiuſmodi bona Monaſteriorum, facilè incidere poſſe in pœnas Legum,quæ ſtatuunt, vt qui bona *vacantia* defert ad Fiſcum, ſi non probauerit; puniatur, & in vincula deducatur *L.non tantum, & l.1.de Iure Fiſci.§.Senatus.& §.dives* niſi fortè nomine Fiſci intelligatur ipſa Eccleſia particularis,quæ Fiſcum habere dicitur,eique in ſuis priuilegijs comparatur.

141. Ad primum facilis eſt reſponſio.à P.Laymanno demonſtratum eſt Monaſteria,de quibus agimus,& Cõgregationes illas Monaſticas, eſſe *extinctas* & non *vacantes*.

142. Ad ſecundum. Aliud omninò ſignificant verbà Bartoli, Gloſſæ & aliorum Auctorum, quàm *Cuſtodiam*. Aſſerunt enim bona remanere apud Superiorem,qui diſponat de illis tanquam

quam de bonis *vacantibus*; & fieri eorum, quibus Superior illa conceſſerit, bona autem *vacantia* non ſunt in ſola *Cuſtodia*, ſed in libera Diſpoſitione Fiſci. Capitulum *Praſenti.* citatum, expreſſe loquitur de Eccleſijs *vacantibus*, non de *extinctis*. Canon Sextæ Synodi, agit de Epiſcopatibus vacantibus, ſtatuens, vt nulli omnium Metropolitanorũ res Epiſcopi defuncti vel Eccleſiæ eius auferre, vel ſibi vindicare liceat: ſed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, vſque ad alterius Epiſcopi prouiſionem, præterquam ſi in eadem Eccleſiâ non relicti ſint Clerici. tunc enim Metropolitanus ea non diminuta ſeruabit Ordinando Epiſcopo omnia reddens, noſter autem caſus eſt de Eccleſia Monaſtica non vacante ſed extinctâ. Capitulum, *non liceat*, affertur prorſus extra rem, in eo enim ſolùm ſtatuitur, Papæ non licere prædia Eccleſiæ alienare. Deceptus eſt, opinor, P. Ron.. ex eo, quod cum idem ſit initiũ Canonis Sextę Synodi, & huius Capituli 12 *q.* 2. hoc eſt, *non liceat*. putauerit, niſi fallor, Canonem ſextæ Synodi translatum fuiſſe in illam Cauſam 12. & quæſtionem 2.

143. Ad Tertium: Iubeo eſſe ſecurum P. Laym. & quicunque dicunt, bona Monaſteriorum eſſe *vacantia*, illaque deferunt ad Fiſcum Pontificiũ. Iam enim grauiſſimorum Doctorum Authoritate probatum eſt, eſſe *vacantia*, & porrò probabitur. Quod verò P. Rom. addit de Fiſco Eccleſiæ Particularis; retorquetur: *Si enim*, inquit, *P. Laym. Particularis Collegiata vel Conuentualis Eccleſia Fiſcum habet tanquam Ius ſiue rem ſibi adhærentem*, & diſſoluto Collegio, ſiue ſacra Congregatione, Eccleſia Particularis materialiter accepta, vnà cum Iuribus ſuis *vacat*, ſiue domino ac Poſſeſſore immediato caret; ſequitur vt etiam Fiſcus eius Eccleſiæ *vacet*, & ad Superioris diſpoſitionem pertineat.

144. *Num, LIII.* Ait P. Rom. Innocentium non fauere P. Laym. ſed ſibi. Afferamus Innocẽtij verba, vt appareat vtri ſuffragentur. *In c. cum Super.* n. 3. *de Cauſ. Poſſeſ. & Propriet. etſi*, inquit, *aliquando inueniatur, hæc bona Deo oblata eſſe Epiſcoporum, vel Prælatorum, vel Capitulorum; dic, eſſe eorum quoad Gubernationem. Dicuntur etiam pauperum, quoad ſuſtentationem. Hæc autem propter vtilitatem communem diuiſa ſunt per Eccleſias diuerſorum locorum Auctoritate Summorum Pontificum; & Epiſcopis, & alijs Prælatis conceſſa eſt miniſtratio eorum 12. q. 1. Videntes. Ex his præcipimus, & propter hoc dicimus, quòd quantumcunque moriatur Prælatus, & omnes Clerici Eccleſiæ; tamen proprietas & Poſſeſſio remanet penes Chriſtum, qui viuit in æternum, vel penes vniuerſalem, vel ſingularem Eccleſiam; quæ nunquam moritur, nec eſt vnquam vlla.* Hactenus Innocentius, qui faueret P. Romano; ſi diceret, mortuis omnibus Monachis alicuius Monaſterij, remanere proprietatem & poſſeſſionem penes eundem Ordinem; non hoc dicit, ſed *remanere penes Chriſtum, vel Eccleſiam vniuerſalem*. Fortè dicet P. Romanus, in eo ſibi fauere Innocentium, quòd dicat, remanere penes vniuerſalem, vel *ſingularem* Eccleſiam. Sed tum quæro ab ipſo,

quid intelligat per ſingularem Eccleſiam? non poteſt intelligere Congregationem Monachorum quia ex ſuppoſitione illa iam eſt *extincta*; ſi locum conſecratum materialem, ille ipſe, eſt bonum *vacans*, cum careat immediato poſſeſſore; & conſequenter pertinet ad Diſpoſitionem Superioris.

145. Eodem *Numero* reſpondet, Petrum Ancharanum loqui non de Monaſterijs *vacantibus*, ſed de Collegijs de *Iure deſtruendis*. Imò agit & de deſtruendis, & de diſſoluendis, &, iam ſupra oſtenſum eſt, eundem ſequi effectum, vt bona Collegij ſoluti ſint *vacantia*, ſiue *de Iure*, ſiue *de Facto* diſſolutum ſit, & hanc diſtinctionem eſſe commentitiam.

146. Ibidem ait, Eminentiſſimum Cardinalem BARBERINVM in illa epiſtola, & Ioannem Franciſcum Ripam contra ſuam ſententiam non ſe opponere; *quia ambo loquuntur de Monaſterijs deſtructis, vtique ſine ſpe reſtaurationis, vel de Iure deſtructis ac diſſolutis, & in Germania conſtare huiuſmodi Monaſteria non eſſe de Iure diſſoluta, adeoque non extincta.* Cardinalis Barberinus & Ioannes Franciſcus Ripa loquunrur de Monaſterijs, de quibus nos agimus; & maximè Cardinalis Barberinus, apud cuius patruum VRBANVM OCTAVVM Summum Pontificem hæc cauſa agebatur; & ſcribens ad Eminentiſſimum Cardinalem PALLOTTVM eo tempore Nuncium Apoſtolicum apud Cæſarem, ita ſcribit: *Adde quod non ſit vllus, cui debeat fieri reſtitutio, cum Monaſteria ſint deſtructa, Monachi omnes extincti, locus itaque dandus eſt Authoritati ſupremæ Vicarij Chriſti in hac bonorum Diſpoſitione, & applicatione ad maius Dei obſequium.* Et Ioannes Franciſcus Ripa *in l quo minus ff. de fluminibus. num.* 107. *deſtructo* inquit *Monaſterio, vt nunc (prò dolor!) euenit in Alemania propter hæreſim Lutheranam, amittuntur Iura Monaſterij, & bona applicantur Superiori tanquam vacantia, & ſic Papa.*

147. In reſponſione ad Teſtimonium adductum ex Nauarro, primùm deſidero memoriam in P. Romano; nam admonitus à P. Laymanno in Cenſura, Nauarrum non potuiſſe meminiſſe Clementis VIII. ante cuius Aſſumptionem ad Pontificatum aliquot annis, deceſſerat; ſed Pij V. ſupra emendauit hunc errorem; hic corrigere oblitus fuit. Deinde dico, Patrem Romanum non ſatisfacere, dum dicit, Nauarrum non negare; alios eſſe ſubſtituendos in locum demortuorum; ſed velle ſolummodò dicere, huiuſmodi bona Eccleſiaſtica deſtituta Catholicis Adminiſtratoribus, pertinere ad ſollicitudinem & Adminiſtrationem Suæ Sanctitatis, id eſt, vt prouideat, ea reſtitui, & Canonicè immediatè vel mediatè prouideri, neque ibi de Fiſco Pontificis fieri mentionem. Nam Nauarri verba aliud ſonant. Sic enim ait in *tractatu de ſpolijs Clericorum* §. 10. *n.* 5. *infertur omnium bonorum Eccleſiaſticorum, & fructuum eorum Adminiſtrationem, quæ immediatè, aut mediatè non eſt alij à Papa conceſſa, pertinere ad illum. Ex quo ſubinfertur, bona Eccleſiaſticorum & fructuum eorum, quæ nunc reperiuntur in*

Anglia & Germania, deſtituta Catholicis Adminiſtratoribus, pertinere ad Sacroſanctam eius Maieſtatem, id eſt, ad Papā, *quoniam certum eſt, illa nondeberi nunc alicui alij per conceſſionē eius immediatam, aut mediatam.* Hactenus Nauarrus, cui facillimum erat dictu, Monaſteria deberi ſuis Ordinibus, & tamen negat, *alicui alij deberi*; & certum eſt, quod ſi Papa illa applicet alijs quam Religioſis eiuſdem Ordinis; Applicationem Canonicam fore, quia ſunt bona *vacantia*, & pertinent ad liberam ipſius Adminiſtrationem.

148. Poſtremò addit, Chriſtophori, Ronconij, & alterius Iureconſulti Romani *ſententiam ſe reijcere tanquam à Iure Communi exorbitantem, & Doctorum antiquorum iudicio potius ſtandum eſſe, quàm Iuniorum, ſeu modernorum; quia antiquior melius præſumitur ſcire veritatem ex Alciato.* &c. Rectè. Sed Ronconij & alterius Iuriſconſulti non ſolùm à Iure Communi non exorbitat; ſed eſt ipſi Iuri maximè conformis ſententia; & licet antiquis Doctoribus meritò ſit plurimum tribuendum, qui tamen aliquando etiā ipſi fuerunt Iuniores; non video proptereà cur modernis ſit omnis fides abroganda, qui olim etiam ipſi erunt antiqui, adeóne *virtutem incolumem odimus, ſublatam ex oculis quærimus inuidi?* Sed ita ſit, vt vult P. Romanus, hos duos Iuriſconſultos non audiamus, quia moderni ſunt, at patiatur, nec à nobis audiri Ioannem Honorium ab Axell, neque Petrum Franciſcum Rubeum, neque Hyppolitum Merendani, neque Torquatum Flo-rauantium, eodem nomine, quia Iuniores ſunt.

149. Atque hic ſit finis confutationis eorum, quæ reſpondet P. Rom. ad ſecundum Argumentum à ſe propoſitum, quod tamen eſt primum ex allatis à P. Laymanno, qui Iure hæc habet in Cenſura nona circa finem. *Ex his intelliget Lector, quam malè Aduerſarij cauſa, atque Intentio fundata ſit, cum ad Teſtimonia Doctorum, quæ circa Principalem quæſtionem contra ipſum producta ſunt, tā friuolas reſponſiones atque Interpretationes fingere debuerit. Ipſe verò, ne vnicum quidē Doctorem Claßicum in fauorem cauſæ ſuæ producere potuerit, qui diceret, bona Monaſteriorum eiuſmodi quorum profeßi omnes mortui ſunt*, vacantia *non eſſe, vel ad Ordinis S. Benedicti & Prælatorum eius Dominium aut Diſpoſitionem pertinere.*

THEORICA RESPONSIONIS ad Tertium Argumentum.

SVMMARIVM.

149. *P. Laym. Arg. quo probat Monachis nullum Ius agendi competere, quia nullum habent dominium, nec quaſi, ſtante quod Monaſteria ſint extincta, & bona vacantia.*

149. Ex eo, quòd Collegia & Monaſteria omnium morte dudum diſſoluta fuerint *ſine vlla ſpe reſtaurationis*, ſequitur, vt hactenus demonſtrauimus, omnes Titulos Abbatis, Præpoſiti, Prioris &c. fuiſſe *extinctos*, & ipſa Monaſteria, & loca

loca materialia cum omnibus alijs Iuribus ac bonis annexis eſſe *bona vacantia*, & ad Summi Pontificis liberam diſpoſitionem pertinere; ac proinde nemini mortalium competere *Ius & Actionem Iure Dominij, aut quaſi Dominij* ad eorundem bonorum repetitionem: quæ vltima conſequentia eſt tota hac Diſputatione à P. Laymanno intenta. Ad eiuſdem Confirmationem vtebatur alio Argumento cuius ſumma hæc erat, *quòd Abbates antiquorum Ordinum, ſi haberent aliquod Ius & Actionem realem Vindicationis ad Monaſteria, de quibus agimus recuperanda; oſtendere deberent, ſe habere aliquod Dominium, vel quaſi Dominium reſpectu eorundem Monaſteriorum. Atqui non habent. quia Abbates & Monachi moderni non habent Ius & Titulum in alijs Monaſterijs, ſed ſolum in ſuo, in quo profeſſi ſunt: neque Monaſteria amiſſa, fuerunt alijs incorporata, neque Abbates vnius Ordinis ſunt totius Religionis capita, vel ſi ſunt, non ſunt talia, quæ de perſonis, Iuribus ac bonis aliorum Monaſteriorum diſponere poſſint. ergò*, &c. Videamus quid reſpondeatur à P. Romano.

Num. LV.

SVMMARIA.

150. *P. Rom. ait, non eſt opus reſponſione: quia demonſtrauit Monaſteria non eſſe extincta.*

151. *Atqui opus eſt, quia extincta ſunt, & eorum bona vacantia.*

150. Ad hanc obiectionem, (ſicut nec ad ſequentes) P. Romanus arbitratur, *non eſſe neceſſè reſpondere*, quod *ex prædictis conſtet, eas eſſe impertinentes & pugnare cum Iure Communi. Ne tamen videatur nolle gratificari Opponentibus; ait, breuiter ſe eas percurſurum, & quamuis non debeat tractari Quæſtio Dominij ante factam reſtitutionem Monaſteriorum, gaudere ſe tamen dicit, quòd Dominij Titulus vltrò à P. Laymanno offeratur*, offertur autem per P. Romanum, quia mutuò ſe conſequuntur iſta duo, habere Ius pro Monaſterijs ſuis agendi, & habere eorundem Dominium, aut quaſi Dominium, ille autem putat, ſe demonſtraſſe, Monachis qui nunc ſunt, competere eiuſmodi *Ius & Actionem*.

151. Totum hoc commodiſſimè retorquetur. Non demonſtrauit P. Romanus, Monaſteria omnium morte *non* eſſe *extincta*, nec bona *non* eſſe *vacantia*, nec ad liberam Superiorum diſpoſitionem pertinere: & conſequenter neque oſtendit, Abbatibus & Monachis modernis *Ius & Actionem Vindicationis* competere: ergò non eſt impertinens Obiectio de Dominio, nec quicquam remittit de ſuo Iure, dum etiam antè reſtitutionē, de Dominio diſputare paratus eſt, & magnopere decipitur, ſi putat, ſibi Dominij Titulum ab Opponente vltrò eſſe delatum, proindè hic nullus eſt gratificationi locus. noſtro Iure flagitamus, reſponderi ad propoſitum Argumentum.

(1)

Num. LVI.

SVMMARIVM.

152. 1. *Probat P. Rom. Ordini S. Benedicti competere Dominium, quia Monaſteria dicuntur vulgò S. Benedicti. Reſponſ. Non ſemper caſum genituum ſignificare Dominium.*

152. Aggreditur ergò probare, Ordini S. Benedicti competere Dominium in Monaſteria, de quibus agimus, & primum Argumentum, quod hoc numero affert, eſt, *quia eiuſmodi Monaſteria iuxta conſuetudinem loquendi, dicuntur eſſe Ordinis S. Benedicti. Natura autem Genitiui caſus eſt ſignificare & probare Dominium, vt docet Maſcardus, Menokius, Abbas, &c.*

Si hoc Argumentum probat, Ordini S Benedicti competere reſpectu Monaſteriorum Dominium proprietatis; probat etiam, P. Romanum eſſe ſeruum S. Benedicti & in ipſius Dominio: Eccleſiam Collegiatam Canonicorum ſæcularium eſſe ſub Dominio S. Benedicti: Organum Ariſtotelis, quòd à me emptum eſt, eſſe ſub Dominio ipſius Ariſtotelis: cellam, rhedam, equum Abbatis huius Monaſterij, eſſe ſub Dominio eiuſdem Abbatis, quæ tamen omnia falſiſſima ſunt: neque in his exemplis ſignificat, aut probat Dominium proprietatis caſus genitiuus: ſed ſolum, P. Romanum eſſe filium & ſectatorem Virtutum S. Benedicti: Eccleſiam Collegiatam eſſe eidem dicatam: Organum eſſe ab Ariſtotele cōpoſitum: denique cellam, rhedam, equum vſibus Abbatis deputata eſſe. Et in Iure Canonico habemus confirmationem huius doctrinæ, hoc eſt, caſum genitiuum non ſemper ſignificare, aut probare Dominium proprietatis, & notauit ipſe Abbas in *cap. ad hæc de poſtul.* ex Gloſſa in verbo *Terram propriam.* Caſus is erat. Altiſſiodorenſis Epiſcopus fuerat poſtulatus à Capitulo Eccleſię Metropolitanæ Senon. pro Archiepiſcopo. reijciebatur à Papa poſtulatio, quòd Epiſcopus non ſeruaſſet Interdictum, cui Papa ſuppoſuerat totam terram *Regis Franciæ*, reſpondebat procurator Epiſcopi, Diœceſin ſui Epiſcopi nō eſſe terram Regis *Franciæ*, & intelligebat, quoad Dominium Proprietatis: non fuit admiſſa excuſatio, quia ſatis erat, quod illa Diœceſis adhęreret Regi Francię, vel, vt ait Gloſſa ibidem in verbo *Terram propriam.* erat de Iuriſdictione eiuſdem Regis. Ex quibus omnibus infertur, veram eſſe doctrinam Bartoli in *Rubricam ff. de nou. oper. nunc. n. 4. & 5.* Caſum genitiuum in Statutis ſtrictè eſſe accipiendum, & ſignificare Dominium proprietatis: in legibus & in ſtipulationibus iuxta ſubiectam materiam, ſecundum quam ſignificat aliquando Dominium Proprietatis, aliquando Iuriſdictionis, aliquando poſſeſſionem, modò vſum, modò habitationem, nonnunquam cauſam efficientem, materialem, &c. Itaque hoc Argumentum ductum ex illo modo loquendi, *ſunt Monaſteria Ordinis S. Benedicti*, inefficax eſt. Paſſim etiam dicimus. hoc eſt Monaſterium Capuccinorum, vel Fratrum Minorum

Digitized by Google

rum de Obſeruantia. indignarentur hi Religioſi, ſi P. Romanus ex hoc loquendi modo inferret, ipſos habere dominium Monaſteriorũ, cum profiteantur, ſe non ſolùm nõ habere Dominium bonorum ſtabilium, aut mobilium; ſed ne conſumptibilium quidem vſum. Neque obijciat mihi, non eſſe parem rationem, quòd hi Ordines ſunt incapaces Dominij. quia, licet Ordo S. Benedicti ſit Dominij capax; de facto tamen nullum oſtendit Titulum, quo reipſa vnum Monaſterium habeat Dominium alterius: & iſtà Argumentatio de caſu genitiuo habet ſuas exceptiones, vt vidimus.

Num. LVII.

SVMMARIA.

153. 2. *Quia in Edicto Cæſareo dicitur Monaſteria ſpectare ad ſuum Ordinem.*

154. *Explicatur, quomodo dicantur; Monaſteria eſſe talis vel talis Ordinis.* C. c. 8.

153. Hoc eſt ſecundum Argumentum, quo probare conatur, penes Ordinem in Communi eſſe Dominium Monaſteriorum recuperatorum: quia in Edicto Cæſareo habetur, Monaſteria hæc *ſpectare ad ſuum Ordinem; eſſe reſtituenda Ordinibus, quibus fundata & condita ſunt: eſſe Ordini dicata, & conſecrata*, & ſimilia: quæ omnia denotant, Monaſteria & ipſorum bona fuiſſe donata Ordini indeterminatè ſumpto.

154. Nimium mihi tribueret, ſi hanc P. Romani Argumentationem melius poſſe à me confutari arbitraretur, quàm à P. Laymano rejecta fuit, contraham, quæ ille fuſius explicauit. Igitur aliud eſt Ordini, verbi gratia, S. Benedicti generatim, ac indeterminatè fieri legati, teſtamenti, aut fundationis alicuius *diſpoſitionem*, hoc eſt, mandare, vt Monaſterium S. Benedicti ædificetur, ac dotetur: aliud verò eſt ipſius legati, teſtamenti vel fundationis, & mandati *executio*. Verum eſt, fuiſſe factas multorum Monaſteriorum fundandorum *diſpoſitiones* Ordini S. Benedicti generatim & indeterminatè: at poſtquam facta fuit *executio* diſpoſitionis, & de facto fundatum aliquod Monaſterium particulare; extincta fuit illa obligatio, quæ per *diſpoſitionem* acquiſita fuerat Ordini in communi: ideoque de facto bonorum attributorum tali Monaſterio, Dominium eſt tantùm penes illud Collegium, & Congregationem particularem in eo Monaſterio conſtitutam. *Sic*, inquit P. Laymannus, *ſi teſtator iuſſerit, dotem dari vni ex quinque ſororibus pauperibus; ergà omnes alternatiua orta eſt obligatio: ſed, ſi vni earum dos data fuerit; alijs nihil debetur.* Addo ego aliud ex Doctrina, quam tradit Bartolus *in l. Meuius. ff. de legat. 2. licet homine legato in genere alicui, nihil videatur legatum, quia homo in genere eſt quædam idea, quæ non eſt in commercio; vt idem ait. n. 9. tamen dubium reſoluitur, quod nullus eſt in obligatione certus ac determinatus, ſed determinandus per ſolutionem, adeò quod ille, qui erit ſolutus, ſinga-

fingatur ab initio fuiſſe in obligatione. Pari modo iuſſit quis Teſtamento, è ſuis bonis fundari Monaſterium Ordini S. Benedicti; acquiritur Ius per hanc *diſpoſitionem* teſtamentariam Ordini in Communi, vt fundetur particulare Monaſterium; at vbi fuerit facta *executio* diſpoſitionis, & re ipſa fundatum Monaſterium, atque in eo conſtitutum Collegium Monaſticum; extincta eſt obligatio erga Ordinem in Communi, & Dominium bonorum eſt acquiſitum ſoli illi particulari Collegio. Idem accideret, ſi quis mandaret teſtamento ædificari & dotari de ſuis bonis Eccleſiam Collegiatam Clericorum ſæcularium Diœceſis, verbi gratia, Colonienſis. In hoc caſu, non eſt dubium, Clero Colonienſi indeterminatè acquiri Ius, vt ſtatuto tempore fundetur & dotetur vna Collegiata Eccleſia. Diceret P. Romanus, ſi hæc Collegiata per mortem omnium ſoluatur; Dominium bonorum ſpectare ad reliquas Collegiatas, aut Metropolitanam. non dicet, quia Eccleſiæ Collegiatæ vnius Diœceſis nullam habent communionem bonorum, non ſunt inuicem incorporatæ, habent diſtinctos Titulos; & eodem prorſus modo ſe habent Monaſteria S. Benedicti.

Ex quibus infertur, illos modos loquendi Monaſteria *ſpectare ad Ordinem*, eſſe *Ordini fundata & condita*, vel *conſecrata*, non oſtendere, quod eſt probandum, ſed ſolum fuiſſe condita & fundata, dicata & conſecrata Ordini S. Benedicti: ac in bona Monaſteriorum ceſſiſſe quoad Dominium Monaſterijs & Collegijs particularibus, & aliquando ſpectaſſe ad Ordinem (accipiendo hoc nomen pro determinata Congregatione talium Monachorũ) nec habere adhuc in præſenti aliquem alium poſſeſſorem immediatum, à quo denominentur, quod ſi vulgus alio ſenſu acciperet illa verba, ita vt ſignificare vellet Monaſteria de quibus agitur, eſſe de facto Ordinis S. Benedicti in communi, eorumque Dominium eſſe penes eundem Ordinem; non poſſet inde prudenter ſumi Argumentum ad inferendam concluſionem, de Iure Ordinis in talia Monaſteria, cuius illatio & deciſio non pendet à vulgi, ſiue Iudicio, ſiue modo loquendi, ſed à Iure Canonico eiuſque cognitione.

Num. LVIII.

SVMMARIA.

155. *Idem arg. aliter proponitur.*
156. *Reſpondetur eodem modo.*
157. *Quomodo dicantur bona donata S. Benedicto.*
158. *Sancti in cælo non ſunt capaces nec deſiderantes Dominij. Nec Monachi poſſunt dici heredes ſuorum Fundatorum.*

155. Improbat hoc loco P. Romanus dictum P. Laymanni negantis, fundationem Monaſteriorum eſſe factam Ordini indeterminatè ſumpto; quia ipſemet P. Laymannus in *Iuſta defenſione* fol. 495. concedit, Ieſuitas fateri, fundationes eſſe factas Ordini S. Bene-

S.Benedicti. & fol. 271. omnia Monaſteria pro Ordinibus fuiſſe fundata, accedit quod literæ fundationum ſoleant etiam habere, quod Monaſteria donentur & tradantur S. Benedicto in Poteſtatem & Proprietatem, ita vt Dominium poſt Deum, reſideat penes ipſum Sanctum, tanquam caput Ordinis & familiæ:& conſequenter penes filios ſiue ipſum Ordinem, velut hæredes Patrimonij S. Benedicti.

156. Ad id, quod dicitur, non negari à P. Laymanno, neque à Ieſuitis fuiſſe factas fundationes Ordini S. Benedicti, dupliciter reſpondeo. Primò, ſenſum eſſe, factam fuiſſe fundationem, quoad *Diſpoſitionem*, hoc eſt, fuiſſe mandatum & diſpoſitum, fundari Monaſterium S. Benedicti. Secundò, licet concedatur etiam in *Executione*, fundationem fuiſſe factam Ordini S. Benedicti, tunc nomen *Ordo* non ſignificat totum Ordinem in communi, & indeterminatè; ſed determinatè tale Collegium & Congregationem Ordinis: quemadmodum in Bullis Pontificum, quibus ijdem iubent incorporari aliqua Monaſteria alteri Ordini, habetur illa clauſula, quâ dicitur *ipſe Ordo ſupprimi & extingui*, nec tamen ſignificat aliud, quam extingui non Ordinem in communi; ſed prout determinatur ad talia Monaſteria.

157. Quod verò dicebatur, ſæpè in literis fundationum Monaſteria & bona tradi Deo & S. Benedicto, nihil eſt, nam ſolum ſignificat ille modus loquendi, bona donari vel legari Eccleſiæ ſub Titulo eius Sancti ædificandæ, vt colligitur *ex Authen. de Eccleſiaſt. Titul. c. 6.*

158. Denique quod additur, poſt Deum reſidere Dominium penes S. Benedictum ceu caput Ordinis & Familiæ; non verè dicitur: *quia Sancti in cœlo exiſtentes*, vt benè dicit P. Laymannus, *rerum huius mundi, nec capaces ſunt, nec deſiderantes*: & inauditum eſt, parétibus mortuis non habere filios totale Dominium bonorum hæreditariorum: & Patrem mortuum adhuc retinere Dominium bonorum relictorum. Hinc fit, vt Religioſi S. Benedicti non ſint hæredes: tum quia bona Eccleſiaſtica non tranſmittũtur Iure hæreditario: tum quia illi non ſunt filij naturales, aut adoptiui, ſed ſolum per imitationem, quæ filiatio non infert Ius hæreditatis. Nec fortè propriè dicitur, S. Benedictum in cœlis iam regnantem eſſe caput Ordinis, de quo iam non diſputo.

Num. L I X.

SVMMARIA.

159. *Probatur Dominium eſſe penes totum Ordinem, quia penes eundem eſt Ius vocis paſſiuæ.*

160. *In Monaſterijs iam extinctis Ius vocis paſſiuæ penes neminem eſt.*

161. *Et licet eſſe penes Ordinem, inde non infertur Dominium.*

162. *Ob. Quia Dominium Monaſteriorũ, etiam ob delictum deſtructorum ſpectat ad Ordinem, qui non debet puniri ob alienam culpam.*

N 163. Sed

163. *Sed P. Romanus in hoc ſibi non conſtat, & petit principium.*

164. *Ob. rurſus Ius vocis paſſiuæ eſſe penes totum Ordinem, ac perinde Dominium.*

165. *Sed rurſus etiam petitur principium, cum ſupponatur totum Ordinem habere Ius vocis paſſiuæ.*

159. Pluribus docet P. Romanus, Dominium bonorum Monaſterij *extincti* eſſe penes Ordinem, quia ante deſolationem ipſius Monaſterij Ius paſſiuæ vocis, ſiue Ius eligendi paſſiuè reſidebat in omnibus Monachis eiuſdem Ordinis *c. Ne pro defectu. de elect.* ergò, etiamſi alicuius Monaſterij Monachi omnes mortui ſint; adhuc idem Ius paſſiuæ vocis reſidet in tota multitudine Ordinis, & conſequenter ipſe Ordo habet Ius, vt ex ipſo conſtituatur Abbas in tali Monaſterio, Prior, &c. ergò hoc Ius non poteſt illis auferri. *nam quod noſtrum eſt, ad alium transferri non poteſt.*

160. Reſpondeo primùm, ſupra à nobis clarè fuiſſe demonſtratum, Monachos alicuius Ordinis habere Ius vocis Paſſiuæ ad Prælaturas alterius Monaſterij in caſu, quo in eo non ſit perſona idonea, imò conceſſi, ſi in toto Ordine non ſit idonea, idem Ius paſſiuæ vocis reſidere in alijs Ordinibus. Sed hic non eſt caſus noſter. nam Monaſteria, de quibus agimus, non ſunt *vacantia*, quoad Titulos, ſed *extincta.*

161. Reſpondeo ſecundò, dato & non conceſſo, quod Monachi eiuſdem Ordinis haberent Ius vocis paſſiuæ reſpectu Monaſteriorum, de quibus agimus; quomodo infert hinc P. Romanus (quod eſt inferendum) Dominium & Proprietatem eſſe penes totum Ordinē? & Ordinem in communi habere Actionē realem & vindicationem reſpectu bonorum? Anne, quia per Electiōnem de facto ſecutam, (nedum per Ius, vt poſſim eligi) ad aliquod beneficium, poſſum dici Dominus beneficij & habere Ius in re reſpectu eiuſdem? ad ſummum habeo Ius ad rem. Verum, vt dixi, totus Ordo neque tale Ius habet ad Monaſteria *extincta*, nec ad bona ipſorum *vacantia*, cum ſint in libera poteſtate Summi Pontificis, vt explicatum eſt. Et licet abſolutè concederetur, toti Ordini competere *Ius ad rem*; non tamen hinc ſequeretur, penes eundem Ordinem eſſe Dominium, quam propoſitionem P. Romanus ſtabilire ōtendit: ac meminiſſe deberet Teſtimonij Abbatis à ſe ſupra allati *Num. X L I X* qui ait, *eſſe differentiam an, beneficium ſit meum, an mihi debitum, & an habeam Ius in beneficio, an ad beneficium. poſt prouiſionem enim mihi factam & acceptatam, ſeu Collationem, beneficium dicitur meum, & per conſequens habeo Ius in beneficio, ante verò Collationem, ſeu prouiſionem, ſi habeo aliquod Ius ad beneficium obtinendum, dicitur mihi debitum, & habeo Ius ad beneficium.*

162. Secundò docet, Dominium Monaſteriorum *vacantium* eſſe penes Ordinem in communi, etiam in fortioribus terminis, quam quando Collegium ſolutum fuit per omniū mortem & ſine vlla culpa, idē enim affirmat, etiamſi deſtructum fuerit, ob ali-

que

quod delictum, v.g. quod Prælatus ac totus Conuentus fidem Catholicam deſeruerint: & reddit rationem. quia culpa vniuerſitatis ſubalternæ, qualis eſt Monaſterij particularis reſpectu totius Ordinis, non debet redundare in detrimentum vniuerſitatis altioris, qui eſt Ordo totus.

163. Reſpondeo, hac aſſertione P. Romanum primò ſibi non conſtare. ſupra enim conceſſit, ſi Collegiũ Religioſum deſtruatur ob delictum, &, vt ipſe loquitur, *Iure*; Titulos *extingui* & bona fieri *vacantia*, & cõſequenter non teneri Superiorem illa concedere hominibus eiuſdem Profeſſionis: Secundò, petere principium; quia nunquam probauit, & ſupponit, mortuâ ciuiliter vniuerſitate, debere in Eccleſia Monaſteriali ſubſtitui alios eiuſdẽ Ordinis. Tertiò addo, ſi propterea dici deberet Dominium eſſe penes Ordinem in communi, quia ſoluto Monaſterio particulari, ſubſtituendi ſunt eiuſdem Profeſſionis Monachi; hinc ſequi, Dominium idem eſſe etiam penes omnes alios Ordines Religioſos; quia ſi extingueretur totus aliquis Ordo Monaſticus, debent ex P. Romani ſententia ſubſtitui Regulares aliorum Ordinum.

164. Tertiò docet, ſuppoſito, quod mortua ciuiliter vniuerſitate omnia Iura & Priuilegia interim conſeruentur in Dominio Eccleſiæ Monaſterialis; talium Iurium naturam eſſe, vt nõ ſit verus Dominus bonorum, qui habet Ius vocis actiuæ tantum, ſed vbi eſt Ius vocis paſſiuæ, ibi ſit verum rei Dominium, non quaſi ſinguli habentes electionem paſſiuam ſint veri Domini, ſed quia in omnibus ſimul & coniunctim ſumptis reſideat immediatius Dominium.

165. Reſpondeo hic quoq; peti principium. ſupponitur enim ſoluto Collegio Monaſtico, Ius vocis Paſſiuæ eſſe penes totũ Ordinẽ; deinde recurrit Argumen. ſupra factũ; quia dato & non conceſſo, penes totũ Ordinẽ eſſe in eo caſu Ius paſſiuæ vocis; nõ ſequitur eſſe etiam Dominiũ & *Ius in re* reſpectu bonorum *vacantium* & Iurium: ſed ſolum *ad rem*. Confirmatur. quia, ſi ponamus, ad beneficium aliquod eſſe præſentãdos ſolum Clericos certę familiæ aut gentis; nemo diceret penes illam gentem aut familiam eſſe Dominium eius beneficij, aut *Ius in re*.

Num. LX.

SVMMARIA.

166. *Ob. Quod fundatio Monaſteriorum ſit facta intuitu Ordinis.*

167. *Non probat Dominium eſſe penes Ordinem, fundatio facta Ordini.*

166. Noua non-noua ratio affertur, cur dici poſſit, Dominium Monaſteriorum recuperatorum eſſe penes totum Ordinem. quia in illorum fundationibus attendendũ eſt, cuius intuitu bona fuerint legata; certũ autem eſt, fundatorem alicuius Monaſterij non fundaſſe illud intuitu ſtemmatis perſonarum in Indiuiduo, vel natalium ipſorum Monachorum, vel intuitu Prioris Monaſterij, vnde Monachi accerſendi erant, aut in quantũ erant puri Clerici; ſed fundator bona ſua in eos tranſtulit, in quantum erant

Monachi, ſiue mẽbra huius vel illius Regulæ, vel Ordinis: & ſic Monaſterium cum omnibus bonis fuit incorporatũ Ordini. Et Confirmatur, quia ſi Regularis extra clauſtra degens moriatur cum habitu; Iure omnia bona mobilia & immobilia debentur Ordini, in quo profeſſus eſt. Et quia Ordo totus cui Monaſteria fundata ſunt, eſt membrum Eccleſiæ vniuerſalis; hinc fit, vt eorundem bonorum Dominium altius tranſeat ad Eccleſiam vniuerſalem: & quia Eccleſia vniuerſalis corpus eſt ſui capitis Chriſti; hinc ſummum Dominium tranſeat etiam in Chriſtum.

167. Antiquo Argumento antiqua debetur ſolutio. iam ſupra diximus, Intentionem fundatorum in facienda *diſpoſitione* ſuorum bonorum referri ad Ordinem aliquem Religioſum indeterminatè, v.g. legant ſua bona Ordini S. Benedicti, at *executio* ipſius *diſpoſitionis*, vbi eſt facta, coarctatur ad illam Congregationem & Collegium Monaſticum, quod de facto fundatum fuit, & ad omnes Succeſſores in eodem Monaſterio: & proinde obligatio erga Ordinem indeterminatè ſumptum, extincta cenſetur per applicationem bonorum factam huic Monaſterio particulari: & verum eſt, non eſſe factam fundationẽ intuitu ſtemmatis, aut natalium ipſorum Monachorum, aut alterius Monaſterij, aut Monachis vt erant puri Clerici: ſed falſum eſt, Monaſterium de nouo fundatum, fuiſſe incorporatum toti Ordini, ex quo ſequitur, vt ſi Monachus aliquis huius Monaſterij degens extra clauſtrum moriatur, eidem Monaſterio, in quo fuit profeſſus, omnia ipſius bona mobilia & immobilia debeantur. Sicut & falsò aſſeritur, per fundationem alicuius Monaſterij particularis, acquiri Dominium ſubalternum toti Ordini, quando Ordo eſt eiuſmodi, vt Regulares ipſius emittant poſſeſſionem cum ſtabilitate loci, & habeant Ius & Titulum ſolum in Monaſterio, in quo profeſſi ſunt, & nullo modo in alijs, nec in eo ſit aliquod Caput, quod poſſit Monachos transferre de vno in aliud Monaſterium, & de bonis diſponere in vtilitatem cuiuſcunque Monachi, vt infra melius explicabitur. Solum ergò concedi poteſt, Dominium immediatum bonorum, quæ à fundatore donantur alicui Monaſterio, acquiri illi Congregationi & Collegio particulari, & Dominium altius Eccleſiæ Vniuerſali, & Supremum Chriſto, propter illud vniuerſaliſſimum principium, quod omnia bona Eccleſiaſtica ſunt Deo dicata, tanquam Supremo omnium Domino, & conſequenter etiam Eccleſiæ vniuerſali, cuius Caput viſibile eſt Romanus Pontifex, Chriſti Vicarius.

Num. LXI.

SVMMARIA.

168. *P. Rom. vult, Dominiũ immediatum eſſe penes Abbatem, mediatum penes Ordinem, altius penes Eccleſiam.*

169. *Reijcitur Dominium mediatum Ordinis exemplo Eccleſiarum Collegiatarum.*

168. Ex

168. Ex dictis colligit, relatâ doctrinâ *Molinæ de Iuſtit. & Iur. diſput.* 142. dominium bonorum Monaſterij immediatè tranſire in primum Abbatem & Conuentum, & Iuris intellectu, in ipſam Eccleſiam Monachalem: quatenus verò vnumquodque Monaſterium, id eſt Cógregatio Monachorum, eſt membrum totius Ordinis, Dominium bonorum omnium Monaſteriorum particularium eſſe penes totum Ordinem, bona totius Ordinis penes Eccleſiam, bona totius Eccleſiæ penes Chriſtum; ſicque huiuſmodi dominia ſibi inuicem ſubordinari & ſubalternari, vt inferius ſemper contineatur in Superiore ſeu Vniuerſaliore, ſicut pars in toto, non autem viceuerſâ.

169. Huic diſcurſui ſatis ſuperque reſponſum puto, gratis aſſumitur, dominium bonorum Monaſterij particularis eſſe penes totum Ordinem, nec P. Romanus hactenus hoc probauit. Par omninò ratio eſt omnium Monaſteriorũ, qui militãt ſub vexillo, v.g. S. Benedicti, quæ eſt omnium Eccleſiarum Collegiatarum Clericorũ ſæcularium alicuius Diœceſeos. Sicut ergò, ſi quis legaret bona ſua pro fundanda noua Eccleſia Collegiata in ea Diœceſi, & de facto fundaretur; bonorum illorum dominium immediatè tranſiret in primum Decanum & Collegium Canonicorum, &, Iuris intellectu, in ipſam Eccleſiam Collegiatam Materialem; & nullò modo in totum Clerum eiuſdem Diœceſeos, licet vnaquæque Eccleſia Collegiata ſit membrum Cleri; & ad ſummum, dominiũ ab Eccleſia ipſa Collegiata particulari tranſiret in Eccleſiam vniuerſalem, prætermiſſo Clero, & ab Eccleſia vniuerſali ad Chriſtum, ſic Dominium Monaſterij particularis ab ipſo Monaſterio particulari, omiſſo Ordine cuius eſt membrum, tranſit ad Eccleſiam vniuerſalem & Chriſtum. Et ratio eſt: quia ſicut Tituli ſingularum Collegiatarũ in Diœceſi dant Ius ſolùm ad bona Eccleſiæ Collegiatæ, in qua ſunt, & non aliarum Collegiatarũ, & bona vnius Eccleſiæ non incorporantur toti Clero, nec Canonicus vnius Collegiatæ habet Ius in bonis alterius Collegiatæ, nec in Clero eſt vnum Caput, quod diſponat de bonis omnium Collegiatarum indiſcriminatim ad vtilitatem cuiuſcunque Canonici; ita etiam pariter Tituli ſingulorum Monaſteriorum in Ordine S. Benedicti dant Ius ſolũ ad bona Monaſterij, in quo ſunt, & non aliorum Monaſteriorum, & bona vnius Eccleſiæ Monaſticæ non incorporantur toti Ordini, nec Monachus vnius Monaſterij habet Ius in bonis alterius, nec in Ordine eſt vnũ Caput, quod diſponat de bonis omnium Monaſteriorum ad vtilitatem cuiuſcunque Monachi.

Num. LXII.

SVMMARIA.

170. *P. Rom. Conciliatio Doctorum, qui videntur dominium ponere penes diuerſos.*

171. *Confutatur dicta Cõciliatio Doctorũ* N. 3. 172. *Gratis*

172. *Gratis aſſeritur, Ordinem in communi ratione dominij ſubalterni habere Ius in re, & immediatè, Ius ad rem.*

170. Ex dictis conciliat Doctores, quorum aliqui dicunt Dominium bonorum Eccleſiaſticorum eſſe penes materialem Eccleſiam, alij penes Congregationem, quidam penes Eccleſiam vniuerſalem, nonnulli penes ipſum Christum, omnia enim hæc non faciunt plura, vt plura contra ſe diſtincta, ſed vt ſubordinata; cùm certum ſit, duos non poſſe habere vnius rei dominium aut poſſeſſionem eiuſdem in ſolidum. Vnde etiam fit, vt diſſoluto aliquo Monaſterio de facto, proprietas ac poſſeſſio vera immediata *vacet*. ſicut hæreditas, Iuris autem intellectu remaneat apud viduatam Eccleſiam, proprietas & poſſeſſio ciuilis mediata ſiue ſubalterna remaneat penes Ordinem in communi, & adhuc altior penes Eccleſiam Vniuerſalem, & Suprema penes Christum: Ordini autem in communi extincto remaneat adhuc penes Eccleſiam & Christum, & ſic Ordo, verbi gratia, Sācti Benedicti, quoad dominium ſubalternum reſtituendorum Monaſteriorum habet *Ius in re*: quoad dominium verò infimum & immediatum, quod vacat, habet *Ius ad rem*.

171. In hoc diſcurſu P. Romani (in quo ſemper petit principium, ſupponendo, penes totum Ordinem eſſe aliquod dominium) primò cupio duo mihi explicari; alterum eſt, An illa duo dominia, vel potius idem Dominium reſpectu duorum, id eſt, Congregationis Monaſticæ, & Eccleſiæ materialis, ſe habeant ſicut inferius & ſuperius, & vtrum ex his ſit immediatum aut ſubalternum, an verò vtrumque ſit immediatum. Suſpicor, reſpōſurum, vtrumque eſſe immediatum, ſed reſpectu Congregationis Monaſticæ eſſe verè ac propriè dominium, reſpectu verò Eccleſiæ materialis eſſe dominium per Iuris intellectum. Alterum quod explicari velim eſt, cur in illa Gradatione Dominiorum in caſu, quo totus Ordo aliquis extinguatur, non fecerit mentionem Ordinis Religioſi in communi, prout ſub ſe continet omnes Ordines Religioſos particulares, & ratio meæ dubitationis eſt, quia P. Romanus inde colligit, Ordinem S. Benedicti in communi habere Dominium mediatum & ſubalternum reſpectu bonorum Monaſterij particularis diſſoluti; quia in caſu diſſolutionis, Ius vocis paſſiuæ eſt in toto Ordine: &, per ipſum, vbi eſt Ius paſſiuæ vocis, eſt etiam dominiū rei verum. Atqui Ordine aliquo toto extincto ſiue diſſoluto, per eundem P. Roman. Ius vocis paſſiuæ eſt penes Ordinem Religioſum in communi, prout comprehendit omnes Religiones; ergò in illa gradatione debuerat meminiſſe etiam poſt Ordinem particularem, Ordinis Religioſi in communi. Ex his efficitur, illam enumerationem P. Romani peccare per defectum & per exceſſum; per exceſſum, quia ponit in illa ſerie Ordinem particularem in communi qui

qui ponendus non eſt;per defectum, quia omittit Ordinem Religioſum etiam in communi,quem, iuxta ſua principia, ponere debebat.

182. Reſpondeo ergò, gratis aſſeri à Patre Romano, penes Ordinem in Communi quoad dominium ſubalternum reſtituendorum Monaſteriorum eſſe *Ius in re*, & quoad dominium infimum & immediatum *Ius ad rem*, quia nondum probauit, Ordini in communi competere vllum dominium, nec vllum Ius, Monaſterio aliquo diſſoluto per omnium mortem; & nos demonſtrauimus contrarium tùm ratione; tùm grauiſſimorum Doctorum teſtimonio; & ad ſingula ipſius Argumenta clarè reſpondimus.

Num.LXIII.& LXIV.

SVMMARIA.

173. *Negat P. Rom. Ordini in communi non competere Ius agendi: quia competit ei ratione dominij ſubalterni.*

174. *Sed cum nullum ſit eiuſmodi dominium, malè negat.*

175. *Negat P. Laymanni ſententiam eſſe in Iure fundatam,ſed immeritò.*

173. Tandem poſt multa reſpondere parat in forma ad Argumentum à Patre Laymanno propoſitum.Concedit illam Propoſitionem: Abbates vnius Monaſterij, aut Monachos, nullum Ius aut Titulum vnquam habuiſſe in Monaſterijs recuperatis ab hæreticis,neque hæc eorundem Abbatum Monaſterijs fuiſſe incorporata,neque eoſdem Abbates poſſe demonſtrare, ſe eſſe Capita, & quidem talia,quæ de perſonis, Iuribus, ac bonis Monaſteriorum Ordinis diſponere poſſint;negat tamen illam Conſequentiam,qua inferebatur, iiſdem Abbatibus & Monachis non competere *Actionem* aliquam realem *vindicationis* ad Monaſteria illa recuperata. quia præter iſtos tres modos, ex quibus poteſt *Actio Vindicationis* realis competere, datur alius modus, qui conſiſtit in eo, quod totus Ordo habet Dominium ſubalternum, & reſpectu huius dominij *Ius in re* reſpectu Monaſteriorum recuperatorum, quæ olim toti Ordini in communi incorporata fuerunt, & addit,ſacros Canones,& Sanctam Matrem Eccleſiam toti Ordini conceſſiſſe Ius Succeſſionis, ſiue Subſtitutionis.

174. Verum, cùm hæc omnia ſine fundamento aſſerta fuiſſe à P.Romano demonſtrauerimus; fruſtra negat Conſequentiam.

175. Concludit reſponſionem ad tertium Argumentum, dicens,*ex omnibus huc vſque deductis eluceſcere, quam verè ſcripſerit Pater Laymannus in proœmio Iuſtæ Defenſionis num. 37. ſententiam ſuam eſſe veram, & in vtroque Iure optimè fundatam, dum dixit DD. Abbatibus ac Monachis, ſeu Regularibus, qui nunc viuūt, nullum Ius, Actionemq; ad Monaſteria iſta (quippe quorum Tituli extincti) & bona Eccleſiaſtica vacantia* ſint cōpetere.

176. Iſta eſt,ex omnibus huc vſq; deductis eluceſcit, ſententiam P. Laymanni

manni eſſe veriſſimam, & in vtroque Iure optimè fundatam, nec P. Romanus, quãtumuis maximo niſu eam conuellere conatus fuerit, vel hilum profecit.

THEORICA RESPONSIONIS ad quartum Argumentum.

SVMMARIVM.

176. *P. Laym. Arg. Ordini non competere Ius agendi, quia Monaſteria non faciunt vnum Corpus.*

176. P. Laymannus inde probabat, antiquis Ordinibus *nullum Ius aut Actionem* competere *vindicandi* Monaſteria recuperata; quia eorundem, ſaltem aliquorum, Ordinum Monaſteria non faciunt vnum corpus, quippe quæ, Iura & bona inter ſe diuiſa, & non communicabilia habent; nec ſubſunt vni Capiti: cùm Generalem non habeant, & Epiſcopis ſubiecta ſint. P. ergò Romanus in hac parte quæſtionis oppugnat hanc doctrinã: examinemus quàm ſolidè.

Num. LXV.

SVMMARIA.

177. *Negat ad efficiendum vnum corpus Politicum requiri communionem bonorum.*

178. *Malè negat, ſi ſit ſermo de corpore, cuius membra ſingula pratendat Ius, & actionem ad bona.* C. l. 6.

177. Et primùm. *Num. LXV.* oſtendit, non benè indè probari, Monaſteria Ordinis S. Benedicti, & Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini non efficere vnum corpus, quia Iura & bona inter ſe diuiſa & communicabilia non habent. nam, ſi hæc conditio neceſſaria eſſet; pleraque non eſſent Corpora, nam Eccleſia Vniuerſalis non habet Epiſcopatus, regna, prouincias, Monaſteria, Parochias, quorum bona inter ſe communicabilia ſint, nec Collegium Cardinalium, nec Synodus Prouincialis, vel Diæceſana, nec Collegia fabrorum aut opificum habent bona inter ſe indiuiſa.

178. Reſpondeo, P. Laymanno nõ fuiſſe propoſitum oſtendere, ad rationem cuiuſcunque Corporis eſſe neceſſarium, vt ipſius membra haberent inter ſe Iura & bona communicabilia; ſed hoc requiri ad rationem illius corporis, cuius vnum membrum, *Ius & Actionem* prætendat in bona alterius membri, ſi illud deſinat eſſe: Dicam planius. volebat oſtendere Pater Laymannus, Ordinem, v. g. Sancti Benedicti non eſſe vnum Corpus myſticum, in quo ſi vnum Monaſterium particulare diſſolueretur, cætera Monaſteria, aut ipſe Ordo in communi haberet *Ius & Actionem* in bonis Monaſterij ſoluti: & probabat. quia, vt ſit tale Corpus, quod habeat *Ius & Actionem* prædictam, neceſsè eſt, vt omnia membra ipſius habeant Iura, & bona inter ſe communicabilia: non habet autem Ordo S. Benedicti & ſimiles; cũ non habeant iſtam bonorũ excõmunicatio-

nem

mem, ex eo quia ſinguli Monachi habent Titulum & Ius ſuſtentationis ſolum in eo Monaſterio, in quo profeſſi ſunt, & hoc non impugnatur à P. Romano.

Num. LXVI.

SVMMARIA.

179. *Ait, non eſſe neceſſarium, vt Ordo habeat vnum caput, ad hoc, vt Ordini in communi fiat legatum.*

180. *Verum eſt, ſed non ita factum cum eiuſmodi Ordinibus.*

179. Contendit, etiamſi Ordo S. Benedicti non habeat vllum caput, neq; vnum Generalem, ſed illius Monaſteria ſubſint Epiſcopis; non tamen inde fieri, vt Fundatores Monaſteriorum nõ potuerint legare ſua bona toti Ordini, licet non ſit vnum Corpus; ſicut teſtator quilibet poteſt ſua bona relinquere certo ſtemmati, in quo ſint plures familiæ.

180. Non eſt dubium, ita poſſe fieri; ſed P. Laymannus negat, hoc modo factas eſſe fundationes Monaſteriorum, nam, vt ſupra declaratum eſt, quando Fundator aliquis relinquebat bona ſua pro fundando vno Monaſterio v.g. S. Benedicti, acquirebatur Ius toti Ordini indeterminatè; de facto verò iam fundato Monaſterio, extinguebatur obligatio erga totum Ordinem indeterminatè ſumptum, & bonorum attributorum Ius & Dominium erat penes illud particulare Monaſterium fundatum, vt benè declarat illud exemplum dotis relictæ vni ex quinque ſororibus. Oportuiſſet, P. Romanum probare, fundationes ſingulorum Monaſteriorum fuiſſe factas in *executione* toti Ordini, quod non probauit.

Num. LXVII.

SVMMARIVM.

181. *P. Romanus improbat conditiones corporis politici. Defenduntur.* C. I. 6.

181. Negat, Ordinem S. Benedicti, non eſſe vnum Corpus ex varijs definitionibus Corporis, quæ afferuntur ab Auctoribus; &, quia etiam, Vacante ſede Pontificia, Eccleſia eſt vnum Corpus, & Reſpublicæ v.g. Heluetiorum, & cæteræ conſtituunt vnum Corpus, & tamen ſunt ſine Capite.

Reſpondet P. Laymannus, nunquam dixiſſe ſe, ad rationem moralis Corporis vniuerſim requiri, vt habeat vnum caput; ſed eſſe locutum de Ordinum Monaſterijs, & ſicut Eccleſia Catholica Vniuerſalis à Chriſto eſt inſtituta, vt ſit Monarchia ſub vno Capite viſibili, ita etiam particulares Eccleſiæ vni capiti ſubiectæ eſſe debent, ideoq; ſi ſingulæ ſingulis Prælatis ſubſint ſine ſubordinatione ad vnum Cõmune caput, vnum Corpus Eccleſiaſticum inter ſe non conſtituunt. Et quod de Eccleſia vniuerſali ſede vacante dicitur, tunc eſſe Corpus, quantumuis careat capite, primum reſpondet, Abſolutè non dici Corpus, ſed vocari ſolere Eccleſiam viduatam & orbatam, deinde quia ſtatim illi prouidebitur

Digitized by Google

debitur de Capite. Tertiò quia non deeſt illi ſaltem inuiſibile, & Principale, qui eſt Chriſtus regnans in cœlis.

Num. LXVIII.

SVMMARIA.

182. *Negat Ordinem S. Bened. eſſe corpus ſine capite, & licet eſſet, hoc non obſtare dominio.*

183. *Probatur, S. Benedictum non eſſe nunc caput, & reſpondetur argumento.* C. c. 10.

182. Negat preterea Ordinem S. Benedicti eſſe Corpus ſine Capite, quia ſingula Monaſteria ſubiecta ſunt S. Benedicto capiti totius Ordinis, & quamuis contra obijci poſſit, hanc rationem capitis Inuiſibilis non ſufficere ad bonorũ acquirendam proprietatem toti Corpori, hoc eſt Ordini in communi, vt exinde pariter reſtitutio peti queat, reſpondet tamen, hoc eſſe falſum, quia, ſi ponamus, Apoſtolicam Sedem per menſem aut annum vacare, & eſſe ſine capite viſibili, ſi quis interim fundet aut dotet Eccleſiam aliquam particularem, ſtatim acquiritur dominium eius, Eccleſiæ vniuerſali, ergò ad hoc, vt acquiratur alicui Corpori Dominium, non requiritur neceſſariò, vt habeat de facto caput generale viſibile.

183. Reſpondet idem P. Lymannus, etiam ſi fateremur, ſingula Monaſteria ſubiecta eſſe S. Benedicto tanquam inuiſibili capiti; non tamen hinc inferri poſſe, S. Benedictum eſſe caput totius Ordinis, ſiue Monaſteriorum vniuerſim acceptorum, tum quia caput inuiſibile in cœlis eſt ſolus Chriſtus: tum quia non dicitur corporis viſibilis eſſe vnum caput, ſi illud tantum ſit inuiſibile, vt patet in Eccleſia vniuerſali, ſed opus eſt, vt habeat etiam viſibile in terris. Quod dicebatur, in illo caſu ſedis Vacantis, acquiri dominium Eccleſiæ particularis, quæ fundetur, Eccleſiæ vniuerſali, nihil officit, quia illud dominium eſt altum & vniuerſale, & licet Eccleſia vniuerſalis vidua ſit, & carens capite, quia tamen eſt in *proxima ſpe* illud breui habendi, ideò retinet omnia ſua Iura & Priuilegia, & conſequenter etiam Ius acquirẽdi dominium altum, ſi fundetur aliqua Eccleſia particularis, ſicut etiam Eccleſia aliqua particularis vacans & carens Prælato ſeu Paſtore, retinet Ius ad acquirendum dominium particulare rerum, quæ eidem, dum paſtore orbata eſt, legatæ vel donatæ fuerint. Diſpar autem eſt ratio Ordinis S. Benedicti & ſimilium, qui non habent rationem vnius Corporis aut Eccleſiæ vacantis & carentis capite.

Num. LXIX.

SVMMARIA.

184. *Ait, Ordinis caput eſſe Papam.*

185. *Sed, cum ſit caput Generale, non particulare, non prodeſt cauſa P. Romani.*

184. Probat alio medio, Ordinem S. Bene-

S. Benedicti habere Caput, & quidem viſibile.nam Pontifex Maximus eſt Summus Generalis omnium Regularium, & addit: *quid, inquiens, ſi hodiè Summus Pontifex amoueret à Societate Ieſu Generalem, aſſerens ſe poſthac functurum Generalis officio, num ideò Societas non habebit Dominium omnium ſuorum Collegiorum? aut ſi ſpolietur vno vel altero Collegio, non habebit Ius recuperandi & Agendi?*

185. Reſpondet P. Laymannus cum diſtinctione, qua intellecta euaneſcit vis Argumenti, nam Romanus Pontifex eſt Generalis, ſeu caput Generale omnium Ordinum Regularium collectiuè ſumptorum; non autem diuiſim & ſingulatim, ideoque negat, Romanum Pontificem eſſe Generalem Monaſteriorum S. Benedicti, quatenus à reliquis Religioſorum familijs ſeparatum Ordinem conſtituunt: ſed quatenus ipſe Ordo eſt membrum totius Ordinis Religioſi in communi, & hoc non ſatis eſt, per ipſum etiam opinor P. Romanum, vt vnus Ordo Religioſus habeat Ius recuperandi bona alterius Ordinis, ſi ipſis ſpolietur. Ad id, quod dicebat de Societate, dupliciter fingi poteſt caſus. vel enim Summus Pontifex vellet fungi Generalis officio ſpecialiter, & in eo caſu ceſſat omnis difficultas, quia Societas eſſet vnum corpus ſub vno capite ſicuti nunc eſt, vel ſolum vellet eſſe Generalis, ſicut eſt omnium Religioſorum Caput Ordinum, & tunc mutaretur Status Societatis, nec haberet amplius rationem vnius Corporis, & ſic ſingula Collegia & domus eſſent corpora ab inuicem ſeparata, nec haberent bonorum & Iurium communicationem.

THEORICA RESPONſionis ad Quintum Argumentum.

SVMMARIVM.

186. *P. Laym. arg. quia Monaſteria habent vnum caput, illud caput non habet prælationem in Ordine ad omnia bona.*

186. Iam dixi ſuprà, hoc Quintum Argumentum à P. Romano propoſitum, eſſe deſumptum ex ſexto fundamento iacto à P. Laymanno in ſua prima quæſtione præambula, eique inſiſtere veritatem illius propoſitionis, quòd, licet Monachi Ciſtercienſes, & Præmonſtratenſes Canonici Regulares conficiant vnum corpus, & habeant vnum caput viſibile; non habent tamen *Ius & actionem vindicandi* ſibi Monaſteria recuperata è manibus hæreticorum, quia illud caput non habet Prælationem in Ordine ad perſonas profeſſas pro libitu transferendas, cum edant profeſſionem cum ſtabilitate loci, neq; in ordine, ad Iura & bona Monaſterij, quaſi de his diſponere aut ea transferre de vno ad aliud Monaſterium poſſit abſque ſpeciali licentia, ſed ſolum in ordine ad regularem diſciplinam conſeruandam & promouendam. Huic argumento conatur ſatisfacere P. Romanus hoc loco, & numero quidem *LXX.* nihil aliud facit, niſi

niſi quòd Argumentum ipſum proponit, adeoque hic numerus nullo indiget examine: accedamus ergò ad reliquos, vt appareat, num *plus habeat erroris*, quàm ſubtilitatis, vt præfatur P. Romanus.

Num. LXXI.

SVMMARIA.

187. *Improbantur à P. Romano conditiones capitis Religioſorum Ordinum requiſita ad Ius agendi à P. Layman.*

188. *Sed fallitur. neque enim tot requiruntur, quot ipſe putat à P. Layman.* D.15.

187. Si ad agendum pro reſtitutione bonorum amiſſorum, vel ad acquirendum Corpori, vel Collegio dominium, requiruntur tot conditiones, quot putat P. Laymannus: hoc eſt, ſicut ille loquitur, vt habeat Caput non qualecunque, ſed quod pleno Iure omnia Collegia particularia, ſiue membra vniuerſitatis gubernet, ita vt non perſonas modò, ſed & bona temporalia liberè & quidem ordinariè de vno loco ad alium transferre, mutare, verſareque poſsit, adeoque neceſſe eſſe, vt bona inter ſeſe communicabilia, non ſeparata, & perſonas mobiles, non loco ſtabilitas ſub ſe contineat, ſi, inquam, tot conditiones requirantur, vt Ordo Ius habeat & actionem vindicandi, infert P. Romanus, neque Eccleſiam Vniuerſalem habituram Ius agendi pro ſpoliatis Epiſcopatibus, Monaſterijs, cæteriſque bonis Eccleſiaſticis, ſiquidem Epiſcopatus & Eccleſiæ Particulares, Monaſteria, Parochiæ, &c. non habent Iura & bona inter ſe communicabilia, & Epiſcopi, Abbates, Canonici, Monachi, & Clerici in certis duntaxat Eccleſijs obtinent Ius & Titulum, & Summus Pontifex non habet Ius liberè transferendi perſonas Eccleſiaſticas è ſuis titulis, neque in ordine ad Iura & bona Eccleſiarum aut Epiſcopatuum, quaſi de ijs diſponere, eaque de vna ad alium locum liberè & Auctoritate ordinaria transferre poſsit. ergò etiamſi Capita prædictorum Ordinum Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium non ſint talia Capita, nihilominus poſſunt habere Ius & Actionem ad recuperanda Monaſteria amiſſa.

188. Reſpondeo breuiter, à P. Laymanno non requiri tot conditiones, quot enumerauit P. Romanus in Capitibus Ordinum Religioſorum ad id, vt ipſi Ordines habeant *Ius & Actionem Vindicandi* Monaſteria recuperata: ſed ſatis eſſe, ſi illud Caput de Monaſteriorum bonis diſponere poſsit cum auctoritate, licet ſingula non habeant bona communia, nec liberè bona vnius poſsint transferri ad aliud. ſi quæras quid ſit poſſe diſponere de bonis cum auctoritate, & pleno Iure, Reſpondeo, eſſe Ius, reſpectu bonorum immobilium ineundi de illis omnes contractus lege conceſſos, verbi gratia, locandi, dandi in emphyteuſin, hypothecandi, permutandi,

mutandi, conſtituendi ſuper ijſdem annus cenſus, ſeruitutes, tranſigendi, ea demum quoquo modo alienãdi: reſpectu verò bonorum mobilium, eſt poſſe illa conſumere, erogare, donare, &c. eodemque modo ſupradicta omnia facere, ſicut facit Abbas circa bona Monaſterij particularis, cui præfectus eſt, ex eo enim quòd Generalis Ordinis omnium Monaſteriorum bona gubernare poſſit, infertur totum Ordinem, quem ille repræſentat, habere dominium proprietatis reſpectu bonorum, & talis eſt Summus Pontifex reſpectu omnium bonorum Eccleſiaſticorum, & Epiſcopus reſpectu bonorum Eccleſię particularis, & Dięceſanorum, ex quo fit, vt habeant etiam *Ius & Actionem* ad recuperanda bona, ſi ijs Eccleſiæ ſpolientur. Falſum eſt ergo, à P. Laymanno requiri communionem bonorum, & Ius trãſferendi de loco ad locum Perſonas & bona. & hoc ipſe negat in Cenſura loco ſexto; cum ergo Generales Ciſtercienſis ac Præmonſtratenſis Ordinis non habeant vllam prælationem in Ordine ad bona & Iura Monaſteriorum totius Religionis, rectè infertur, ipſum Ordinem in communi non habere Ius repetendi Monaſteria, quod tamen habet Summus Pontifex reſpectu Epiſcopatuum & aliorum bonorum Eccleſiaſticorum, quorum omnium ſupremus eſt Dominus, vel ſaltem Adminiſtrator. Alia quæ fol. 15. affert P. Laymannus, pertinent ad Ius, quod habet Præpoſitus Generalis Societat. Ieſu reſpectu bonorum, & perſonarum eiuſdem Societatis, nec afferuntur, quaſi ea omnia requirantur in Capite Generali Ordinis Religioſi, vt illi competat Ius & Actio ad recuperanda bona, quibus ſpoliatus fuerit locus aliquis particularis: ſed vt ſatiſfaceret tertio argumento, quo dicebatur, ſi accidat Collegia Ieſuitar. ex quibus expulſi ſunt, poſt centum annos, quando omnes eorũ habitatores erunt mortui, alijs Religioſis, aut Clericis, ipſis poſthabitis, reſtitui, non ſatis æquo animo id Societatem laturam, ſed ius ſuum prætenſuram, quod in dicta Collegia, quamuis dudum deſerta, habuerat. reſponſionis autem vis in eo ſita eſt, quod maximum ſit diſcrimen inter Religioſos Societ. & Monachos, & Regulares illos de quibus eſt ſermo: & inter Prępoſitũ Generalem Societatis eiuſdem & ipſorum, capita diſcriminis ibi videri poſſunt, nobis ſatis ſit, quod vbi Generalis Ordinis non diſponit cum auctoritate de bonis Monaſteriorum, non poteſt toti Ordini competere Ius ad bona omnium Monaſteriorum. Non habere autem Generales Ordinis Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis Ius adminiſtrandi bona omnium Monaſteriorum, doceo in exam. num. 75. & ſeqq.

Num. LXXII. LXXIII. LXXIV.

SVMMARIA.

189. *Quid P. Rom. ſentiat de loci ſtabilitate, quam Monachi vouent.*

190. *Stabilitas loci, de qua P. Laym. eſt, per quam Monachi fiunt filij vnius tantum Monaſterij, & non alterius vllius.* C. c. 12.

191. *Monachus non poteſt inuitus transferri ad aliud Monaſterium.*

192. *Nec volens, ex mero Abbatis arbitrio.*

193. *Quia per hanc translationem aliquo modo relaxatur votum ſtabilitatis.*

194. *Nec P. Layman. infideliter citauit Doctores pro ſua ſententia.*

189. Ex quodam principio ſtabilito in *Iuſta defenſione* fol. 8. quod ſcilicet Monachi habeant Ius Collegij & Tituli in illis tantùm Monaſterijs, in quibus edunt profeſsionem cum ſtabilitate loci, deduxerat P. Laymannus, non poſſe vllum Monachum habere Ius, & Titulum in duobus Monaſterijs: neque, aut inuitum, aut volentem ex mero arbitrio Abbatis transferri ad aliud Monaſterium, quia relaxaretur aliquo modo votum profeſſionis editum cum loci ſtabilitate ſine iuſta cauſa, & citauerat Dominicum de S. Geminiano, Franchum, Panormitanum. Hæc ergò oppugnanda ſibi ſumpſit P. Romanus his numeris, & *LXXII.* ait, grauiter allucinari, quiſquis putat ſtabilitatem loci ita voueri, vt quartum votum efficiat, aut quaſi per mutationem Religioſi ab vno Monaſterio in aliud, votum Profeſsionis relaxetur. quia ſtabilitas loci ſolùm eſt perſeuerantia in ſtatu Religionis, & idem quod ſtatus Religioſus, vel permanentia corporalis in Monaſterio. Primo modo accepta ſtabilitas obligat omnes & ſingulos: ſecundo modo omnes in Conuentu, ſed non ſingulos. & huiuſmodi permanentia in loco promittitur ſoli Abbati cui facta eſt, & ideò ab eodem remitti poteſt.

Numero verò *LXXIII.* ſtabilitatem loci oſtendit idcò fuiſſe introductam, vt vitaretur gyrouagia Monachorum, de qua S. Benedictus c. 5. Regulæ. *LXXIV.* verò numero addit, infideliter à P. Laymanno citatos eſſe illos Doctores pro ſe, quia ne verbulum quidem habent, quo ſignificetur, in translatione Monachi ab vno Monaſterio ad aliud fieri relaxationem in voto, & ijdem loquuntur nõ de tranſlatione ab vno Monaſterio in aliud: ſed ab vna Religione ad aliam, & ex Hiſtorijs habemus, ab ipſo S. Benedicto miſſos fuiſſe ex Italia Maurum in Gallias, Placidum in Siciliam, alios in Hiſpaniam, imò de licentiâ Abbatis Monachus poteſt eſſe etiam extra Monaſterium.

190. His omnibus fusè ſatisfecit P. Laymannus, vt propterea non poſſim mirari ſatis, P. Romanum tam benè potuiſſe diſsimulare reſponſum, & nihilominus tantoperè *gloriari de editione illius Cenſuræ.* Hoc igitur tantùm negotij mihi datum eſt, vt ſingulis obiectis adaptem P. Laymanni reſponſiones.

Reſpondeo ergo, præter duas illas acceptiones vocis *ſtabilitatis in loco*, eſſe tertiam, quæ conuenit non omnibus Clauſtralibus, ſed ſolum quibuſdam, qui ſcilicet emittunt Profeſsionem in Ordine ad vnius loci Conuentum, ſeu certum Monaſterium, & Prælatum illius, per quam efficiuntur filij proprij certorum Monaſteriorum, eiſq; tan-

tanquam partes & membra incorporantur: ſicut qui emittit Profeſsionem in vna Religione, efficitur filius & mẽbrum illius tantum, & non alterius. Et de hac ſtabilitate loci locutus eſt P. Laymannus in *Iuſt. Def. fol.* 8. cuius hæc ſunt verba: *Monachus Profeſsionem facit, & quaſi matrimonium ſpirituale contrahit erga hoc Monaſterium, ei ſe penitus tradens tanquam Poſſeßio quadam: atque viciſsim Monaſterium ſibi obligans, prout ex communi docet Panor.* in c. non eſt, num. 13. de Regul. *conſequenter non poteſt ius ac Titulum in diuerſis, ac ſeparatis Monaſterys habere, prout fusè oſtendit Nauarr.* in comment. 4. de Regul. n. 23. *ex quo ſequitur, vt Monachus cogi non poßit à ſuo Abbate, vt ad aliud etiam eiuſdem Ordinis Monaſterium ſe transferat; ſed neque volens transferri poßit ex mero arbitrio Abbatis, cùm votum Profeßionis, quod cum ſtabilitate loci editum eſt aliquo modo relaxetur, quod ſine cauſa fieri non debet.* Itaque hæc omnia mihi probanda ſunt. 1. Monachum non poſſe inuitum transferri ad aliud Monaſterium. 2. nec poſſe transferri volentem ex mero arbitrio Abbatis. 3. in hac translatione relaxari aliquo modo votum. 4. ad hoc probandum non eſſe infideliter allegatos ſupradictos Doctores. Nam quod in fine huius numeri dicitur, à S. Benedicto fuiſſe deductas Monachorum Colonias ad alias Prouincias, & Monachum de licentia Abbatis ex legitima cauſa poſſe etiam aliquando degere extra clauſtrum, parum eſt ad rem.

191. Primùm ergo probatur facillimè. quia, qui vouet ſtabilitatem loci in Ordine ad vnum tantum Collegium & Monaſterium, Abbate admittente votum, ex tali intentione factum, promittit Deo, ſe perpetuò in eo loco manſurum, nec intendit ſe obligare ad proficiſcendum aliò: cùm ergò votum non obliget vltra vouentis intentionem, non poteſt inuitus mitti ad aliud Monaſterium. Pari ratione, qui emiſit Profeſsionem in vna Religione, non poteſt cogi vt ad aliam tranſeat, etiam ſi ab illa, in qua profeſſus eſt, dimittatur, vt certi iuris eſt.

192. Secundum probatur. quia per votum à Monacho emiſſum de ſtabilitate loci, non ſolum acquiſitum fuit Ius Abbati, qui propterea poteſt Monachum cogere, vt maneat in eo Monaſterio: ſed multò magis acquiſitum fuit Deo, cui factum eſt votum, & ſtabilitas hæc loci, licet non conſtituat quartum votum diſtinctum à tribus alijs ſubſtantialibus Religionis, neque à permanentia in ſtatu Religioſo, eſt tamen circumſtantia, quæ laudabiliter voueri potuit, ſicut qui vouit peregrinationem ad limina SS. Apoſtolorum pedibus conficiendam, non emittit duplex votum; ſed vnicum tantum peregrinandi, ſed affectum illa circumſtantia, vt ſit adimplendum, peregrinando pedibus, & non equo. ergò cùm ſtabilitas loci ſit etiam Deo promiſſa per votum, non poteſt Abbas ex mero ſuo arbitrio etiam conſentientem Monachum ſine legitima cauſa transferre ex vno Monaſterio ad aliud.

193. Tertium hoc eſt, per huiuſmodi translationem aliquo modo relaxari

votum.

191. *Monachus non poteſt inuitus transferri ad aliud Monaſterium.*

192. *Nec volens, ex mero Abbatis arbitrio.*

193. *Quia per hanc translationem aliquo modo relaxatur votum ſtabilitatis.*

194. *Nec P. Layman. infideliter citauit Doctores pro ſua ſententia.*

189. Ex quodam principio ſtabilito in *Iuſta defenſione* fol. 8. quod ſcilicet Monachi habeant Ius Collegij & Tituli in illis tantùm Monaſterijs, in quibus edunt profeſsionem cum ſtabilitate loci, deduxerat P. Laymannus, non poſſe vllum Monachum habere Ius, & Titulum in duobus Monaſterijs: neque, aut inuitum, aut volentem ex mero arbitrio Abbatis transferri ad aliud Monaſterium, quia relaxaretur aliquo modo votum profeſſionis editum cum loci ſtabilitate ſine iuſta cauſa, & citauerat Dominicum de S. Geminiano, Franchum, Panormitanum. Hæc ergò oppugnanda ſibi ſumpſit P. Romanus his numeris, & *LXXII*. ait, grauiter allucinari, quiſquis putat ſtabilitatem loci ita voueri, vt quartum votum efficiat, aut quaſi per mutationem Religioſi ab vno Monaſterio in aliud, votum Profeſsionis relaxetur. quia ſtabilitas loci ſolùm eſt perſeuerantia in ſtatu Religionis, & idem quod ſtatus Religioſus, vel permanentia corporalis in Monaſterio. Primo modo accepta ſtabilitas obligat omnes & ſingulos: ſecundo modo omnes in Conuentu, ſed non ſingulos. & huiuſmodi permanentia in loco promittitur ſoli Abbati cui facta eſt, & ideò ab eodem remitti poteſt.

Numero verò *LXXIII*. ſtabilitatem loci oſtendit ideò fuiſſe introductam, vt vitaretur gyrouagia Monachorum, de qua S. Benedictus c. 5. Regulæ. *LXXIV*. verò numero addit, infideliter à P. Laymanno citatos eſſe illos Doctores pro ſe, quia ne verbulum quidem habent, quo ſignificetur, in translatione Monachi ab vno Monaſterio ad aliud fieri relaxationem in voto, & ijdem loquuntur nõ de translatione ab vno Monaſterio in aliud: ſed ab vna Religione ad aliam, & ex Hiſtorijs habemus, ab ipſo S. Benedicto miſſos fuiſſe ex Italia Maurum in Gallias, Placidum in Siciliam, alios in Hiſpaniam, imò de licentiâ Abbatis Monachus poteſt eſſe etiam extra Monaſterium.

190. His omnibus fusè ſatisfecit P. Laymannus, vt propterea non poſsim mirari ſatis, P. Romanum tam benè potuiſſe diſsimulare reſponſum, & nihilominus tantoperè *gloriari de editione illius Cenſuræ.* Hoc igitur tantùm negotij mihi datum eſt, vt ſingulis obiectis adaptem P. Laymanni reſponſiones.

Reſpondeo ergo, præter duas illas acceptiones vocis *ſtabilitatis in loco*, eſſe tertiam, quæ conuenit non omnibus Clauſtralibus, ſed ſolum quibuſdam, qui ſcilicet emittunt Profeſsionem in Ordine ad vnius loci Conuentum, ſeu certum Monaſterium, & Prælatum illius, per quam efficiuntur filij proprij certorum Monaſteriorum, eiſq; tan-

tanquam partes & membra incorporantur: ſicut qui emittit Profeſsionem in vna Religione, efficitur filius & mẽbrum illius tantum, & non alterius. Et de hac ſtabilitate loci locutus eſt P. Laymannus in *Iuſt. Def. fol.* 8. cuius hæc ſunt verba: *Monachus Profeſſionem facit, & quaſi matrimonium ſpirituale contrahit erga hoc Monaſterium, ei ſe penitus tradens tanquam Poſſeſſio quædam: atque viciſſim Monaſterium ſibi obligans, prout ex communi docet Panor.* in c. non eſt, num. 15. de Regul. *conſequenter non poteſt ius ac Titulum in diuerſis, ac ſeparatis Monaſterijs habere, prout fusè oſtendit Nauarr.* in comment. 4. de Regul. n. 23. *ex quo ſequitur, vt Monachus cogi non poſſit à ſuo Abbate, vt ad aliud etiam euiſdem Ordinis Monaſterium ſe transferat; ſed neque volens transferri poſſit ex mero arbitrio Abbatis, cùm votum Profeſſionis, quod cum ſtabilitate loci editum eſt aliquo modo relaxetur, quod ſine cauſa fieri non debet.* Itaque hæc omnia mihi probanda ſunt. 1. Monachum non poſſe inuitum transferri ad aliud Monaſterium. 2. nec poſſe transferri volentem ex mero arbitrio Abbatis. 3. in hac translatione relaxari aliquo modo votum. 4. ad hoc probandum non eſſe infideliter allegatos ſupradictos Doctores. Nam quod in fine huius numeri dicitur, à S. Benedicto fuiſſe deductas Monachorum Colonias ad alias Prouincias, & Monachum de licentia Abbatis ex legitima cauſa poſſe etiam aliquando degere extra clauſtrum, parum eſt ad rem.

191. Primùm ergo probatur facillimè. quia, qui vouet ſtabilitatem loci in Ordine ad vnum tantum Collegium & Monaſterium, Abbate admittente votum, ex tali intentione factum, promittit Deo, ſe perpetuò in eo loco manſurum, nec intendit ſe obligare ad proficiſcendum aliò: cùm ergò votum non obliget vltra vouentis intentionem, non poteſt inuitus mitti ad aliud Monaſterium. Pari ratione, qui emiſit Profeſsionem in vna Religione, non poteſt cogi vt ad aliam tranſeat, etiamſi ab illa, in qua profeſſus eſt, dimittatur, vt certi iuris eſt.

192. Secundum probatur. quia per votum à Monacho emiſſum de ſtabilitate loci, non ſolum acquiſitum fuit Ius Abbati, qui propterea poteſt Monachum cogere, vt maneat in eo Monaſterio: ſed multò magis acquiſitum fuit Deo, cui factum eſt votum, & ſtabilitas hæc loci, licet non conſtituat quartum votum diſtinctum à tribus alijs ſubſtantialibus Religionis, neque à permanentia in ſtatu Religioſo, eſt tamen circumſtantia, quæ laudabiliter voueri potuit, ſicut qui vouit peregrinationem ad limina SS. Apoſtolorum pedibus conficiendam, non emittit duplex votum; ſed vnicum tantum peregrinandi, ſed affectum illa circumſtantia, vt ſit adimplendum, peregrinando pedibus, & non equo. ergò cùm ſtabilitas loci ſit etiam Deo promiſſa per votum, non poteſt Abbas ex mero ſuo arbitrio etiam conſentientem Monachum ſine legitima cauſa transferre ex vno Monaſterio ad aliud.

193. Tertium hoc eſt, per huiuſmodi translationem aliquo modo relaxari votum.

Digitized by Google

votum, probatur. quia, licet maneat immutatum quoad ſubſtantialia, & communia omnibus Monaſterijs eiuſdem Ordinis v. g. S. Benedicti, tamen mutatur ſecundum Accidentalia, & illa, quæ ſunt propria Profeſſorum in hoc Monaſterio, & aliquando Monaſteria habent valde diuerſa ſtatuta peculiaria, & obſeruantias varias, & ideò per eiuſmodi tranſlationem relaxatur votum, ſi minus in Subſtantialibus, ſaltem in Accidentalibus. Ita accideret, ſi quis peregrinationis votum ad limina Apoſtolorum, non pedibus, ſed equo vellet adimplere, indigeret ſine dubio aliqua relaxatione. Ita etiam accidit in mutatione vnius Religionis ad aliam, licet enim omnes Religiones conueniant in votorum Eſſentialium Subſtantia, differunt tamen in Accidentalibus.

194. Reſtat Quartum, vt oſtendamus, illos Auctores non fuiſſe infideliter citatos à P. Laymanno. Præſto autem ſunt magni Patroni, qui eum ab hoc infidelitatis crimine ſua Authoritate defendant. hi ſunt ipſe Panormitanus, Nauarrus, & Ioannes Azorius, Panormitanus enim in *c. in præſentia de Probationibus, num. 63.* multa habet, ex quibus apparere poteſt nomine Religionis alicuius Ordinis, intelligere Monaſterium particulare, atque adeò licet verbo tenus videatur loqui de translatione Monachi de vna Religione ad aliam, intelligi quoque debere de tranſlatione Monachi ab vno ad aliud Monaſterium, quando ſunt eius Ordinis, in quo ſingula conſtituunt Congregationem & Collegium ſeparatum, nec ſimul omnia conſtituunt vnum corpus ſub vno capite, quod omnia pleno Iure gubernet. Martinus verò Nauarrus *in Conſilio 9. de Regul. & Conſil. 60. 1. edit.* loquitur eodem modo, & docet, Regularem translatum in aliam Religionem, debere emittere nouam Profeſsionem, nec ſufficere eam, quam emiſit in priori Monaſterio, ex quo etiam apparet, nomine Religionis intelligere Monaſterium eiuſdem Ordinis, & ſic illum interpretatur Ioann. Azor. *tom. 1. l. 12. cap. 14. q. 13.* ſic dicens: *Quæritur an Regularis ex vna Religione, vel ex vno Monaſterio in aliud tranſiens, denuò debeat in eo profiteri. Hanc quæſtionem tractat Nauarr.* Conſ. 3. de Regul. & mox: *Fridericus verò, quem citat Nauarrus, docet Monachum electum in Abbatem alterius cœnobij non debere in eo nouam Profeſsionem emittere. Contrarium Nauarrus affirmat, ratus requiri Profeſsionem ſecundam: tum quia, licet fuerit Monachus vnius Religionis, Ordinis vel Monaſterij, non tamen eo ipſo eſt alterius: tum etiam quia vnaquæque Religio ſuis Conſtitutionibus gubernatur, item ſingula Monaſteria quando non ſunt ſub cura & poteſtate Vnius Generalis Præfecti, ſuis ſtatutis & legibus viuunt, & vnum Monaſterium ſæpè duriori & arctiori inſtituti regula tenetur.* Summa ergò defenſionis hæc eſt, quod antiqui Doctores quando agunt de Tranſlatione Religioſorum, quamuis vtantur illa phraſi *de vna Religione ad aliam*, loquantur etiam de *vno Monaſterio ad aliud*, quando Monaſteria, tametſi eiuſdem Ordinis ſint, nihilominus non habent idem Caput, & non conſtituunt vnum Corpus morale;

tale: ſed ſingula per ſe ſtant. quod verò addebat P.Romanus, illos Authores nō meminiſſe de Relaxatione voti, parum refert. quia iam ſupra probatum eſt, eſſe opus aliqua relaxatione, ſi non in ſubſtantia voti & in illius materia, at ſaltem in circumſtantia ſtabilitatis ad certum locum, nec P.Laymannus dixit, eos feciſſe mentionem de relaxatione voti, cum eorū verba nō adduxerit, ſed ad ſtabiliendam doctrinam ſuam eorundem auctoritatem ſimpliciter allegauit, ex qua illa deduci poteſt.

Num. LXXV. LXXVI. LVII.

SVMMARIA.

195. *P.Rom.docet, Generales & Viſitatores Ciſtercienſ. & Præmonſtratenſ. habere prælationem in Ordine ad bona Monaſteriorum.*

196. *Non eſt impertinens Ius transferendi Religioſos & bona de vno ad aliud Monaſt.* C.c.13.

197. *Non conſtat fundatores Monaſteriorum intendiſſe, gubernari in omni caſu per Monachos eiuſdem Ordinis, niſi iuxta SS. Canones.*

198. *Falſum eſt, Generales Ord. Ciſtercienſ. & Præmonſtrat. habere Prælationem in Ordine ad bona.* C.100.

199. *Et malè adducitur Bulla Pij II.* C.c.13.

195. Ex eodem principio, cuius meminimus initio examinis numerorum præcedentium, intulerat P.Laymanus, licet Monachi Ciſtercienſes & Canonici Præmonſtratenſes, eorumque ſimiles ſint exempti ab Epiſcopis & habeant Generalem; tamen eorundem Ordinum Generales & Viſitatores non habere aliquam Prælationem in Ordine ad bona & Iura Monaſterij, quaſi de ijs diſponere poſſint; ſed ſolum in pertinentibus ad Regularem Diſciplinam. P. Romanus ergò *Num.* LXXV. affirmat, P. Laymannum *grauiter in veritatem impingere*, ac, tametſi tranſlatio Religioſorum aut bonorum nihil prorſus ad rem faciat, quia fundatores nil aliud intenderunt, quàm vt Monaſteria per eiuſdem Profeſſionis homines regerentur; tamen docet *Num.* LXXVI. falſum eſſe, Generales horum Ordinum non habere aliquam Prælationem in Ordine ad Iura & bona Monaſteriorum: quia ex ſtatutis Ordinis Præmonſtratenſis editis Anno 1618. *diſtinct.4.c.30.num.179.* nullus Prælatus Ordinis poteſt alienare bona immobilia ſine Domini Præmonſtratenſis, vel Capituli Generalis, vel P. Abbatis, vel ſi is ſit nimis longè diſſitus, Vicarij, ſiue Viſitatoris conſenſu in ſcriptis obtento; & vt dicitur *Num.* LXXVII. Generalis Ordinis Ciſtercienſis alienationes bonorum mobilium & immobilium ſui Ordinis poteſt concedere, confirmare, & irritare ex conceſſione Pij II. in qua dicitur, Ordinis omnia bona eſſe communia: ex quibus concludit P. Romanus, Generales horum Ordinum habere aliquam Prælationem etiam in Ordine ad Iura & bona tempora-

lia. Præſertim cum Pivs V. in ampliſſimo priuilegio eidem Ordini Ciſtercienſi conceſſo Anno 1563. ſtatuerit, nullas Monaſteriorum diſmembrationes, aut alienationes fieri poſſe abſque ſpeciali conſenſu ipſius Generalis.

196. An P. Laymannus hîc grauiter *in veritatem impegerit*, mox videbimus. Certè, quod dixit de Tranſlatione Religioſorum & bonorum ad alium locum, parum ad rem non facit. nam ex illa poteſtate tranſferendi arguitur à poſteriore magna vnitas totius Religionis, communio bonorum, Ius plenum gubernandi omnia Monaſteria reſidens in Capite, Dominium bonorum ſpectans ad Ordinem in communi, & conſequenter *Ius & Actio* ad recuperanda Monaſteria, ſi occupentur, aut diſſoluantur.

197. Quod verò dicitur à P. Romano, mentem Fundatorum fuiſſe, vt Monaſteria per eiuſdem profeſſionis homines perperuò gubernentur. primum non conſtat de hac tam expreſſa intentione. Deinde, licet conſtaret: ea eſſet interpretanda iuxta ſacros Canones, qui in certis caſibus volunt bona fieri *vacantia*, & proinde eſſe ſub libera diſpoſitione Superioris. Poſtremò, ſi hæc ratio valeret, probaret, nullo caſu, ne tum quidem, quando Collegia ob delictum *Iure deſtruerentur*, poſſe Romanum Pontificem de bonis Eccleſiaſticis liberè diſponere. Sed de hac mente Fundatorum commodior erit infra dicendi locus.

198. Nunc dico primò, non rectè probari à P. Romano Generales Ordinum Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis aliquam Prælationem habere in Ordine, ad bona totius Ordinis, quaſi de illis poſſint diſponere. nam licet poſſent probare & improbare, confirmare & infirmare alienationes bonorum factas, aut faciendas; (quod tamen non potuerunt poſt editam Extrau. Ambitioſè de rebus Eccleſ. non alien. nec poſt noua priuilegia obtenta, poſſunt hoc tempore propter reuocationem eorundem factam ab Vrbano VIII. Anno 1625. Calend. Nouemb.) licet, inquam, hoc poſſent; non tamen indè inferretur, poſſe eos diſponere, & habere illam Prælationem, de qua P. Laymãnus locutus eſt in Ordine ad bona, quia etiam Epiſcopis & Ordinarijs, qui Iure antiquo habebant Ius circa Alienationes, competijſſet eadem Prælatio, & tamen plena Adminiſtratio Monaſteriorum & rerum ipſorum ad Abbatem pertinet, ex c. *nullam* 18. q. 2.

199. Secundò dico, Pii II. verba ſupra relata, non eſſe eo modo intelligenda, neque in eo ſenſu, quo à P. Romano allata ſunt; ſed longè diuerſo. Nec ſanè prudentis ſcriptoris eſt vnam, vel alteram clauſulam tantùm literarum Pontificiarum proferre, eaque ad ſuum ſenſum abuti. Illud inprimis attendendum eſt, quæ fuerit intentio, quis finis Pontificis ſtatuentis, & quæ occaſio. Porrò occaſio, quâ permotus Pivs II. Supplicationibus

Abbatia.

Abbatis & Generalis, & Capituli Ciſtercienſis, illam Conſtitutionem edidit, fuit, quòd Commendatarij Monaſteriorum haberent ædes & menſam à clauſtro Conuentus ſeparatam, & interdum prætendebant, ſibi deberi peculiares poſſeſſiones fundorum eorumque prouentus: ac mobilia precioſa ab Anceſſore relicta ſui Iuris ac Dominij fieri, ita vt ea liberè etiam alienare poſſent, hinc PIVS II. ſanxit, vt bona omnia Monaſteriorum, & aliorum locorum dicti Ordinis eſſent communia, non quod bona vllius Monaſterij deberent eſſe communia alij Monaſterijs, ſed ne Commendatarius haberet bona ſeparata à Monachis in eodem Monaſterio degentibus, ſtatuitque præterea, vt *vaſa argentea & Clenodia, & talia quacunque ad decorem & ornamentum Abbatiæ & Conuentus cuiuſlibet Monaſteriorum eorundem manerent & conſeruarentur in quolibet Monaſteriorum Ordinis antedicti, vtque vaſa, & Clenodia & bona prædicta per Commendatarios ipſorum Monaſteriorum, vel eorum Officiarios alienari non poſſent, ſeu deberent quoquo modo.* Ex quibus verbis tantùm abeſt, vt colligatur, bona Ordinis Ciſtercienſis eſſe communia; vt potiùs inferatur cuiuſque Monaſterij bona & Iura eſſe ſeparata.

(t)

Num. LXXVIII. & LXXIX.

SVMMARIA.

200. *Nec valet argumentum ab Inſtituto Societ.* IESV *ad iſtos Ordines, & P. Rom. allucinatur circa hoc Inſtitutum.*

201. *Sic etiam Em. Roderiquez.*

202. *Nam Scholares ſunt de corpore Societatis: licet non ſint membra omnino inſeparabilia.*

203. *Et ipſi ſunt Domini & poſſident bona Collegiorum, non Societas Profeſſa, nec Generalis.*

204. *Longè grauius errat P. Rom. putans, ſpoliato aliquo Collegio non competere Actionem de ſpolio ipſis Scholaribus.* C.c.14.

205. *Et dum cenſet, ideo Profeſſos non poſſe agere, quia non habebant titulum in eo Collegio, & ſi agant, agere nomine Societatis.*

200. Vnum ex Argumentis, quibus non nemo oſtendere potuiſſet, antiquis Ordinibus competere Ius & Actionem ad recuperanda ſua Monaſteria erat, quia ſi accideret ſpoliari aliquod Collegium Societatis; non concederet P. Laymannus, ipſius Societatis Scholaribus *nullam Actionem vel Ius competere* repetendi prædictum Collegium. Ad hoc Argumentum reſpondens P. Laymannus in *Iuſta defenſione* fol. 14. & 15. ait, eſſe diſparem rationem, *quia Religioſi Societatis non edunt vota ſua cum ſtabilitate ad locum, neque vouent Obedientiam vni vnius loci*

tantùm Superiori, & Profeſſi Societatis non habent Ius ac Titulum beneficij alicuius in Collegijs, & Præpoſitus Generalis ita eſt Caput totius Societatis, tanquam vnius corporis; vt perſonas de loco ad locum liberè transferre & de omnibus bonis, ac Iuribus Collegiorum, ac domorum diſponere, imò etiam ex iuſta cauſa, videlicet ſi alicubi reditus abundantes ſint, de Collegio ad Collegium cum Societatis conſenſu transferre poſſit. Hinc P. Romanus ſumpſit occaſionem multipliciter non tam diſcurrendi, quàm errandi circa Societatis Inſtitutum, indignus commiſeratione, non tamen correctione. Etenim cum potuerit ea, quæ ad Societatis Inſtitutum pertinent certò cognoſcere à ciuibus, vt ita dicam, hoc eſt, à Scriptoribus Societatis ipſius, & nominatim à P. Franciſco Suarez, qui *tomo 4. de Relig.* hoc de Argumento accuratiſſimè ſcripſit; maluit à peregrino & hoſpite edoceri. Emanuelem dico Rodriquez, qui ingenuè profitetur, ea, quæ de Societatis Inſtituto habet *tom. 1. qq. Regul. q. 2. art. 9.* accepiſſe ſe non ex Societatis literis Originalibus; ſed ſolum ex quodam compendio Auctoritate R. P. Claudij Generalis compilato. Quid ergò mirum ſi turbidam hauſerint, cum relicto fonte ad riuulos declinarint? ſed enumeremus vtriuſque errores.

201. Emanuel Rodriquez errat primò, dum ait Scholares Societatis poſt emiſſa vota ſimplicia non eſſe propriè de corpore Societatis, eò quòd non ſint membra inſeparabilia, & quia alicubi dicitur, quod peracto ſtudiorum curſu in Societatem admitti poſſunt.

202. Errat, inquam, in hoc Rodriquez, quia in Conſtitut. Societatis *part. 5. c. 1.* dicuntur Scholaſtici approbati etiam modo quodam interiore, quàm admiſſi ad probationem, in corpus Societatis cooptari, idem declarauit GREGORIVS XIII. in Bulla, quæ incipit. *Quantò Fructuoſius*, dicens *eos, qui poſt biennium Nouitiatus emenſum tria Vota ſimplicia emittunt, in corpus ipſius Societatis cooptari.* Nec obſtant Argumenta contraria, quia ad rationem membri moralis non requiritur, vt ſit inſeparabile à corpore, nam alioquin filijfamilias & ſerui non eſſent membra familiæ, cum illi poſſint emancipari, hi verò manumitti, & nomen Societatis in Conſtitut. non ſumitur vno modo; ſed pluribus, vt videre licet in Conſtitut *part. 5. c. 1. in declarat. lit. A.* primo latiſſimè, vt comprehendit etiam Nouitios. Secundò minùs latè, vt comprehendit Profeſſos tantum, Coadiutores formatos, & Scholares. Tertio ſtrictè, & ſic continet Profeſſos duntaxat. Scholares ergò ſunt membra Societatis acceptæ ſecundo modo, admittuntur in Societatem acceptam tertio modo.

203. Secundò errat Rodriquez, quod putet, eoſdem Scholares nihil poſſidere, nec in communi, nec in particulari, errat, inquam, quia exiſtimauit Poſſeſſionem & Dominium ad Societatem pertinere, & ad Præpoſitum Generalem, propterea quod in Conſtit. Gubernatio & Adminiſtratio Collegiorum dicatur eſſe penes Generalem Præpoſitum, qui

tamen

tamen non habet, neque Dominium, neque Poſſeſſionem, ſed ſolùm puram Adminiſtrationem, vt declarauit Paulus III. in Bulla data anno 1543. & Iulius III. in alterâ 1550. itaque Dominium & Poſſeſſio eſt penes ipſos Scholares Societatis in communi ſumptos, pro quorum ſuſtentatione tantum Collegia fundata ſunt.

204. Sed Pater Romanus longè grauius errat, ac primò, dum ex doctrina Rodriquez infert, ſpoliato aliquo Collegio, Societatis Scholaribus non competere vllam *Actionem vel Ius* repetendi illud Collegium, niſi illud generaliſſimum, quod quilibet è plebe habet in cauſis pijs, quia non ſunt propriè membra Societatis, nec ipſi ſpoliati fuerunt, cum nihil in communi aut particulari poſſederint. Hunc eſſe grauem errorem patet; quia Scholares ipſi ſunt domini bonorum Collegiorum, & poſſident, & non vllus alius, vt latius probaui in Opuſculo de Religioſa Paupertate non excludente Dominium nec Teſtamenta condendi aut reuocandi facultatem, contra quendam IurisConſultum edita Coloniæ anno 1619.

105. Secundò errat, dum dicit ideò non poſſe eos qui propria & inſeparabilia membra ſunt Societatis, id eſt, profeſſos, agere ſuo nomine pro reſtituendo Collegio ablato, etiamſi tempore Spoliationis in Collegio habitauerint; quia non habent vllum Titulum ſeu ius beneficij in Collegio. Errat, inquam, in aſſignanda ratione, licet ſit verum, Profeſſos non poſſe agere proprio nomine; quia etiamſi Profeſſi non habeant in Collegijs vllum Titulum, ſeu Ius Beneficij: hoc tamen, ad agendum non eſt neceſſarium, quis enim dicat ſi Collegium aliquod vel Seminarium Clericorum ſpolietur; non poſſe ipſos agere pro recuperatione, quia non habent Ius beneficij aut Titulum in illo Collegio? Vera ratio, cur Profeſſi non poſſint agere ſuo nomine, eſt, quia Societas profeſſa, (nedum ſinguli Profeſſorum,) non eſt capax redituum Collegij nec Poſſeſſionis.

Tertiò errat, dum ait, eoſdem Profeſſos poſſe agere ad recuperationem Collegij nomine Societatis, cui Collegium incorporatum erat. Errat, inquam, ſi nomine Societatis intelligat Societatem Profeſſam in tertia ſignificatione ſupra allata. quia Societas profeſſa non eſt capax nec Dominij nec bonorum Collegijs attributorum. Si vero nomine Societatis intelligit eandem quatenus comprehendit Profeſſos Coadiutores formatos & Scholares (quæ eſt ſecunda ſignificatio huius nominis ſupra allata) tunc verum dicit, quia Societas quatenus ſignificat omnes Scholares ſimul ſumptos, eſt Domina bonorum Collegiorum & poſſidet, ideoque Profeſſi, & Societas profeſſa poteſt agere pro reſtitutione Collegij ablati nomine ipſorum Scholarium. Sed ſi hoc dicat; contradicit ipſe ſibi, qui negauerat, Scholares eſſe

mēbra Societatis. Ex quibus omnibus infertur, malè concludi hāc reſpōſionē totā à P.Rom. *Ius transferendi perſonas aut bona de loco in locum, nihil ad rem pertinere, quippè quod nec tribuat, nec adimat quicquā ipſi Societati quoad Dominiū, Poſſeſſionem & agendi Iura*, nā vt ſupra declaratū eſt, ex hac poteſtate transferendi perſonas & bona, arguitur, Collegia Societatis nō eſſe ſingula mēbra ſeparata inter ſe; ſed eſſe mēbra vnius Corporis ſub vno Capite, & habere bona cōmunicabilia, & ſingula Collegia eſſe incorporata toti Societati Scholarium, qualia non ſunt Monaſteria, de quibus agimus.

THEORICA RESPONSIONIS ad quartum Argumentum.

SVMMARIA.

206. *P. Laym. Arg. Quia Abbates nec ſunt ſpoliati, nec ſunt hæredes aut ſucceſſores ſpoliatorū.*
207. *P. Rom. eſſe Arg. ex Ideis Platonicis desūptū.*

206. Quod in enumeratione P.Rom. eſt ſextum Argum. apud P.Laym. *in Iuſt. Defenſ. fol. 12. & 13* eſt Tertium, eſt aut huiuſmodi. *Si Abbates, v.g. Ordinis S. Benedicti Actionē aliquā haberent ad recuperationē Monaſteriorum; ea potiſſimum prætendi deberet, quòd à Lutheranis per vim iniuſtam occupata ſint, atque ſpoliati, & eorū hæredes & ſucceſſores reſtitui debeant. Atqui Abbates, v.g. Schürenſis, Murenſis, Andecenſis, nunquā ſpoliati fuerunt bonis & Iuribus Monaſteriorum ſitorum in VVirtenbergia, cum ea nunquam poſſederint, neque ſint eorum Abbatum aut Monachorum ſucceſſores.*

207. Hoc Arg. videtur P.Rom. è Platonis Schola deſumptum, & ſupponere, Monachos alicuius Ordinis paulatim oēs è ſuis Monaſterijs expelli, & ſucceſſiuè mori poſſe; ita tamen, vt Ordo ipſe neq; expellatur neq; moriatur, ſedſit velut idea quædā Platonica extra ſua ſingularia perſeuerans. Conatur autem probare contrarium, an præſtet, iam examinandum eſt.

Num. LXXX. vſque ad LXXXVIII.

SVMMARIA.

208. *Ordo in communi erepto aliquo Monaſterio, impropriè dicitur ſpoliatus.*
209. *Varia acceptio huius vocis* Ordo, *& deceptio P. Romani.*
210. *Ordo vt dicit Collectionem omnium Monaſteriorum, non fuit ſpoliatus.*
211. *Valdè ad rem eſt, dicere eos, qui non poſſident, non ſpoliari.*
212. *Alia eſt ratio Ordinis Religioſi, & Eccleſiæ vniuerſalis, reſpectu ſpolij.*
213. *Quando Ordo dicitur ſupprimi in Bullis, quid pro Ordine intelligatur.*
214. *Ordo in communi non habens dominium, non poteſt dici ſpoliari.*
215. *Factum quod allegatur de Electore Treuirenſi, non probat.*
216. *Argumenta probantia, Eccleſiam vniuerſalem ſpoliari, non probat ſpoliari Ordinem in communi.*
217. *P. Rom. vocat in inuidiam quod P. Layman. dixerit Neminem eſſe, qui Ius & Actionem habeat ad Monaſteria recipienda.*
218. *Sed fruſtra. quia licet nemo habeat Ius agendi nomine proprio. multi habent Ius agendi nomine Eccleſiæ vniuerſalis, &c.*
219. *Doctrina Molinæ de Iure in re, vel ad rem, reſpectu poſſeſſionis, non eſt ad rem.*

208. Priuſquam ſingulos numeros expendamus, exponam P. Laymanni ſententiam. Is ergò non negat, poſſe dici (caſu quo aliquod Monaſterium ab hæreticis ereptum ſit) ſpoliatum fuiſſe Ordinem; ſed addit *Iuſt. Defenſ. fol. 13. v. ad primum.* hanc eſſe locutionem impropriam, imò falſam. quia ad bona erepta ſolùm reſtitui debent, qui ſpoliati fuerunt, aut

tur eorum hæredes, vel ſucceſſores. Ordo autem, verbi gratia, Sancti Benedicti, cùm non conſiſtat in vno communi corpore; non poteſt dici ſpoliatus: ſed ſpoliati fuerunt illi Abbates & Monachi, & Conuentus, qui iam dudum mortui & diſſoluti ſũt, & qui non reliquerunt vllos ſucceſſores in Iuribus ac bonis Monaſteriorum illorum; ſed ea *vacantia* cenſentur, & conſequenter ſubiecta liberæ Summi Pontificis & Cæſaris diſpoſitioni, illi vt Adminiſtratori, huic vt Patrono Supremo Eccleſiæ. Si oſtendiſſet Pater Romanus, Ordinem Sancti Benedicti ita efficere vnum corpus, & habere Caput, quod pleno Iure gubernet omnia & ſingula Monaſteria, ſicut habent Generales Ordinum mendicantium, & peculiari modo noſtræ Societatis; tunc rectè diceret, erepto per vim, aut ſoluto per omnium mortem aliquo Monaſterio, Ordinem ipſum in communi, prout hoc nomen ſignificat omnes Monachos Sancti Benedicti regulam ſectantes collectiuè ſumptos, eſſe ſpoliatum, & debere reſtitui. Verùm cùm neque hoc demonſtrauerit: imò nos contrarium oſtenderimus; fruſtra philoſophatur de ideis Platonicis. Solùm in vno ſenſu concedi poteſt ſpoliari Ordinem Sancti Benedicti, ſi aliquod Monaſterium particulare eripiatur; videlicet, ſi nomen Ordinis accipiatur, quatenus ſignificat Ordinẽ determinatè ſumptum & limitatum ad illam particularem Congregationem & Conuentum, cuius Monaſterium ereptum eſt; in quo ſenſu fatetur etiam ipſe Pater Romanus *num. LXXXIII.* ſolere accipi in Bullis Pontificijs, quibus iubetur quando Monaſterium vnius Religionis vnitur vel incorporatur alteri, ſupprimur vel *extingui Ordinem*, verbi gratia, Sancti Benedicti. Cæterum vt dixi, ſi nomen Ordinis ſumatur pro toto Ordine & Collectione omnium Monachorum Sancti Benedicti; ſicut impropriè & falsò dicitur extingui & ſupprimi in caſu incorporationis alicuius Monaſterij alteri Ordini, ita impropriè & falsò dicitur, ſpoliari, quando peculiare Monaſterium eripitur vel diſſoluitur.

209. Conſideranti autem mihi vnde potuerit Pater Romanus accipere occaſionem tam ſæpè errandi in Reſponſione ad hoc ſextum Argumentum; inde omnis ipſius deceptio orta eſſe videbatur, quod hanc vocem (*Ordo Benedictinus*) non accipiat in ea notione, qua à P. Laymanno vſurpatur; hoc vt intelligatur, animaduertendum eſt, hanc vocem primò accipi tamquam totum vniuerſale, ſiue tamquam verum vniuerſale prædicabile de inferioribus, vt de hoc & illo Ordine, qui fuit ſuperioribus ſæculis: item prout ille Ordo (accipiẽdo hanc vocem pro familia quacunque profitente talem regulam, ſub tali habitu &c.) eſt quid prædicabile de hoc & illo particulari Ordine ſeu Congregatione in ſingulis Monaſterijs: & ſic accipit eam vocem P. Romanus *Num. LXXX.* quando argumẽtum P. Laymanni arguit tamquam ſumptum è ſchola & Ideis Platonis, &

Num.

Num. LXXXIII. ſed P.Laymannus non ita accipit eam vocem, cum negat, Ordinem indeterminatè ſumptū dici poſſe ſpoliatum: ſed in ſecunda notione, prout eſt nomen quoddam Collectiuum, & tanquā totum quoddam quaſi integrale & aggregatum, quod non neceſſario accipitur tanquā vniuerſale, ſed poteſt eſſe ſingulare, vti hæc numero Ciuitas Colonia, hic Exercitus, hic Ordo Benedictinus, qui nunc exiſtit, prout nempe ſignificat hanc collectionem ſingularem omnium Collegiorum & Monachorum ſingularium. & ſic accipitur & accipi debet in præſenti Quæſtione. Controuertitur enim, an Ordo Benedictinus habeat Ius agendi ad recuperanda Monaſteria, fuerit ſpoliatus, an debeat reſtitui &c. Actiones autem & paſſiones ſunt ſuppoſitorum & ſingularium, non Vniuerſaliū, vt etiam ipſe P.Rom. *Num.LXXX.* cōcedit. oportuiſſet ergò vt P.Romanus oſtenderet, quando aliquod Monaſterium particulare fuit ab Hæreticis vſurpatum, fuiſſe ſpoliatum Ordinem in hac ſecunda acceptione, quatenus ſignificat Collectionem hanc ſingularem omnium Monachorum & Collegiorum, quod nunquam fecit, & ipſius argutiæ contra P.Laym. nil aliud efficient, quàm, quod quando vnum Monaſterium vſurpatum fuit vel deſtructum, Ordo prout eſt quoddā Vniuerſale & totum metaphyſicū, ſpoliatus & deſtructus fuerit in illo ſingulari: ſicut dicitur perimi homo, dū occiditur hic homo ſingularis. Sed, vt dixi, non eſt hoc illud, quod quærimus: nec puto P. Romanum contendere, Ordinem quatenus eſt quoddā vniuerſale prædicabile de multis, debere reſtitui, aut fuiſſe ſpoliatum. Illud vult, Monaſteria quæ nunc ſunt, & Monachos, qui nunc viuunt, & familiam S. Benedicti, quæ hoc tēpore exiſtit, debere reſtitui, & habere Ius, quod vtique non ei cōuenit, niſi quatenus eſt quoddam totū integrale & aggregatum ſingulare, ſicut hic exercitus, v.g. non verò quatenus eſt nomen Ordinis accipitur pro quodam Vniuerſali. hanc autem ſuam ſententiam P.Romanus non poteſt probare: & P.Laymannus probauit contrarium, cuius doctrina confirmatur hoc ſimili. Nomen *Clerus* comprehendit ſub ſe omnia Collegia & perſonas Eccleſiaſticas tam ſæculares, quam vtriuſque ſexus Regulares. Hæc altera Vox *Clerus ſæcularis* ſignificat omnes Eccleſias, & Clericos ſæculares. Vocabulum *Status Religioſus* ſiue *Religio*, omnia Monaſteria, & Conuentus, & perſonas Regularium. Supponamus (quod Deus pro ſua bonitate auertat) occupari iniuſtè ab hæreticis duas Eccleſias Collegiatas huius Ciuitatis, Sancti Seuerini, & Sancti Pantaleonis. Ex ſententia P. Roman. non ſolum dici debébunt ſpoliati Capitulum & Canonici S. Seuerini, & Abbas & Monachi S. Pantaleonis, ſed etiam ratione S.Seuerini, Clerus Colonienſis totus, imò Clerus totus ſæcularis non ſolum Germaniæ, ſed totius mundi, & reſpectu S. Pantaleonis, dicentur ſpoliati non ſolum Monachi Congre-

gatio nis

Digitized by Google

gationis Brunsfeldenſis, ſed etiam S. Iuſtinæ, qui eſt in Italia, & Ordo S. Benedicti toto orbe diffuſus, imò etiam Ordo Religioſus in communi, quatenus comprehendit omnes Religiones, non ſolum Monaſticas, ſed etiam Mendicantes, & conſequenter poterunt agere proprio nomine ad recuperationem Sanct. Seuerini, quotquot Clerici ſunt in vniuerſo mundo: & pro repetitione S. Pantaleonis omnis generis Regulares: quia per P. Romanum, Eccleſia Collegiata S. Seuerini eſt pars Cleri Colonienſis, & ratione huius, Cleri totius ſæcularis, & Monaſterium S. Pantaleonis eſt pars Congregationis Brunsfeldenſis, & reſpectu huius, totius Ordinis S. Benedicti, & rurſus ratione Ordinis S. Benedicti, eſt pars Ordinis Religioſi in communi, & conſequenter ad ſua Principia, Dominium & Poſſeſsionem S. Seuerini immediatè, tenebitur P. Romanus dicere, eſſe penes Capitulum & Canonicos Eccleſiæ illius, mediatè penes Clerum Colonienſem, & adhuc penes Clerum ſæcularem in communi, & adhuc penes Eccleſiam Vniuerſalem, & demum penes Chriſtum. Poſſeſsionem verò, & Dominium immediatum S. Pantaleonis eſſe penes Monachos illius Monaſterij, mediatum penes Brunsfeldenſ. Congregationem, altius penes Ordinem in communi, adhuc altius penes ſtatum Religioſum, vt comprehendit omnes Religiones, ſuperius penes Eccleſiam vniuerſalem, ac denique ſupremum, penes Chriſtum. Scio hæc omnia à P. Romano non concedi, nec ſanè vllus hactenus dixit, quicquam Iuris eſſe vlli Eccleſiæ Collegiatę in bonis alterius, non ſolum diuerſæ Diœceſeos, ſed neque eiuſdem, nec Clero in communi & indeterminatè ſumpto competere vllum dominium in bonis omnium Eccleſiarum. Itaque non eſt ſatis plura membra vel partes concurrere ad Aggregationem totius alicuius, vel coagmentationem alicuius Corporis, niſi ſit caput aliquod, quod Iure poſsit de bonis partium & membrorum in bonum totius Corporis diſponere. Ex his facilè eſt ferre cenſuram de Aſſertionibus, quas in P. Romanus habet numeris ſequentibus.

210. *Num.* ergò *LXXX.* falsò aſſerit, ſupponi à P. Laymanno, expelli & mori poſſe ſucceſsiuè omnes Monachos alicuius Ordinis, & tamen ita, vt Ordo ipſe neque expellatur, neq; moriatur. Dixit tantum, ſi Monachi huius Monaſterij ſpolientur, non ſpoliari totum Ordinem quatenus comprehendit ſub ſe omnia Monaſteria: quia Ordo, vt ſic, non poſsidet, non negat tamen ſpoliari etiam Ordinem, quatenus ſumitur determinatè pro Congregatione, & conuentu illo particulari, nec negaret ſpoliari ordinē quatenus eſt quoddam vniuerſale prędicabile de inferioribus. Ordo autem in communi prout dicit collectionem omnium Monachorum, nec poſsidet, nec ſpoliatus eſt.

211. *Num. LXXXI.* non rectè negat, facere ad rem (dicens eſſe Sophiſma) quod P. Laymann. afferat, eos, qui non poſsident, ſpoliari non poſſe, quia priuatio præſupponit formam, & Monachi v.g. Montis Andex non poſſederūt

bona & Iura Monaſterij Lorkenſis. Malè, inquam, negat, hoc facere ad rem, quia veriſſima doctrina eſt, in Ordine S.Benedicti non ſolum vnum Monaſterium non poſſidere Iura & bona alterius, ſed neque poſſidere Ordinem in Commum, vt dictum eſt, neque eadem eſt ratio in Societate noſtra, quia cum Præpoſitus Generalis diſponat de bonis & perſonis omnium Collegiorum, quando fuit ſpoliatum Collegium Pragenſe, fuit ſpoliata tota Societas, adeoque quicunque è Societate poterant agere ad recuperationem illius Collegij.

212. *Num. LXXXII.* Fruſtra obſeruat, aliud eſſe membra vt ſingula, & aliud membra vt vniuerſa, ac proinde ſingula Monaſteria, vt ſingula, non eſſe Ordinem Sancti Benedicti, ſed membra vt vniuerſa ſimul ſumpta eundem Ordinem conſtituere: nam demonſtratum eſt ſupra, neque Monaſteria omnia ſimul ſumpta habere dominium aut poſſeſsionem bonorum Monaſteriorum particularium: Et alia eſt ratio Eccleſiæ Vniuerſalis reſpectu Epiſcopatuum, Canonicatuum, Monaſteriorum, & Parochiarum, nam horũ omnium bonorum Eccleſiaſticorum dominium eſt Chriſti & Eccleſiæ Vniuerſalis, quæ per Summum Pontificem habet pleno Iure omnium eorundem bonorum Adminiſtrationem, cui ſimilem non habet Ordo S. Benedicti reſpectu Monaſteriorum.

213. *Num. LXXXIII.* Incaſſum philoſophatur, Ordinem Religioſum & Eccleſiam Vniuerſalem extra ſua ſingularia non exiſtere, ſed omnia ſimul complecti, ideoque in Bullis Pontificijs, quibus fiunt incorporationes, dici, ſupprimi Ordinem & omnem Eſſentiam & dependentiam, vt hinc probetur, Monaſteria, quæ alteri Ordini incorporantur, ad Ordinem pertinuiſſe. Fruſtra, inquam, philoſophatur, quia, vt ſupra probatum eſt, ibi nomẽ *Ordo* non ſumitur pro Ordine in communi, ſed pro determinata illa Congregatione & Conuentu Monaſtico, cuius bona incorporantur, vel etiam pro ordine, quatenus ſignificat, hoc nomen quoddam vniuerſale & prædicabile, quod reuera ſupprimitur in hoc particulari, ſicut dicitur homo occidi, quando occiditur, verbi gratia, Titius.

214. *Num. LXXXIV.* Tandem reſpondet ad Argumentum initio propoſitum, & concedit ſubſumptum in probatione Minoris; hoc eſt, Abbates v.g. Schurenſis, Murenſis, Andercenſis Monaſteriorum non fuiſſe ſpoliatos bonis ac Iuribus Monaſteriorum ſitorum in VVirtenbergia, ſed ait, fuiſſe Spoliatum Ordinem S.Benedicti, *qui cum ſit tantum perſona repræſentata, non habet linguam, qua reſtitutionem petat, idcircò veniunt eius membra & prædicti Abbates, & nomine Ordinis petunt Monaſteria reſtitui.* Omnia fruſtra. nam, vt ſæpius dictum eſt, Ordo in communi nec habuit dominium, nec poſſedit, ſumpto nomine Ordinis pro collectione omnium Monaſteriorum, cui vult P. Romanus competere reſtitutionem.

215. *Num. LXXXV.* Non rectè argumentatur ex facto Eminentiſsimi Archie-

chiepiſcopi, ac Principis Elector. Treuirenſis, qui nuper Romæ in Sacra Congregatione Cardinalium, cauſam Monaſterij Albę Dominarum Spirenſis Diçceſis, & reſciſsionem quinquennalis Indulti contra Illuſtriſſ. Dom. Marchionem Badenſ. iudicialiter obtinuit, ob illam rationem, quia negabatur, Moniales, ſiue Ordinem ipſum & Epiſcopum Spirenſem tanquam Ordinarium vnquam poſſeſsione ſua legitima, & ciuili excidiſſe, ſed eam huc vſque continuaſſe, malè inquam argumentatur, quia, quicquid ſit de hoc facto, vt Princeps Elector cauſam obtinere debuerit, ſufficientiſsima erat vnica illa ratio, quia ſaltem Epiſcopus Spirenſis ſpoliatus fuerat ſuo Iure, quod habebat in illud Monaſterium non exemptum. Si ſolum allata fuiſſet ratio, quòd Ordo ipſe nunquam poſſeſsionem amiſiſſet, fortè à Sacra Cōgregatione admiſſa non fuiſſet; cùm, quemadmodum dictum toties eſt, Ordo in communi nunquam poſſederit, nec vllum dominium habuerit.

216. *Num. LXXXVI.* Malè aſſerit, pro ſua ſententia ſtare Abbatem, aliosque Doctores adductos ſupra num. 37. & 39. affirmantes, eundem Ordinem poſtliminio reſtituendum eſſe, non attento, quod nulli ex Abbatibus & Monachis expulſis hodie ſuperſint, quia aliter neque Eccleſia Vniuerſalis Monaſteriorum aut Epiſcopatuum reſtitutionem petere poſſet, cum ijſdem Argumentis quibus probatur, Ordinem Religioſum non eſſe ſpoliatum, probetur etiam non eſſe ſpoliatam Eccleſiam Vniuerſalem. Quandoquidem Pat. Romanus refert ſe ad ſupra dicta num. 37. & 39. nos quoque Lectorem illuc remittimus, vbi oſtendimus, illos Doctores non loqui in caſu, quo Monaſteria vel Collegia ſint *extincta.* Quod verò addit, ijſdem Argumentis probari, non eſſe ſpoliatam Eccleſiam vniuerſalem, quibus probatur non ſpoliari Ordinem, falſum eſt, quia Eccleſia vniuerſalis habet dominium & poſſeſsionem omnium bonorum Eccleſiaſticorum, illaque adminiſtrat per Summum Pontificem: Ordines Religioſi, de quibus loquimur, non habent vllum dominium, ſumpti in communi.

217. Eodem *Num.* LXXXVI propterea quòd Pat. Laymannus ex doctrina à ſe ſtabilita, deduxerat, *neminem hominum iam reperiri, qui ſibi Ius & Actionem ad Monaſteria recuperata è manibus hæreticorum vindicare poſſit:* P. Romanus concionabundus declamare, vel potius detonare incipit, exiguã ſarè gratiam à P. Laym. iniri apud Summum Pontificem, Imperatorem, Principes Electores Catholicos, Epiſcopos, Cōſilium Aulicum, Cameram Spirenſem, omneſque veros Eccleſiæ filios, aut iuſtitiæ amantes, è contra hæreticos gloriari ac triumphare poſſe, per que Pat. Laymannum ſecurè bona Eccleſiaſtica detinere: cùm vbi nullus Actor, ibi nullus Reus, nec vllus Iudex, nulla ſententia, adeoque nulla reſtitutio eſſe poſsit, quod vnum iam diu optarunt & quęſierunt hęretici. *Quid quod,* inquit, *ipſum quoque Pontificem Maximum Vrbanum Octauum impugnat, qui in Breui ad Sacr. Caſ. Maieſt. ann. 1629. data*

gratulatur veterem poſſeſſionem Eccleſiaſticorum bonorum vi Cæſarei Edicti, à ſectarijs dimitti Ordini ſacerdotali, ſi ergò, inquit, *veterem poſſeſſionem habuit olim Ordo ſacerdotalis, cur non & modernus Ordo Monaſticus?*

218. Verùm hæc mera tonitrua ſunt, & ſi quis ſuſpicetur eſſe fulmina; ne paueat. bruta enim ſunt. P. certè Laymannum non feriunt, qui licet aſſeruerit, *neminem hominum iam reperiri, qui ſibi Ius & Actionem ad Monaſteria recuperata vindicare poſſit:* non tamen negauit, imò expreſsè affirmauit, eſſe multos, ad quos pertineat eorundem Monaſteriorum repetitio; ac nominatim Imperatorem tanquam Vniuerſalem, & ſupremum Patronum omnium Eccleſiarum, Summum Pontificem aliosque Epiſcopos & Prælatos, veluti Adminiſtratores, Diſpenſatores & Ordinatores ratione Officij, quod gerunt, & in horum defectum competere repetitionem hæredibus fundatorum, imò cuilibet de Clero & populo, & ex quadam æquitate peculiari ratione Abbatibus eiuſdem Ordinis, ſed hi omnes non habent *Ius & Actionem* ſibi *Vindicandi* hæc Monaſteria, id eſt, Iure proprietatis aut Tituli, ſiue quaſi dominij, *quo modo nemo hominum nunc habet*, niſi fortè Summus Pontifex & Epiſcopus ratione Iurium peculiarium, quibus ſpoliati fuerunt. poſſent ergò ſolum agere nomine Eccleſiæ Vniuerſalis & Diœceſanæ, & illarum Eccleſiarum, quæ recuperatæ ſunt conſentientibus Summo Pontifice & Ordinarijs locorum. Cur ergò clamat P. Romanus, exiguam valdè gratiam initam fuiſſe à Pat. Laymanno apud Catholicos, permagnam apud hæreticos? triumphabunt ſcilicet, Sectarij, & ſecuri bona Eccleſiaſtica retinebunt, cùm quilibet homuncio Catholicus inſtituere poſſit Actionem contra eoſdem, nedum Clerici & Prælati, eoſque pro ſua ſuprema poteſtate Cæſar cogere poſſit ad reſtitutionem vel minimi teruncij. parum refert, quod nemo agere poſſit proprio nomine, dum tam multi ſunt, qui agere & poſſint & debeant nomine Eccleſiarum. Iam quod afferebatur ex Breui Vrbani Octaui, nullius eſt ponderis. Iure gratulatus eſt veterem poſſeſſionem reſtitui Ordini Sacerdotali, neque inde infertur, modernum Clerum olim bona recuperata poſſediſſe, ſenſus eorum verborum eſt, quòd Iure lætandum videatur, eò quia bona, quæ olim erant Eccleſiaſticorum, ad eorundem manus vi Cæſarei Edicti reuerſura ſint.

219. Vult hic ratione poſſeſſionis realis, de qua videtur loqui Summus Pontifex in citato Breui, obſeruari doctrinam Molinæ, qui *tom. 1. de Iuſtit. diſp. 2.* docet, *ſi quis deiectus fuit à poſſeſſione rei ſuæ, eamque amiſit, licet ius quod habet, vt ſibi poſſeſſio reſtituatur, ſit* Ius in re *comparatione rei ad quam poſſidendam habet Ius*, eò quod res ipſa ad id ſit ex natura rei deuincta & obligata, nihilominus comparatione poſſeſſionis, ad quam habendam eſt illud ius, quia nondum exiſtit, non dicitur habere ius in re, ſed ius ad rem. Doctrina Molinæ digniſsima eſt, quæ obſeruetur, ſed hic non habet locum. nam Ordines Reli-

Digitized by Google

Religioſi, de quibus agimus, non habent, ex dictis, Ius vllum neque *in re*, neque *ad rem*, neque reſpectu poſſeſſionis, neque rei poſsidendæ.

Num. LXXXVIII.

SVMMARIA.

220. *Monachi Apoſtatæ retinentes Monaſteriorum poſſeßionem, ſpoliati dici non poſſunt.*

221. *Bonum arg. ad Hominem. qui concedit Monachos Apoſtatas retinuiſſe poſſeßionem.*

222. *Imò abſolutè eſt efficax; cum licet Hæreticus non poßit rerum ſacrarum poſſeßionem acquirere, poßit tamen retinere.* C.c.15.

223. *Quando verò P. Layman. dixit Apoſtatas fieri inhabiles, non voluit eos amittere poſſeßionem, ſed Adminiſtrationis Iure priuatos eſſe.*

224. *Abbate vel Epiſcopo facto hæretico, poſſeßio non amittitur ipſo facto.*

220. Confutare aggreditur Argumentum quoddam P. Laymanni, quo *Iuſt. Defenſ fol.* 318. probabat, Ordinem Monachorum in Communi non fuiſſe ſpoliatum, Argumentum erat hoc. *Quando ijdem Poſſeſſores manent, ſpoliatio non accidit. Atqui Auctor libelli fatetur, Monachos deficientes à fide permanſiſſe Poſſeſſores Monaſterij, & bonorum eius. Igitur ſpoliatio non accidit.* P. Romanus ergò negat minorem huius ſyllogiſmi. *Licet enim* inquit, *non interſit ad poſſeßionem iuſtene an iniuſtè quis poßideat, vt tamen locum habeat poſſeßio, opus eſt, vt res ſit talis, quæ Iure non ſit prohibita poßideri; vnde hæreticus poſſeſſor beneficij non poteſt dici.* hinc infert, Monachos deficiẽtes à fide amiſiſſe poſſeſsionem, & conſequenter accidiſſe ſpoliationem.

221. P. Laymannus loco relato, argumentabatur ad hominem contra Auctorem libelli, quem confutabat, qui Author fatebatur, Monachos factos hæreticos permanſiſſe poſſeſſores Monaſterij & bonorum eius, rectè igitur intulit; *illi Monachi non fuerunt ſpoliati; quia donec quis manet poſſeſſor, ſpoliatus dici non poteſt.* Sed ſuppouamus etiam, P. Laymannum ſenſiſſe, Monachos Apoſtatas à fide retinuiſſe poſſeſſionem Monaſterij & bonorum eius, quam ob rationem P. Romanus id negat? *quia*, inquit, *res Eccleſiaſtica & Sacra, qualis eſt Titulus Canoniæ Monachalis, cùm omnibus bonis & Iuribus adhærentibus ſicut non poteſt à laico, ita nec ab hæretico poßideri, ideoque Abbate vel Epiſcopo facto hæretico, Monaſterium & Eccleſia vacat de Iure, &* ipſemet P. Laymannus *fatetur Apoſtatas ipſo Iure inhabiles fieri.*

222. Dudum reſpondit ad hæc Pat. Laymannus, ex cuius ſententia, dico primò, licet verum ſit, res ſacras prohiberi poſsideri, non tamen eſſe parem rationem poſſeſsionis acquiſitæ & habitæ; & poſſeſsionis acquirendæ, vnde licet hæreticus manifeſtus Eccleſiaſtici beneficij aut Spiritualis Tituli poſſeſsionem acquirere non poſsit, retinet tamen acquiſitum, quamdiu ea non deijcitur vid. l. *quemadmodum* 8. ff. *de acquir. poſſeſſ.*

223. Dico Secundò, Quando P. Laymannus dixit, Apoſtatas ipſo Iure

fieri inhabiles, non voluiſſe ſignificare, vt interpretatur Pat. Romanus, deficientes à fide eo ipſo amittere poſſeſsionem ſuorum Titulorum & beneficiorum. Sed ſolum ipſo Iure priuatos eſſe Iure Adminiſtrationis & Regiminis, propterea quod Eccleſia Prælaturas & beneficia per eos regi, & adminiſtrari tantum velit, qui iuxta fundationem & fundatoris voluntatem ad id habiles ſint, Apoſtatæ autem à fide ipſo Iure inhabiles fiunt, nempè vt regant, adminiſtrent legitimè, titulumque Canonicum retinere poſsint, ſiue eo ſe abdicare non tenentur.

224. Dico Tertiò, quòd aſſerit Pat. Romanus Abbate vel Epiſcopo facto hæretico, Eccleſiam & Monaſterium *de iure vacare*, ſi intelligat ita, vt Iure ipſo amiſerint beneficium non exſpectata vlla Iudicis ſententia, hoc non eſſe adeò certum apud Auctores, alijs aſſerentibus, alijs negantibus. Si verò intelligat ita *vacare*, vt ipſo Iure ſpoliati ſint, & amiſerint poſſeſsionem, falſiſsimum eſt. quamuis enim aliquis priuetur per Canonem ipſo Iure beneficijs, tamen præter ſententiam Iudicis condemnatoriam, exigitur etiam ſententiæ executio, vt docet Couarruuias 4. *Decret.* 2. *part.* c. 6. §. 8. n. 8. Henriquez *lib.* 13. c. 56. *nu.* 3. Sanchez *in Dec. li.* 2. c. 26. *nu.* 7. & c. 22. *num.* 7. & 8.

THEORICA RESPONſionis ad Septimum Argumentum.

Habetur hoc Argumentum apud Pat. Romanum propoſitum ſeptimo loco, quod deſumpſit ex *Diſceptatione placida* Auctoris Anonymi, qui in Conſideratione Rationis primæ negantium, Tranſlationes Monaſteriorum fieri poſſe, eò quod Iure naturali & gentium omnis ſpoliatus reſtituendus ſit, & contra Iuſtitiam ſit, ſi ſecus fiat à Iudice, proin Monachis reſtitui debeant, cum ſoli Monachi ſpoliati ſint: Reſponderat primum, illa ratione Pontifices, Cæſares, Reges, Epiſcopos, Principes accuſari, qui contra Ius naturale & gentium Monachis ſolùm danda Monaſteria, in alios vſus conuerterint, & triſti percelli ſententia omnes Magiſtratus, quaſi Iuris naturalis, & gentium violatores, nec minus damnari omnes Ordines Religioſos, quorum nullus eſt, qui non poſsideat bona alicuius alterius Ordinis. Deinde negauerat Aſſumptum in illo Argumento, hoc eſt, Monachos ſpoliatos eſſe, quia Religioſi, qui nunc ſunt, Monaſteria, de quibus agitur, nunquam poſſederunt, & per Profeſsionem acquirunt Ius & Titulum tantum in Monaſterio, in quo profeſsi ſunt. Neque Abbates aut Monaſterium aliquod particulare Ius habet hæreditarium ſuccedendi in hæc Monaſteria, ita, vt vnus Abbas pluribus Monaſterijs præſidere queat, aut ex ſuo Monaſterio dedu-

deducere quaſi Colonias in Monaſteria recuperata. Huic Argumento videndum iam eſt, quid reſpondeat Pat. Romanus.

Num. LXXXIX.

SVMMARIA.

225. *P. Rom. contendit Monaſteria deberi modernis Monachis, tanquam patrimonium & hæreditatem S. Benedicti.*

226. *Atqui bona Eccleſiaſtica non proueniunt Iure hæreditario, nec c.* ſignificauerunt *facit ad rem.*

225. Paucis abſoluit. Ait ex dictis, ſeptimo Argumento factum eſſe ſatis, neq; vllum Abbatem præeſſe cupere pluribus Monaſterijs, ſed hæreditatem tantum patrimonij S. Benedicti deberi Religioſis heri profeſsis, ſicut omnia bona Eccleſiaſtica reſtituenda, veluti patrimonium Chriſti, & antiqua poſſeſsio Iure hæreditatis debentur etiam Clericis heri natis, ſeu moderno Ordini Sacerdotali, & iubet, videri ac ponderari Capitulum *Significauerunt. de teſtib. & Gloſſam ib. verbo ea ratione, & verbo recurſum.*

226. Non eſt reuocanda in dubium modeſtia DD. Abbatuum: & pro certo habeo, neminem eſſe inter eos, qui cupiat præeſſe duobus Monaſterijs. At Monaſteria ante tot annos *extincta* & ipſorum *bona vacantia* iure hæreditario deberi *Monachis etiam heri natis*, hoc omninò nego, bona enim Eccleſiaſtica neque Monachis, neque Clericis Iure hæreditario prouenire poſſunt, vt notiſsimi Iuris eſt. Et, ſi bona Eccleſiaſtica reſtituenda, ſunt patrimonium Chriſti, vt P. Romanus affirmat, cur in hoc patrimonio vult ſolum ſuccedere Eccleſiaſticos, cum etiam reliqui mortales, & maximè pauperes Catholici ſint etiam Chriſti filij? *Capit. ſignificauerunt*, vidimus & ponderauimus, ſed in eo textu, ſicuti & in Gloſſa, nihil eſt, quod P. Romani cauſam promoueat. Etenim caſus illius *cap. ſignificauerunt*, non eſt ſimilis noſtro, in eo Abbatiſſa & Moniales Monaſterij de Forcellis contra Monachos & Abbatem S. Dionyſij relicto *Iudicio petitorio* intentauerant *poſſeſſorium* reſpectu Prioratus de Argentolio, ea ratione, quod Moniales, quibus ipſæ ſucceſſerant, inde fuerant violenter eiectæ. Hanc rationem, ait Gloſſa eſſe bonam, quia interdictũ *Vnde vi*, datur hęredi, & bonorum poſſeſſori. In noſtro autem caſu Monachi, qui nunc viuunt, nec ſunt hæredes illorum, qui ſpoliati fuerunt, nec ſucceſſores, & Pat. Romano hoc fuerat probandum, non ſupponendum.

Num. XC. vſq; IC.

SVMMARIA.

227. *Sex errores affinguntur Pat. Laymanno.*

228. 1. *Quia negat Ordinem in communi poſſediſſe.*

229. *Rectè negat de Ordine prout dicit Collectionem omnium Monaſteriorum.*

230. 2. *Error, quia negat Ordinem fuiſſe ſpoliatum.*

231. Non

231. Non fuit ſpoliatus, cum non poſſederit.

232. 3. Error, quod dicat P. Laymann. idem eſſe ſpoliari, & de poſſeßione per vim deijci.

233. Dato id eſſe verum, Monachi tamen non ſunt ſpoliati, cum nunquam poſſederint, nec ſint ſpoliatorum hæredes. .c.16.

234 Niſi præcedat violentia, ſpolium ſtrictè ſumptum, non accidit, ſed latè.

235. Interdictum, vnde vi, non competit, niſi anteceſſerit violentia.

236. P. Romanus infert, Monachos ante omnia eſſe reſtituendos, cùm notoriè ſpoliati fuerint, & P. Laym. id negantem, fauere Hæreticis.

237. Perperam infert, cùm falſum ſit Ordinem, vel Monachos modernos eſſe heredes ſpoliatorum, & P. Layman. multa remedia recuperandi Monaſteria aßignarit.

238. 4. Error P. Laym. affictus, neganti ſpoliari eum, qui ad ſuum non admittitur.

239. Vindicatur ab errorum ſuſpicione. C.c.17.

240. 5. Error, quod dixerit; Monachos non prohiberi capere poſſeßionem Monaſteriorum, indicato exemplo Monaſterij VVoltigeroda.

241. P. Laym. dum dicit non competere Ordinibus Ius & Actionem vindicandi Monaſteria, locutus eſt ex animi ſui ſententia.

242. Non fuiſſe prohibitam iniuſtè poſſeßionem Monaſterij VVoltigeroda, probatur ex narratione facti iudiciali.

243. 6. Error P. Laym. affictus, quod negarit totam diſpoſitionem Edicti Cæſ. niti ſpolio.

244. Oſtenditur niti Pace Religionis.

245. Et bona Eccleſiaſtica poſſunt repeti vi Edicti Cæſar. licet non prius conſtet de ſpecie Facti.

246. Edictum Cæſar. non nititur ſolum ſpolio propriè dicto. C.c.18.

227. Hinc P. Romanus, relicto Auctore Placidæ Diſceptationis, redit ad P. Laymannum, cui pro ſua ſingulari charitate eripere vult non vnum aut alterum, ſed ſex graues errores ſparſos in Iuſt. Defenſ. diuerſis locis, quos notat ad marginem. Errare enim putat primò, quia negat Ordinem in communi Monaſteria poſſediſſe. Secundò, quia negat Ordinem fuiſſe ſpoliatum. Tertiò, quia ait nunquam de ſpolio agi ad reſtitutionem, niſi violentia anteceſſerit, & idem eſſe, ait, ſpoliatum fuiſſe, & rei poſſeſsione per vim deiectum eſſe. Quartò, quia dicit non eſſe propoſitionem veram ſecundum Iuris terminos, eum ſpoliari, qui ad ſuum non admittitur. Quintò, eſſe propoſitionem falſam quod Monachi prohibeantur ad Monaſteria ſua accedere, eorumque poſſeſsionem capere. Sextò denique, quia aſſerit falſum eſſe, quod tota diſpoſitio Edicti Cæſarei nitatur ſpolio. Hi ſunt errores qui ſolum proponuntur Num. LXXXX.

228. Num. LXXXXI. ergò probat, eſſe errorem recenſitum primo loco. quia, ſi Ordo in communi Monaſteria non poſſediſſet, ſequeretur, quod nunc Ordo S. Benedicti nullum Monaſterium poſsideret, & Societ. Ieſu nullum Colle-

Collegium, & Eccleſia Vniuerſalis nullam Eccleſiam particularem, adeoque Ordo & Societas eſſent ideæ ſeparatæ; quocirca ſicut Ordo Sancti Benedicti nunc poſſidet Monaſteria nunquam amiſſa, ſic olim amiſſa poſſidebat.

229. Hic ſolùm meminiſſe ſat eſt, duplicis acceptionis huius nominis *Ordo*. de quo ſupra diximus. Si ſumatur quatenus ſignificat Collegium & Congregationem particularem alicuius Monaſterij (quo modo diximus, accipi in Bullis Pontificum incorporantium aliquod Monaſterium alteri Ordini) tunc aio, Ordinem S. Benedicti poſſidere Monaſteria, quæ nunquã amiſit, & poſſediſſe quæ amiſit; ſed hic & ille non eſt idem Ordo: ſicut nõ eſt idem numero Conuentus & Cõgregatio. Si verò accipiatur nomen *Ordo*. in prima ſignificatione, quatenus denotat Ordinem collectiuè sũptum, ſiue collectionem omniũ Collegiorum & Monachorũ ſingulatiũ; iam ſæpius oſtenſum eſt, Ordinẽ nullum habere nec habuiſſe vnquam dominium aut poſſeſſionem. cum ſingulorum Monaſteriorum Iura & bona ſint diuiſa, & omnes Monachi habeãt Ius & Titulum ſolùm in vno Monaſterio, in quo ediderunt Profeſſionẽ; nec ſubſint vni Capiti, qui pleno Iure diſponat de perſonis & bonis. Alia ratio eſt Societatis noſtræ & Eccleſiæ Vniuerſalis: quia Præpoſitus Generalis eſt Adminiſtrator bonorum ſingulorum Collegiorum, ſicut & Summus Pontifex omnium bonorum Eccleſiarum patticularium.

230. *Num. XCII.* Probat, eſſe errorem, quod ſecundo loco dicebatur, Ordinem non fuiſſe ſpoliatum, quia Ordo olim poſſedit, iam verò non; ſed alius Monaſteria per iniuriam detinet; hoc autem eſt, eſſe ſpoliatum.

231. Hoc facillimè ſoluitur. cùm, vt modò diximus, Ordo in communi & collectiuè ſumptus nũquã poſſederit.

232 *Num. XCIII.* & *XCIV*. oſtendit, erraſſe P. Laym. dum ait tertiò loco, idẽ eſſe, ſpoliatum fuiſſe, & per vim de poſſeſſione rei deiectum eſſe: nec cõtingere ſpolium niſi violentia anteceſſerit; quia de Iure Canonico habemus Interdictum *recuperandæ* magis largum: quam propoſitionem confirmat his duobus numeris pluribus teſtimonijs.

233. Reſpondeo primò, fruſtra laborare hoc loco P. Romanum. Dato enim & non conceſſo, dici poſſe propriè ac ſtrictè ſpoliatos eſſe eos, qui per vim rei poſſeſſione deiecti non ſunt, & contingere ſpolium, etiam vbi non anteceſſit violentia; non tamẽ hinc ſequitur Monachos, qui nunc ſunt, ſpoliatos fuiſſe reſpectu Monaſteriorum recuperatorum. cùm neque ipſi vnquam poſſederint, vt patet, neque ſint hæredes aut ſucceſſores illorum, qui poſſederunt, quoniam bona Eccleſiaſtica non tranſmittuntur Iure hæreditario, neque vnum Monaſteriũ ſit incorporatum alteri, vt P. Rom. etiam concedit, nec deniq; Ordo in cõmuni ſit poſſeſſor aut fuerit, vt toties demonſtratum eſt.

234. Reſpondeo ſecundò, nuſquam dixiſſe P. Laymannũ non contingere

Digitized by Google

ſpolium, niſi anteceſſerit violentia; ſed hoc affirmauit ſolùm de ſpolio ſtrictè ſumpto; ſpolio autem latè acceptum expreſsè conceſſit, etiam vbi non anteceſſit violentia, neque per vim deiectio. Et in hac materia Monaſteriorum ſolùm dixit non cōpetere Monachis, neque vlli reſtitutionem ex Interdicto *vnde vi*: at competere Actionem(non quidem Monachis ad agendum proprio nomine, ſed Epiſcopis & omnibus fidelibus ad agendum nomine Eccleſiæ vniuerſalis)ex alijs Poſſeſſorijs & Iuris remedijs.vide Tractat. de Pace Relig.c.8.n.137. vbi numerantur plura remedia, & potiſſimum largum illud quod dicitur *Conditionis* ex c. *redintegranda* 3.q. 1. & appellari ſolet *in rem ſcripta*,& aliud Generaliſſimum,quod dicitur *imploratio nobiliſsimi Iudicis Officij & Magiſtratus*, de quo vide Innocent.*in c.ſepè. de reſtit. ſpoliat.*Abb.*c vt lite non conteſtata.*eod. Archidiac. *in c. redintegranda cit.verbo,haud dolo.* Placet huc transferre quæ idem P. Laymannus habet in *Iuſt Defenſ.fol.*315.& *Cenſura* 16.quam tamen, cùm viderit P. Romanus,ſicut & cęteras omnes,diſſimulauit. Ex quibus apparebit,quando negauit,non contingere ſpolium, vbi non anteceſſit violentia; de quo ſpolio locutus fuerit. *Extra Controuerſiam*, inquit, *eſt, Vigore Edicti Cæſarei multa Monaſteria, ſacra Collegia, aliaque bona Eccleſiaſtica reſtituenda eſſe,tametſi Actio de ſpolio* (intellige de propriè dicto,& vero ſpolio)*& Interdictum, Vnde vi,intentari non poßit.nam aliquando Religioſi alijq́; Eccleſiaſtici, cū à fide defeciſſent, Eccleſias & bona Eccleſiaſtica malè retinuerunt,quæ ad Acatholicos ſucceſſores deuoluta ſunt. Aliquando verò vel metu cogente, vel pecunia promiſſa cupiditate deſeruerunt, & Acatholicis ſponte tradiderunt. Aliquando ſpoliati & deiecti fuerunt:ſed ſpoliatores Eccleſias & bona Eccleſiaſtica ad particulares Succeſſores venditione,donatione,&c. tranſtulerunt,in quibus caſibus Cæſarei Edicti vigore conformiter Paci Religionis reſtitutio bonorum fieri debet, non Actione ex ſpolio* (propriè dicto)*ſed ex alijs Poſſeſſorijs Iuris Remedijs, prout apud Iureconſultos notißimum eſt.*

235. Hactenus P.Laym.Ex quibus cōſtat ſolū,non contingere ſpolium propriè dictū; nec cōpetere Interdictum *Vnde vi*,niſi anteceſſerit violētia,quod & ipſum nomen ſonat. Cæterū ſpoliū latè ſumptum,& alia remedia Poſſeſſoria,nuſquā, vt dixi, negauit;imò expreſsè conceſſit in materia Monaſteriorum recuperatorum. Et ratio,cum ſemper negauerit,Ordines & Religioſos Ordinis, qui nunc ſunt, eſſe ante omnia reſtituēdos,non eſt ab illo aſſignata ea,quòd violentiā nō ſint paſſi; ſed quia nunquā poſſederunt Monaſteria & Bona Eccleſiaſtica,quæ reſtitui debent,nec eorum qui poſſederūt ſunt hæredes aut ſucceſſores;atq; adeò eiſdem negauit non ſolùm remedium Interdicti *Vnde vi*, quod competit paſſis ſpoliū propriū;ſed quodlibet etiam aliud poſſeſſorium Interdictum,etiam ſi ſit largiſſimum.

236. *Num.XCV.*Ex dictis colligit,cùm Ordines antiqui & Eccleſia vniuerſalis notoriè ſpoliati fuerint Monaſterijs, Epiſcopatibus,&c.ſequi,eoſdem ante omni-

omnia ex quacunq; tandẽ iniuſta cauſa fuerint priuati, reſtituendos eſſe, ꝙ probat multis, & præcipuè, quia licet deeſſent alia Iuris auxilia, per quæ reſtitutio peti queat, quæ vſq; ad triginta duo numerantur à Doctoribus; vel vnũ illud Capituli *redintegranda*. quod eſt omniũ *pinguiſſimum* & facillimũ, ſatis foret. quippe in quo ſufficit probare antiquiorẽ poſſeſſionem agentis, & nouã conuenti. Quibus fusè cõprobatis, iterũ infert, P. Laym. contra Religioſos Ordines repugnãdo & negãdo, eiſdẽ, aut Eccleſiæ Vniuerſali cõpetere, ꝙ vulgò Iure notũ eſt, ſpoliatũ ante omnia eſſe reſtituendũ, niſi corporalis anteceſſerit iniuria, cui, remedium per Interdictũ *Vnde vi* poſſit adhiberi; infert, inquã, illum denuo pro hæreticis egregiè depugnaſſe, & Sacros Canones, præſertim allegatum *c. redintegranda*, adeoq; cauſam vniuerſalis Eccleſiæ pro recipiendis bonis Eccleſiaſticis non leuiter vulneraſſe.

237. Si vſquam, hoc loco ſanè, ſummã iniuriã intulit P. Romanus P. Laym. Paulò antè diximus, expreſsè ab eo aſſeri, ſuppetere remedia multiplicia, nec pauca poſſeſſoria ad recuperanda bona Eccleſiaſtica; ſicuti etiam nõ ſemel affirmauit, eiuſmodi remedia conuenire Eccleſiæ Vniuerſali, & tamen Pater Romanus audet dicere contrarium. Quod Pater Laymannus negat, illud eſt, non competere Monachis aut Abbatibus qui nunc ſunt, neque Ordini ipſorum in communi *Ius & Actionem* repetendi proprio nomine Monaſteria recuperata, neque vllum ex remedijs poſſeſſorijs; & ratio eſt, quia neque ipſi vnquam poſſederunt, neque ſunt hæredes aut ſucceſſores eorum qui poſſederunt, nec Ordo in cõmuni poſſidet, aut poſſedit: & conſequenter nõ paſſi ſunt ſpoliũ, neque propriè & ſtrictè ſumptũ, neque latè & impropriè.

238. *Num. XCVI.* Contendit, errasse P. Laym. dum quarto loco dixit, non eſſe propoſitionem verã, ſecundum Iuris terminos ſpoliari eum, qui ad ſuum non admittitur: & addit, hoc dictum eſſe contra omnes Canoniſtas & Legiſtas, & pluribus teſtimonijs adductis confirmare nititur.

239. Reſpondit dudum ad hæc P. Laym. nempè illam propoſitionẽ ita indefinitã & vniuerſalem eſſe falſam, quia interdum aliquis ad rem ſuã non admittitur, qui eius poſſeſſionem nũquam nactus fuit, & conſequenter nõ poteſt dici ſpoliari: interdũ verò qui in poſſeſſione fuerat, ea priuatus eſt, vel quia repulſus, vel quia ad recuperandũ accedere nõ eſt auſus, iuxta *l. 3. § ſed etſi. ff. de acquir. poſſeſſ.* vbi dicitur: *Si quis nunciet domum à latronibus occupatã, & dominus timore cõterritus noluit accedere; amiſiſſe eũ poſſeſſionẽ placet.* In hoc caſu, ſi ipſe Dominus poſtea in domum ſuã ingredi volẽs prohiberetur; nemo dicere poſſet, eum ſpoliari, quia cũ iã amiſerit poſſeſſionem, eaque ſit ſpoliatus; ſpoliari amplius non poteſt. Neque eſt, cur P. Rom. hunc P. Laym. diſcurſum dicat eſſe *impertinentem*; ſed eſſe quæſtionem, An qui ad ſuum non admittitur, ſpolietur: & Ordines antiquos nunquã depoſuiſſe animũ recipiẽdi ſua Monaſteria; quia iã probaui

Digitized by Google

ex caſu modo allato, aliquando non admitti aliquem ad ſuum, & tamen non ſpoliari; nec video, quo modo Ordines antiqui non depoſuerint animum recipiendi Monaſteria, niſi, quod falsò perſuaſerint ſibi Monaſteria eſſe ſua.

240. *Num. XCVII.* oſtendit, eſſe errorē illum quintum, hoc eſt, Monachos nō prohiberi ad Monaſteria ſua accedere, eorumque poſſeſſionem capere. Et vt efficacius coarguat P. Laym. erroris, rhetoricatur non nihil, ait tantū, *ſe prudentis Lectoris iudicio relinquere, nū iſta propoſitio, penſatis conatibus aut ſcriptis opponentis, aut ſi qui ſint plures eiuſmodi: mirabili. item. proceſſu nuper in Monaſterio Saxoniæ Inferioris Vvoltigeroda in praxi vſurpato, vera ſit, nec ne.*

241. P. Laym. &, ſi quis alius cum P. Laym. conſentiens, ſcripſit, non competere antiquis Ordinibus *Ius & Actionem vindicandi* Monaſteria recuperata; expoſuit ex animi ſui ſententia, quod verum eſſe iudicauit, quodque neceſſarium eſſe videbatur ad Iuſtam Defenſionem Romani Pontificis, Cæſaris, Epiſcoporum, ac Principū, quorum Auctoritate, opera, rogatu variorum Monaſteriorum translationes factæ ſunt ad alios Ordines, & alia opera pia conſeruandæ & propagandæ Catholicæ Religioni opportuna. Si hoc *eſt prohibere Monachos ad Monaſteria ſua accedere* (quid dico ſua, cum nullum in eis nec ad ea Ius habeant) *eorumq; poſſeſſionem capere*; ego quoque *prudentis Lectoris iudicio libenter relinquo.*

242. Quod de illo Monaſterio Saxoniæ inferioris innuitur, grauem poteſt in animis legentium ſuſpicionem ingerere, præſertim eorum, qui incertis & plerumque falſis rumoribus delectantur. Rem vti geſta eſt paucis exponam ex iis, quæ ex Proceſſu in ea cauſa fabricato tranſmiſſa ſunt ad Aulam Cæſaream.

Monaſterium illud fuerat Monialium Ordinis Ciſtercienſis, & ante complures annos occupatum ac miſerè deformatū à Duce Brunſvvicenſi, in cuius ditione poſitū eſt, & pertinet ad Diœceſin Hildesheimenſem. Vbi primū intellectū fuit, Edicto Cæſareo promulgato anno 1629. bona Eccleſiaſtica occupata poſt Paſſauicā Transactionem, iuberi reſtitui; Monialis neſcio, quæ cum 5. aut 6. Virginibus adhuc Nouitiis, & fortè in eā rē tumultuatim collectis, illicò aduolauit in Saxoniā inferiorem, & Monaſteriū illud inſedit. Grauiſſimè id tulerunt Eminentiſſimus Archiepiſc. Mogūtinus, & Sereniſſ. Elector Colonienſis, qui eſt etiā Epiſcopus Hildesheimēſis: ille quòd hæ Moniales ſe inſcio, ac inconſultò è clauſura Monaſterij ſui in ſua Diœceſi egreſſæ fuiſſent, hic quod in ſuū Epiſcopatū nō ſolùm ſe inſcio; ſed etiā inuito veniſſent, & Monaſteriū ſuæ diſpoſitioni & Rom. Pōtificis obnoxium, propria auctoritate occupaſſent. Eccleſiaſticas ergò cēſuras ac pœnas cōminati, iuſſerunt nulla interpoſita mora Virgines illas è Monaſterio non ſuo excedere & ad ſuū redire, præſertim quod nō ſine magno periculo ruri habitarent (eſt enim Monaſterium illud, vt ita dicam, Cāpeſtre) belli-

Digitized by Google

bellicoſo illo & formidoloſo tempore. inter quotidianas militum etiam hæreticorum excurſiones. Tradiderat illud Monaſterium Societati nomine Auguſtiſſimi Cæſaris Ferdinandi Secundi ſuæ Cæſareæ Maieſtati ſubdelegatus Commiſſarius Admodum Reuerendus Nobilis & Clariſſimus D. Hermannus Eilinck Officialis tūc temporis Hildesheimenſis, nunc verò Colonienſis, eique adiunxerat Sereniſſimus Elector Colonienſis tanquā Epiſcopus Hildesheimenſis Cancellarium Hildesheimenſem. Societas tamen nondum adierat memorati Monaſterij poſſeſſionem. Adijt igitur illam, per occaſionem, quòd Virgines illæ ingruente noua tempeſtate belli Suecici, metu perculſæ inde exceſſerant, ſeque ad aliud Monaſterium non ſui Ordinis ſeſquimilliari circiter inde diſſitum in tutum receperant. At vbi, neſcio vnde, inaudierunt, Monaſterium dudum Societati traditum, eſſe iam in eiuſdem poſſeſſione; habitu regulari dimiſſo, ſæcularibus veſtibus ſumptis (ne agnoſci poſſent) per ſepimentum quoddam iterum in Monaſterium clam irrepſerunt. Porrò conſtituti fuerant duo arcium vicinarum Præfecti, qui nomine Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, & Sereniſſimi Electoris Colonienſis Societatem noſtram tuerentur in poſſeſſione: qui cùm intelligerent, nos reditu Virginum in poſſeſſione turbatos; fecerunt tota de re certiores Subdelegatos Commiſſarios, qui Hildeſij erant, & poſſeſſionem tradiderant. Illi certum dierum numerum definiuerunt, intra quos Virgines illę, vti ſępius erant iuſſæ, excederent, & ad clauſuram relicti in Archiepiſcopatu Moguntino Monaſterij redirent, oblato etiam curru, quo commodè & decenter reueherentur. Sed quia à D. Abbate in Valtenried, qui ex Superiore Germania in Saxoniam inferiorem venerat, Iuſſæ erant non excedere, ipſæque (vt eſt ingenium fœminarum pertinax & obſtinatum) non poſſent induci nec precibus, nec minis, vt abire vellent; mandarunt DD. Commiſſarij & Conſiliarij DD. Præfectis, vt illas quamprimum è Monaſterio nullo Iure occupato, faceſſere omninò iuberent, atque ita factū eſt. Moniales ſedibus honeſtè decenterque impoſitæ è Monaſterio elatæ ſunt, curruq; cōſcenſo, abire quo vellent permiſſæ. Hæc eſt rei geſtæ ſeries ex Actis, vt dicebā, publicis extracta, ex quibus cōijcere licet, idē eſſe apud P. Romanum, legitima Authoritate deturbari è poſſeſſione, vel potius omnibus legibus interdicta detentione Monaſterij, per violationem Monaſticæ clauſuræ, per contemptū Eccleſiaſticarum Cenſurarū, per Regularis Habitus depoſitionem cum periculo, ſi non vitę, certè Virginalis pudicitiæ amittendæ, clam occupati: quod *prohiberi ad Monaſteria ſua accedere, eorumq; poſſeſſionem capere.*

243. *Num.* XCVIII. Denique contendit, erraſſe P. Layman. dum dixit, falſum eſſe, *quòd tota diſpoſitio Edicti Cæſarei nitatur ſpolio*, ſed niti *Pace Religionis*. quia in eadem *Religionis Pace*, ne verbulo quidem præcipitur reſtitutio

R 3 facien-

facienda bonorum Eccleſiaſticorum. Deinde, quia dato etiam, ibidem præcipi, vt reſtituantur omnia bona Eccleſiaſtica à tempore Paſſauicæ Tráſactionis iniuſtè occupata vel occupáda; ſequeretur primò, nó poſſe vi edicti Cæſarei recuperari Eccleſiaſtica bona, niſi conſtet de *facti ſpecie* aliqua, nimirum huiuſmodi bona fuiſſe ablata, & conſequenter eſſet falſum quod P. Laymannus dixit *Iuſt. Defenſ. fol.* 114. ad id ſolum Generales Commiſſarios executionis Edicti Cæſarei attendere ſolere ac debere, num Prælati, ſeu Eccleſiaſtici, (quod attinet ad Monaſteria & bona, quæ imperio immediatè ſubiecta non ſunt) eorum poſſeſſionem tempore Tranſactionis Paſſauicæ habuerint nec ne. Secundò falſum eſt, Edictum Generale Cæſareum niti ſola *Pace Religionis*, cùm nitatur etiam Iure naturali, gentium & ſcripto, & præterea etiam ſpolio.

244. Ad primum reſpondeo, falſum eſſe, *ne verbulo quidem præcipi reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum in Pace Religionis.* nam in illo ipſo paragrapho, quem P. Romanus indicat, Dieweil aber etliche Ständt/ꝛc. hoc eſt: *quia verò Status aliqui, &c.* expreſsè habetur, *bona Eccleſiaſtica tantùm, quorum poſſeſſionem Eccleſiaſtici tempore Paſſauienſis tranſactionis, vel ab eo tempore non habe-runt, in illa Pace comprehendi, ac propterea mandatur vigore illius Receſſus, Cæſareæ Maieſtatis Cameræ Præſidi, vt horum occupatorum bonorum cauſa nullam citationem vel Proceſſum decernat.* Quocirca à contrario ſenſu, in eadem *Pace*, ſtatuitur, vt bona Eccleſiaſtica, quorum poſſeſſionem Eccleſiaſtici tempore Paſſauienſis Tranſactionis, vel ab eo tempore habuerunt, in illa *Pace* non comprehendantur, & conſequenter ab Acatholicis occupata reſtitui debeant.

245. Ad ſecundum negatur, ex doctrina P. Laymanni ſequi, non poſſe repeti vi Edicti Cæſarei bona occupata, vel occupanda iniuſtè à tempore Paſſauicæ Tranſactionis, niſi conſtet de *ſpecie facti*, hoc eſt, doceatur, huiuſmodi bona fuiſſe ablata, quia P. Laymannus fol. cit. 114. expreſsè dixit, *ad id ſolum Generales Commiſſarios Executionis Edicti Cæſarei attendere ſolere ac debere, num Prælati, ſeu Eccleſiaſtici (quod attinet ad Monaſteria & bona, quæ Imperio immediatè ſubiecta non ſunt) eorum poſſeſſionem tempore Tranſactionis Paſſauicæ habuerint nec ne.* ex quibus verbis clariſſimè patet, Eccleſiaſticis non incumbere onus, vt doceant bona Eccleſiaſtica iniuſtè fuiſſe occupata. Sed ſatis eſſe, oſtendere ſolam poſſeſſionem habitam tempore eiuſdem Tranſactionis.

246. Ad id verò, quod dicebatur, falſum eſſe, Edictum Cæſaris niti ſola *Pace Religionis*, eò quòd nitatur etiam Iure naturali, gentium & ſcripto, & præterea ſpolio; dico primò, nunquam negatum fuiſſe à P. Laymanno, reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum niti etiam Iure naturali, gentium, & ſcripto; nam quæcunque petitio reſtitutionis bonorum quorumcunque nititur his Iuribus. Negauit ergò cum illo Theologo, quem defendebat, niti ſpolio propriè dicto, vi cuius ſolum

poſſent

poſſent repeti bona Eccleſiaſtica per violentiam occupata, & non niſi poſt probatam eiuſmodi violentiam. Hoc autem non benè impugnat P. Romanus. nam ſolum probat, competere reſtitutionem ex ſpolio etiam latè impropriè ſumpto, in qua tamen re non benè ſibi conſtat. nam ſi contra hæreticos occupatores agendum eſſet ex ſpolio; magnum onus imponeretur Catholicis & Eccleſiaſticis, oſtendendi ſcilicet ſpoliationem ſiue occupationem iniuſtam anteceſſiſſe. Ex altera verò parte ſupra *Numero XCIV.* ex doctrina Maſcardi dicit, ſatis probatum eſſe de ſpolio eo ipſo, quòd appareat probatum de antiquiore poſſeſſione. dico ergò ſecundò, Iure aſſertum fuiſſe à P. Laymanno, Edictum Cæſareum non niti ſpolio, ſed *Pace Religionis*, cuius vi ſatis eſt conſtare, vt reuera notoriè conſtat, de poſſeſſione Monaſteriorum, de quibus agitur, habita à Monachis tempore Tranſactionis Paſſanienſis, & proindè P. Laymannum ſolidè ſuam ſententiam adſtruxiſſe, & cum illo Theologo, quem tuebatur, contrariam doctrinam Aſſerentis reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum niti ſolum ſpolio, falſitatis arguiſſe. An verò ex hac ſententia P. Laymanni ſequatur id, quod dicit P. Romanus, Imperatorem arguendam eſſe de iniuſto Proceſſu, niſi Edictum Cæſareum innitatur ſpolio, infra ſuo loco examinabimus.

THEORICA RESPONſionis ad Octauum Argumentum.

SVMMARIA.

247. *Arg. ductum ex eo, quod Monachi moderni non debeant dare pœnas pro delictis antiquorum, nimis inuidioſè propoſitum à P. Rom.*

248. *Non eſt par ratio Ordinum Relig. & Eccleſiæ, quoad Ius recuperandi bona Eccelſiaſtica.*

247. *Num. XCIX.* nimis inuidioſe hoc Argumentum proponitur à P. Romano, quaſi Auctor *Placidæ diſceptationis* ex illo Antecedente, *quod ſcilicet Ordines ipſi, id eſt, Monaſteriorum incolæ, multa per luxum, iniuriam, hæreſin, vendiderint, dilapidauerint, Eccleſiam Monaſterijs, templis, filijs ſpoliauerint, & ex Clero multi, ex Monachis plurimi hæreſeon fuerint Doctores,* inferre voluerit hanc Conſequentiam; *ergò iuſtiſſimum eſt, vt veluti indigni hodie Monachi arceantur à recipiendis Monaſterijs ſui Ordinis.* Quid enim hoc eſſet aliud, quàm totum Ordinem ſine culpa ſuo Iure, ſi quod habet, priuare, ac Dominio propter paucorum lapſum ante annos octoginta cum maxima temporum iniuria coniunctum? Nimis inquam; hæc inuidioſè dicuntur. nam Author *Placidæ diſceptationis* in Conſideratione primæ Rationis contrariæ Numero 8. expreſsè aſſerit, *Monachis, qui conſtantes fuerunt, Apoſtatarum multitudinem præiudicare non debere.* & Num.

Digitized by Google

& Num. IX. adhuc clarius ait, *licet vera ſint prædicta*, hoc eſt, *antiquos illos Monachos multa per luxum, &c. perdidiſſe; non tamen Ordines, qui refloruêre, à vinea cultura eſſe arcendos, imò vocandos, impellendos: quod ea nunc ſint tempora, vt Religioſi omnes, etiam Eremitarum abditiſſimi, in publicum prodire, & animas lucrari debeant.* Quid ergò voluit ille Author ea flagitia commemorando? cum ipſe tacuerit, meum diuinando ediſſerere non eſt, ſi quid tamen dicendum ſit; aio, voluiſſe illum tacitè innuere, inter Monaſteria fortè non deeſſe aliqua, quæ propter delictum Mandato Superiorum fuerint extincta, &, vt P. Romanus loqui ſolet, *Iure diſſoluta.* Sed in his non immoror, repeto ſolùm, quod toties dixi, totum Ordinem ſine culpâ non priuari ſuo Iure ac Dominio propter paucorum lapſum, quia totus Ordo in illa Monaſteria nullum Ius habet, nullum Dominium.

248. *Numero* C. Negat, plurimos ex Monachis à fide defeciſſe, & ait vix vnum Monaſterium aſſignari poſſe, in quo omnes defecerint: &, ſi idcirco veteribus Ordinibus reſtituenda Monaſteria non ſunt, quia aliqui ex illis prodierint hæretici; ait, multò minus reſtitui debere Eccleſiæ vniuerſali, ex qua longè plures prodiêre, nec eſſe cur ad Societatem trãsferantur, quæ pari morbo laboret.

Quot Monachi, vel monaſteria, quot Religioſi Ordinis cuiuſcunque, Superiore ſæculo, vel præſenti, à Catholica Religione deſciuerint, non eſt Religioſæ charitatis percenſere. quicquid ſit de hoc, dico, non eſſe parem rationem Eccleſiæ vniuerſalis & antiquorum Ordinum. quia, vt ſæpiùs dictum eſt, Eccleſia vniuerſalis, vtpote ſpoliata, habet *Ius & Actionem*, & Dominium omnium bonorum Eccleſiaſticorum; quæ non eſſe penes Ordines in communi toties demonſtratum eſt.

THEORICA RESPONſionis ad nonum Argumentum.

SVMMARIA.

249. *Intentio S. D. N.* VRBANI VIII. *de applicatione Monaſteriorum ad pios vſus.*

250. *Non eſt impoſtura dicere Rom. Pont. Intentionem fuiſſe, qualis aſſerta fuit à quodam Iureconſulto.*

251. *Qui ſatis erat informatus etiam de ſtatu Monaſteriorum.*

252. *Nec eidem fide detrahenda, cuius dictio adſtipulantur tot alia.*

253. *In tradendis Monaſterijs alijs quam antiquis Ordinibus, nullius tertij Ius tollitur.*

254. *Nemo negat, Sum. Pont. intentionem fuiſſe, vt etiam antiquis Ordinibus reſtituerentur.*

255. *Aſſeritur veritas Motus proprij Pontificis ſcripti ad ſuum Nuntium.*

249. *Placidæ Diſceptationis* Auctor, vt oſtenderet, antiquorum Ordinum Religioſos non habere *Ius & Actionem* vendi-

Digitized by Google

vendicandi ſibi Monaſteria è manibus hæreticorum accepta, vſus fuerat eo Argumento præter cætera, quod intentio S.D.N. Vrbani octaui & Sacræ Congregationis de propagāda fide ſit, vt omnia bona *extinctorum* Monaſteriorum in Germania ab hæreticis reſtituta, vel reſtituenda ad manus Ordinariorum deueniant, ac in depoſito apud illos retineantur: vt facta diligēti diſcuſsione, bona illorum Monaſteriorum, quæ commodè reſtaurari poterunt, ac celeri redintegratione Patriæ ad Catholicam Religionem inſeruire, ſuis Ordinibus in hunc finem tradantur: reliquorum verò Monaſteriorum bona ad dictum finem celeris reparationis Patriæ per ſuam Sanctitatē applicentur Scholis puerorum, Catholicis ac pijs Ludimagiſtris, Alumnatibus Adoleſcentium in fide, pietate, & literis inſtruendorum, præſertim nobiliū, ſeminarijs pro Parochis, ſuſtentationi Præconum verbi Dei, & Profeſſorum Controuerſiarum aliquibus Vniuerſitatibus excitandis, denique nonnullis vtriuſque ſexus Monaſterijs exſtruendis, quæ citò ædificari poſsint & inſtrui: qualia ſunt Capucinorum & Diſcalceatorum. Ex qua Intentione Summi Pontificis apparebat, illum, & Sacræ Congregationis Cardinales exiſtimare, recuperata Monaſteria non deberi tàm ſtricto Iure antiquis Ordinibus. Hic multa comminiſcitur Pat. Romanus.

250. *Num.* enim CI. imponit Auctori *Placidæ diſceptationis*, quòd vocauerit *pronunciantem* Pontificem: cùm tamen, quæ relata ſunt, ſint verba vnius Iuriſconſulti Romani. Sed immeritò. Verè enim illam eſſe intentionem Summi Pontificis & Sacræ Congregationis de propaganda fide negari non poteſt, vt mox patebit, cùm autem Romanus ille Iuriſconſultus rogatus, quid ea de re ſentiret, conſilium valde eruditum ſcripſerit, quis dicat, eum ignorare potuiſſe, quid à S. Congregatione & à Rom. Pontifice decretum fuerit?

251. *Num.* CII. ait, hunc ipſum Iuriſconſultum multa habere in eo Conſilio, ex quibus appareat, in multis malè fuiſſe informatum de Monaſterijs Germaniæ & eorum ſtatu. Quicquid ſit hac de re, illud certum eſt, multa eſſe Monaſteria ex recuperatis, ne dicam omnia, quæ animos complures *ſine vllá ſpe reſtaurationis* manſerunt, neq; poſſunt iam ſine ingēti ſumptu inſtaurari, & omnium illorum bona eſſe *Vacantia*, & Summi Pontificis diſpoſitioni ſubiecta.

252. *Num.* CIII. negat, eidem Iuriſconſulto fidem adhibendam eſſe circa Intentionem ſupra allatam Summi Pontificis, vtpotè Aduocato partis oppoſitæ. Vnde P. Romanus ſcire potuerit illum eſſe Aduocatum partis oppoſitæ, fateor me neſcire. verùm ſi illi fides adhibenda non eſt, ſaltem non eſt deneganda ipſi Sacræ Congregationi, quæ eam eſſe intentionē Vrbani octaui conteſtata eſt, non Cardinali Barberino, qui hoc ipſum ſuis literis ad Cardinalem Pallottum anno 1630. ſcriptis confirmauit, non deniq; FERDINANDO Secūdo, qui toties exercituū ſuorum Ducibus Fridlando & Tyllio mandauit, Monaſteria recuperata

Scholis, Collegijs Seminarijs, & Parochijs inſtituendis applicari, conſulto Rom. Pontifice.

253. *Num. CIV.* Licet verum eſſet Summi Pontificis Breue aliquod emanaſſe, quo ſupra relata intentio contineretur, aſſerit illud eſſe interpretandum, ſicut omnia Principum Reſcripta, ne velit auferre Ius alterius: & hoc ipſum confirmat *Num. CV.* Varijs teſtimonijs adductis, quibus poterat abſtinere, quis enim hoc vnquam negauit? negauimus ſolum, & negare pergimus, auferri Ius alterius, dum recuperata Monaſteria & ipſorum bona alijs traduntur quàm antiquis Ordinibus. quia demonſtratum eſt, neminem eſſe mortalium, qui in ijs aut ad ea vllum Ius habeat, vtpote bonis *Vacantibus*, & *vacantia*.

254. *Num. CVI. Tantum abeſt, vt Summus Pontifex habeat intentionem, quam retulimus*, inquit P. Romanus, *vt potius contrariam habeat, intendit enim, vt Monaſteria antiquis Ordinibus reſtituantur.* Probat ex literis Abbatis Sanct. Crucis Ordinis Ciſtercienſis ex Vrbe ſcriptis. Et *Numero CVII.* ait hanc Chriſti Vicarij intentionem, longè eſſe benigniorem & conformiorem Iuri, præſertim cùm Ordo Sancti Benedicti omnem ſuam operam offerat ad fundanda etiam Seminaria & Academias, pro Catholicæ Religionis bono. Nemo vnquam aſſeruit, Intẽtionem Summi Pontificis eſſe vt excludantur antiqui Ordines à Monaſterijs recuperatis recipiendis, hoc tantum negatur, non poſſe, aut non velle eundem Summum Pontificem eorundem Monaſteriorum bona, alijs pijs vſibus & Ordinibus tranſcribere.

255. *Num. CVIII.* Profert literas R. D. Henrici Præſidentis Vnionis Burſfeldenſis ad D. Abbatem Haſſefeldenſem, ex quibus appareret, S. D. N. Vrbanum Octauum literis Apoſtolicis ad ipſum tranſmiſſis ſeriò mandaſſe, vt Monaſteria, Eccleſias & Clauſtra recuperata ab Hæreticis, cùm omnibus ipſis adhærentibus ſubditis, Prædijs, Cenſibus, rurſus ad Vnionem & Ordinem reuocaret. Quibus ex verbis & ſupra allegatis literis Apoſtolicis infert poſtremò P. Romanus, *totum figmentum de Motu proprio* (de applicatione Monaſteriorum ad Scholas, Seminaria &c.) *corruere & in nihilum redigi.* Iniquam ſanè ſtatuit nobis Pat. Romanus conditionem, & nimis duram legem dicit. poſtulat, vt ſibi credamus de literis Pontificijs ſcriptis ad Præſidentem Vnionis Burſfeldenſis, deque Intentione conteſtata per Epiſtolam Abbatis S. Crucis. ipſe autem, ſi P. Laymannus aſſerat S. D. N. VRBANVM Octauum anno 1629. *ſcriptis literis Motu proprio mandaſſe Nuncio ſuo, nunc Cardinali Pallotto, vt Sanctitatis ſua mentem Auguſtiſſimo Cæſari intimaret, non omnia Monaſteria & Eccleſias, quæ recuperantur, eorundem Ordinum Religioſis reſtituenda eſſe, ſed eſſe ſequeſtranda in manibus Epiſcoporum, aliorumuè Eccleſiaſticorum Commiſſariorum manibus ponenda, donec Sanctitas ſua ſecundum Cæſarea Maieſtatis voluntatem, & præſentes Eccleſiarum Germanicarum neceſſitates de ijs diſponat ad Collegiorum, Seminariorum, Scholarum erectionem, Parochiarum Inſtaurationem &c.* ipſe,

&c. ipſe, inquam, P. Romanus, ſi hoc P. Laymannus aſſerat, clamat totum *eſſe figmentum, ſua ſponte corruere, & in nihilum redigi,* Immemor præclaræ illius parœmiæ *Prou. 20. c. v. 10. Pondus, & Pondus, menſura & menſura, vtrumq; abominabile apud Deum.*

SVMMA RESPONSIONUM P. Romani ad Argumenta P. Laymanni de I. quæſtione.

PAt. Romanus non magis feliciter tentauit conuellere Doctrinam P. Laymanni, quàm ſtabilierat ſuam.

Primò, non probauit (adhibitâ nouâ & parum firmâ diſtinctione Diſſolutionis Collegiorum, *Iuris*, & *Facti*, & adductis Doctorum teſtimonijs ad rem non facientibus) Titulos Abbatis, Prioris, &c. non eſſe *extinctos*, ſed ſolùm vacantes.

Secundò, multo minus ſatisfacere potuit Claſsicorum Auctorum doctrinis, aſſerentium, Bona Collegiorum per omnium mortem diſſolutorum, eſſe *vacantia*, & ſubiecta liberæ Principis in Rep. diſpoſitioni.

Tertiò, non ſoluit Argumenta demonſtrantia, Ordini Religioſo carenti capite, aut habenti Generalem & Viſitatores, ſed ſine prælatione in Ordine ad Bona temporalia (quales ſunt reſpectiuè Ordo S. Benedicti, Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis) demonſtrantia, inquam, nullum competere Dominium reſpectu bonorum poſſeſſorum à Monaſterijs particularibus.

Quartò, non oſtendit, Monachos, qui nunc viuunt, aut Ordinem in communi fuiſſe ſpoliatos, aut eſſe Hæredes vel ſucceſſores eorum, qui ſpoliati fuerunt.

Ex primo ergo ſequitur, Abbates & Monachos modernos nullum habere Ius vocis paſsiuæ ad Titulos, qui nulli ſunt, ſed extincti.

Ex ſecundo, eoſdem non maius habere Ius, vt à Sum. Pontifice Monaſteria recuperata ſibi aſsignentur, quàm quoſcumque alios Religioſos.

Ex tertio, eoſdem, aut ipſorũ Ordinem nullum habere Ius agendi, aut vllam Actionem vindicationis ad Monaſteria recipienda.

Ex quarto: non eſſe antiquorum Ordinum Monachos modernos vlla ratione reſtituendos ante omnia.

THEORICA
SECVNDÆ QVÆSTIONIS,

An Tranſlationi Monaſteriorum ad alios Ordines & pios vſus obſtet voluntas Fundatorum.

*T*Ametſi Religioſi, de quibus egimus quæſtione prima, nullum Ius *habeant ad Monaſteria eiuſdem Ordinis, quæ à Lutheranis Imperij ſtatibus, tanquam poſt Paſſauicam Tranſactionem malè occupata Cæſarea Authoritate recepta ſunt, dubitari nihilominus poteſt; an, & quales cauſæ ſint; ob quas applicari queant non ijs Ordinibus, pro quibus primitus fundata fuerunt; ſed alijs Ordinibus aut pijs cauſis. P. Laymannus primò ſentit, non obſtare quò minus applicentur, neque Ius antiquorum Ordinum, quod nullum habent; neque vltimas defunctorum voluntates & pias fundationes. deinde aſſerit, ſubeſſe iuſtiſſimam cauſam, cur eorundem Monaſteriorum bona impendantur in Scholis, Seminarijs, & Academijs, ac Collegijs inſtituendis. ex quibus prodire poßint deinceps probi & docti animarum Paſtores in tanta eorundem neceßitate, cui non facilè occurrere poßint Monachi vel ob paucitatem, vel ob Monaſteriorum diſtantiam à Ciuitatibus, vel ob vitæ genus ſolitarium, & Contemplationi potius, quàm Actioni addictum. ex quibus conſequens eſt, vt multò vtilius ex bonis eorūdem Monaſteriorum fundari poßint ac debeant Seminaria, Alumnatus, Collegia, & Academiæ regendæ ab ijs, qui pro Inſtituti ſui ratione in animarum ſalute procurāda operam nauant. P. Romanus ſentit prorſus contrarium: & tota hac ſecunda quæſtione reſpondere conatur Argumentis, & rationibus allatis à P. Laymanno. Quàm felici ſucceſſu, conſtabit ex omnium ipſius Reſponſionum examine.*

THEO-

THEORICA RESPONſionis ad Primum Argumentum.

Num. I. & II.

SVMMARIA.

1. *Supponit P. Laymannus nulli eſſe Ius ad Monaſteria recipienda, proinde facilè poſſe alijs vſibus applicari.*
2. *Contrarium ſupponit P. Romanus.*
3. *Sed falsò.*

1. Primum Argumentum, quod P. Romanus ſibi refutandum proponit, deſumptum eſt ex P. Laymanni quæſtione ſecunda *fol.* 19. quod eſt huiuſmodi. *Si Monaſterium aliquod vna cum Iuribus ſuis, alteri Monaſterio incorporatum eſſet, tunc illi auferri non poſſet, niſi poſtulante grauiſsima cauſa. At verò hic ſermo eſt de Monaſterijs, quorum profeſſi, & quicunque in eo ius ſeu Tituli, ſeu proprietatis aliquod habuerunt, omnes mortui ſunt, & ideò nemo hominum iam reperitur; qui ſibi Ius & Actionem vendicare poßit; ergò facilis cauſa ſufficit, vt Summus Pontifex tanquam ſupremus bonorum & Iurium Eccleſiaſticorum Diſpenſator, & Cæſar tanquam ſupremus Eccleſiarum Patronus, Monaſteria ad alium Ordinem, vel aliam piam cauſam applicet.*

2. P. Romanus non ſolum hoc primum, ſed omnia alia Argumenta ſimul cadere ait ex eo capite, quòd Monaſteria *non eſſe extincta, nec eorum bona Vacantia* ſolidè demonſtrauerit, & *Nu. I.* in ſumma negat, neminem iam eſſe *qui Actionem* pro Monaſterijs ſibi *Vindicare* poſsit, & conſequenter addit non ſufficere quamcunque cauſam, vt Ius antiquorum Ordinum auferri poſsit, ad quod requiruntur grauiſsimæ, ideoq; *Num. II.* langueſcere addit omnia oppoſita Argumenta, nec vllam vim habere.

3. Tota hæc Reſponſio, ſicut fundatur in falſa ſuppoſitione, ita etiam facilè corruit. Demonſtrauimus enim ſupra; Monaſteria eſſe *extincta*, eorum *bona Vacantia*; nullum neq; Monachis, neque Abbatibus, qui nunc ſunt, neque Ordini in communi competere dominium, aut quaſi dominium reſpectu eorũdem Monaſteriorum: ac proinde nullam *Actionem* ea ſibi *Vindicandi*, nec vllum eſſe ſpoliatum, qui reſtitui debeat. Ex his autem omnibus maniſeſtè infertur, non violatum iri Ius alterius, ſi non antiquis Ordinibus, ſed alteri piæ cauſæ applicentur, & ad id ſufficere honeſtam aliquam cauſam, nec requiri grauiſsimas.

THEORICA RESPONſionis ad Secundum Argumentum.

Num. III.

SVMMARIA.

4. *Magna penuria Sacerdotum in Germania, proinde neceſſaria Seminariorum erectio.*
5. *Offerunt ſe Abbates ad fundanda Seminaria.*

6. *Sed hoc non facit, vt Summ. Pontifex Monaſteria ad id applicare non poſſit.*
7. *Neque illud eſſet gratius Ordinarijs.*
8. *Ob. P. Rom. conformius eſſe Concil. Trident. ſi Abbates Seminaria fundent.*
9. *Contrarium demonſtratur.*
10. *Argum. P. Laymanni, quo probat, eſſe cauſas, cur aliqua Monaſteria applicentur Seminarijs & Collegijs, eò quod ſint extincta.*
11. 1. *Reſpondet P. Laym. nulla Monaſteria eſſe extincta.*
12. 2. *Argumentum eſſe in mala forma.*
13. *Oſtenditur eſſe in bona.*

4. Deſumpſit Pat. Romanus ſecundum hoc Argumentum ex citata quęſtione 2. P. Laymanni fol. 25. Vbi *notorium eſt*, inquit, *in tota Germania, quod & hoc tempore, & annis ſuperioribus maxima fuerit, & adhuc ſit penuria ſacerdotum, atque Curatorum: hac ipſa penuria indies maior futura eſt, niſi Seminaria ſtudioſorum in pluribus Germaniæ locis maximè Imperialibus Ciuitatibus inſtituantur, vnde boni ac docti ſacerdotes prodeant, id autem fieri non poſſe, manifeſtum eſt, niſi ex recuperatis bonis Eccleſiaſticis ſubſidium magnum proueniat.*

5. *Num. III.* P. Romanus non negat, eſſe hanc penuriam Sacerdotum & Curatorum animarum, cui omninò prouideri debeat, ſed aſſerit, imò pollicetur, allaboraturos Ordines ipſos Religioſos, neque commiſſuros, vt per ſuam negligentiam, vel vna pereat anima, & offerre ſe Abbates ad fundanda Seminaria Parochorum ad præſcriptum Concilij Tridentini, & addit, id longè vtilius & gratius locorum Ordinarijs cæteriſque Principibus quibuſcunque fore, quàm ſi tranſlatis integris Cœnobijs, Imperium Romanum, Diœceſani, alijq; ſuorum Iurium, & Ordines ipſi Patrimonij ſui, plurimum alias imminuti, iacturam patiantur.

6. A Religione, pietate, ac zelo Ordinum Religioſorum & DD. Abbatum hæc, quæ dicuntur, non eſſent aliena. Sed hic non quæritur, quid ipſi pro ſua Charitate, & erga Catholicam rem amore, facturi ſint: ſed quid de Iure communi facere liceat Romano Pontifici ac Cæſari, & quid debeat in præſentia fieri, vt certum ac ſtabile adhibeatur remedium ad Conſeruationem & Propagationem Orthodoxæ fidei. Pat. Laymannus conformans ſe intentioni Summi Pontificis & Sacræ Congregationis de fide propaganda, & Cæſaris plurimorumque grauiſsimorum Antiſtitum, ſenſit faciendas eſſe Seminariorum, Alumnatuum, Collegiorum fundationes. Quod Religioſi Ordines, quod DD. Abbates polliceantur, ſe erecturos eadem Seminaria, benè eſt, cur tamen legem dicere volunt Summo Pontifici, & Cæſari, vt, quod pro ſua ordinaria poteſtate poſſunt, precariò ab ipſis impetrare debeant?

7. Nam, quòd P. Romanus dicat, *vtilius & gratius futurum Ordinarijs cæteriſque Principibus*, ſi ipſimet Abbates Seminaria inſtituant, non abnuerem, ſi alius,

aliud, quā ipſe affirmaret; ſed mea ſententia, Ordinarij, ſi non magis, æquè ſaltem gratum habebunt, ſi ipſimet ſua Authoritate de Conſenſu Romani Pontificis Seminaria erigant. quòd verò additur de iactura Romani Imperij & Ordinariorum patienda in ſuis Iuribus, examinabitur infra ſuo loco. Qui ſint illi alij, qui ſuorum Iurium iacturam paterentur ex translatione Cœnobiorum, non poſſum diuinare. Denique, quod repetit de Ordinum Patrimonijs, exoletum eſt, confutatione non indiget.

8. Eodem *Num. verſ. quid quod.* oſtendit P. Romanus, fore, vt *propius accedatur ad mentem Apoſtolicæ Sedis, imò Spiritus Sancti aſſiſtentis in* Concil. Tridentino, *ſi Seminaria Parochorum fundentur à Prælatis Monaſteriorum.* Confirmat ex literis Clementis Octaui ſcriptis anno 1594. in quibus Cardinali Ludovvico Madrutio de latere Legato mandat, *vt Rodulpho Secundo Imperatori referat ſuam Sanctitatem confidere fore, vt Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Metropolitani & Prælati maiores reputantes ſecum quanti interſit his temporibus, veræ doctrinæ rationem haberi, adijciant animum ad bona Seminaria fundanda, in quibus vtiles Miniſtri educentur, ex quibus verbis*, inquit, P. Romanus, *colligimus, Spiritum Sanctum per Summum Pontificem & Vniuerſale Concil. Tridentinum loquentem, longè aliam viam, modum, ac rationem inſtituendi Seminaria inſpiraſſe, quàm ſit ea, quæ proponitur, vt Seminaria non inſtituantur, niſi cum ſuffocatione plurium Monaſteriorum, & Religioſorum Ordinum præiudicio.*

9. Ego verò me magnum piaculum admiſſurum non puto, ſi dixero, proximè acceſſuros nos ad mentem Sedis Apoſtolicæ, & ipſius Spiritus Sancti in Oecumenico Concilio aſſiſtentis, aſſerendo, Seminaria fundanda eſſe de bonis Eccleſiaſticis Vacantibus, ſi enim in Concilio Tridentino ſtatutum fuit *ſeſſ. 23. c. 18. de Reform.* vt ab Archiepiſcopis, Epiſcopis & Prælatis Seminaria fundentur, etiam cum detractione aliqua prouentuum ſuorum beneficiorum, adeò vt de fructibus menſæ Epiſcopalis, & Capituli Eccleſiæ Cathedralis, & omnium omninò beneficiorum, quæ conferuntur in Titulum, portio aliqua contribui deberet, quod ſanè non fieret ſine aliquo detrimento obtinentium beneficia; quis non iudicet prudenter, multò libentius Sedem Apoſtolicam & Concilij Tridentini Patres decreturos fuiſſe, vt Seminaria inſtituerentur ex bonis Eccleſiaſticis *Vacantibus*, ſine vllius prorſus præiudicio, ſi aut eo tempore fuiſſent in Eccleſia eiuſmodi bona, aut ſuſpicari potuiſſent aliquando non defutura? *At*, inquit, P. Romanus, *ſi hoc modo Seminaria erigantur, plura ſuffocantur Monaſteria, & Religioſi Ordines magnum præiudicium accipiunt.* Scilicet, ſuffocari poſſunt Monaſteria, quæ ante octoginta annos exſpirarunt, & præiudicium afferri, vbi nullum eſt Ius, quod lædatur.

10. Ibidem *verſu. at iam lectori.* Argutulus videri vult Pat. Romanus, & oſtendere, P. Layman. pro ſyllogiſmo, para-

paralogiſmum attuliſſe *Iuſt. Defenſ. folio 431.* vbi ita argumentabatur, ex ſententia illius Auctoris, quem defendendum ſuſceperat. *Si temporum, ac rerum circumſtantiæ, & Status Religionis in Germania conſideretur, manifeſtum eſt ijs aſsignari poſſe ac debere Monaſteria ſaltem aliqua ex ijs, quæ extincta & vacantia ſunt, atque ab Acatholicis recuperantur, qui cum priuato propriæ perfectionis ſtudio, ſalutis etiam curam alienæ ex propriæ vocationis præſcripto ſuſcipiunt: qui hæreſes profligare, fidem, pietatemque reſtituere, Religionemque propagare prompti ſemper ſunt ac parati: Atqui tales ſunt Religioſi Ordinum Mendicantium, adeoq; PP. Societatis, qui ex propriæ vocationis à Romanis Pontificibus approbato, & ſæpius confirmato Inſtituto, infidelium Conuerſioni, hæreſum extirpationi, fidei Catholicæ propagationi, Iuuentutis, aliorumque omnium fidelium Chriſtianæ Inſtructioni ſe totos impendunt, & tales quoque ſunt animarum Ordinarij Paſtores ſæculares, quibus conſiderato fine acceдunt Alumni & Clerici in Seminarijs, quippè qui ad id exercentur ac diſponuntur, vt ex ijs annis ſingulis multi ad Eccleſias iuuandas, & fidei Catholicæ hoſtes profligandos prodire poſsint. Ergò his Monaſteria ſaltem aliqua aſsignari poſſunt, ac debent.*

11. Dupliciter reſpondet P. Romanus, primum concedendo conſequens, id eſt, Monaſteria, ſaltem aliqua, ex ijs, quæ recuperantur atque *extincta* ſunt, aſsignari poſſe ac debere Collegijs, Seminarijs &c. ſubſumit autem: *Atqui nulla Monaſteria quæ recuperantur extincta ſunt, ergò nulla aſsignari poſſunt aut debent.* Verùm cùm hæc ſubſumptio ex ſupradictis ſit falſa, & omnia Monaſteria verè dudum *extincta* fuerint, hæc reſponſio alia ſolutione non indiget.

12. Secundò ergò reſpondet, ſyllogiſmum hunc eſſe in prima figura, eò quod medius terminus ſemel ſubijciatur, & ſemel prædicetur, medius autem terminus eſt totum illud complexum *ijs, qui cum priuato propriæ perfectionis ſtudio, ſalutis etiam curam alienæ, ex proprio vocationis præſcripto ſuſcipiunt,* &c. hoc poſito, ſubdit. *vel maior propoſitio ſumitur cum particula excluſiua (vt ſumi debere docet ipſemet Opponens fol. 436.) ita vt ſenſus ſit. ijs,* & non alijs aſſignanda ſunt Monaſteria, qui &c. *& ſic ſumpta propoſitio ab ipſomet Opponente ſæpiſsimè negatur. Fatetur enim, quædam duntaxat Virginum, & obſcuriora Virorum Monaſteria ad Societatem* &c. *transferenda, præcipua autem & illuſtriora alijs, id eſt, antiquis Ordinibus. Vel illa maior propoſitio ſumitur ſine particula excluſiua, & tunc erit tantummodò particularis affirmatiua, ſicut etiam eſt minor, & concluſio. ex puris autem particularibus in prima figura affirmatiuis, nihil concludi vt formæ nôrunt etiam ij qui ſolum à primo limine Dialecticam ſalutarunt.*

13. Reſpondeo, maiorem propoſitionem debere ſumi ſine particula excluſiua, ita vt ſenſus ſit. *Iis aſsignari poſſunt ac debent Monaſteria, qui cum priuata perfectionis ſtudio* &c. *ſalutis alienæ curam habent.* Neque hoc eſt contra mentem P. Laymanni, ille enim loco ſupra citato, ſolum dicit, debere ſumi cum particula excluſiua, ſi ſit inferenda hęc Concluſio, *ergo ſolum Patribus Societatis, Collegijs, & Seminarijs aſsignanda ſunt Monaſteria,* (quæ Concluſio longe diuerſa

uerſa eſt ab ea, quam P. Laym. inferre vult) & nō poſſet legitimè inferri, niſi maior propoſitio ſumeretur cum particula excluſiua, *iis & non aliis ſunt aſſignanda*, &c. Secūdò dico falſum eſſe, illā propoſitionē maiorem, niſi ſumatur cum particula excluſiua, eſſe particularem, & minus idoneam ad inferendam Concluſionem intentam, vt patet in hoc ſyllogiſmo: *Illa animalia, quæ ſunt rationalia, ſunt ſenſitiua; Petrus & Paulus ſunt animalia rationalia, ergò ſunt ſenſitiua*; nam illa Propoſitio maior æquiualet huic; *Omnia animalia rationalia ſunt ſenſitiua*. par[illegible]one in noſtro caſu, non eſt dicend[illegible] maiorem propoſitionem eſſe particularem, quia veriſſimum eſt, poſſe aſſignari Monaſteria omnibus illis, qui cum ſalutis propriæ cura habent curam alienæ, & ſanè haud ſcio, an P. Romanus negaturus ſit Conſequentiam huius ſyllogiſmi. *Iis, qui in Ordine S. Benedicti ſunt Sacerdotes, ſi obſeruauerint Dei mandata, & propriā regulā, & perſeuerauerint vſq; in finem; debetur regnum Cælorum. P. Rom. eſt Sacerdos Benedictinus, (& ſuppono cum Dei gratia illum ſeruaturum eſſe omnia Dei mandata, & propriam regulam, cum finali perſeuerantia) ergò P. Romano debetur regnum Cælorum.* Ipſe viderit, an negare velit, quia in maiori non eſt poſita particula excluſiua, *Iis qui* in Ordine Sancti Benedicti ſunt Sacerdotes, debetur, *& non aliis*, regnum Cælorum.

THEORICA RESPONSIONIS ad tertium Argumentum.

Num. IV. vſque IX.

SVMMARIA.

14. *Plurima Monaſteria translata in Germania fuerunt de vno ad alium Ordinem. ergò & nunc poſſunt.*
15. *Ac licet eſſent plura enumeratis in aliis Prouinciis, arg. tamen haberet maiorem vim.* C.c.20.
16. *Et, ſi adhuc plura in Germania, arg. eò fortius.* C.c.20.
17. *Ob. P. Rom. hanc translationem tendere ad ruinam Ordinum antiquorum, ſed non rectè obiicit.*
18. *Licet Monaſteria translata fuerint à Monialibus ad Monachos, vel contrà, arg. probat poſſe transferri.*
19. *Ob. P. Rom. licet Eccleſiæ ſeculares poſſint mutari in Regulares; non poſſe Regulares in ſeculares.*
20. *Sed datur caſus in quo poſſit transferri.* C.c.20.
21. *Ob. rurſus, non eſſe conſuetudinem vt Monaſteria transferantur dum ſunt viui aliqui eiuſdem Ordinis.*
22. *Iſta negatiua difficilè probari poteſt, & conſuetudo quod Monaſteria transferantur in paucioribus circumſtantiis.*
23. *S. Bonauent. patrocinatur Societati contra P. Rom.*
24. *Cur ad Fratres Minores Monaſteria aliorum Ordinum tenuia translata fuerint.*

Digitized by Google

25. *Societas, ſi qua Monaſteria accepit, malis artibus non accepit.*

26. *Non maior eſt ratio cur Monaſteria transferre poſsint ad Fratres Minores, quàm ad Societatem.*

28. *Obijcitur praxis Germaniæ, in qua mortuis omnibus Monachis alij eiuſdem Ordinis ſubrogati ſunt.*

29. *Concedi poteſt. non tamen infertur id neceſſariò ita fieri debuiſſe; ibid. & praxis quoque eſt, vt ad alios Ordines transferantur, omnibus non demortuis, ibid.*

30. *Ob. Sancti Gregorij epiſtola, ſed extra rem.*

31. *Ob. P. Rom. non eſſe attendendum quid factum ſit, ſed quid ſit faciendũ circa Monaſteriorum translationes, periculosè dictum.*

32. *Obijcit, multa fieri per abſolutam poteſtatem, ſed ea in hoc caſu non eſt opus.*

33. *Prolixus Catalogus Monaſteriorum translatorum iuſtificat poteſtatem transferendi.*

14. Hoc Argumentum deſumptum fuit ex Patris Laymanni *Iuſt. Defenſ. fol.* 153. & ex Appendice folio 10. vbi longus texitur Catalogus Monaſteriorum ab vno ad alium Ordinem tranſlatorum, & Argumenti vis conſiſtit in eo; quia, cum praxis Eccleſiæ habeat, vt plurima Monaſteria, quæ verbi gratia, pro Monialibus fundata fuerant, vel pro Canonicis Regularibus, legitima Authoritate tranſlata fuerint ad Monachos, & contra, fundata pro Monachis, donata fuerint alijs Religioſis, vel Epiſcopis, vel Clericis ſæcularibus; conſequenter dici debet, hoc fieri licitè poſſe etiam in noſtro caſu.

15. Pater Romanus *Num. IV.* reſpondet primò, in eo Catalogo numerari plura Cœnobia & Monaſteria ex Italia, Gallia, Hiſpania, & Hybernia, & non ſolùm quæ ſunt in Germania. At hoc maiorem vim addit Argumento, quod ducitur ex praxi, ſi enim non ſolùm in Germania m[illegible]a Monaſteria ſunt tranſlata ab v[illegible] alium Ordinem; ſed etiam in alijs regnis & prouincijs; argumento eſt, eſſe ferè ſenſum generis humani, eiuſmodi Tranſlationes licitè fieri poſſe.

16. Secundò reſpondet, potuiſſe in Catalogo poni multò plura Monaſteria per vtramque Germaniam, quæ ab antiquis Ordinibus ad Societatem tranſlata fuêre. Lepidè reſpondet Pater Laymannus, non aliud hinc ſequi, niſi quod Catalogus ille Monaſteriorum tranſlatorum longior, & idcircò ad Intentionem ſuam oſtendendam efficacior eſſe potuiſſet.

17. Tertiò reſpondet, non rectè inferri, poſſe ac debere Monaſteria recuperata transferri ad alios Ordines, Collegia, Seminaria, &c. eò quòd tam multa huc vſque tranſlata fuerint. nam huiuſmodi ratio Argumentandi tenderet paulatim ad omnimodam conſumptionem Ordinum antiquorum; & potiùs inferri

ferri deberet, vt reſiduis parcatur, ſi tam multa fuêre translata. Imò verò rectè infertur, poſſe transferri licitè, quia quod tam ſæpè factum eſt, non poteſt, niſi temerè, affirmari factum eſſe illicitè; & Praxis allata non præiudicat Monaſterijs, quæ nunc vigent ac florent, & ſtando in Iure communi ſine iniuria transferri non poſſunt. itaque vanus eſt timor P. Romani, & nos ſemper locuti ſumus in caſu, quo Monaſteria ſint *extincta abſque ſpe reſtaurationis.*

18. *Num. V.* repetit, in eo Catalogo eſſe ſaltem quinquaginta ſex Monaſteria, quæ computantur inter Germaniæ Monaſteria translata, quorum tamen nullum translatum eſt; ſed vel ſunt extra Germaniam, vel manſerunt in vno eodemque Ordine, facta translatione tantum ab vno ſexu ad alterum, nulla facta alienatione ab ipſo Ordine, vel demum ex Eccleſijs ſæcularibus factæ ſunt Regulares, quod de Iure communi poteſt; imò ex Panormitano id poſſe facere Epiſcopum cum cauſa, vel inuitis Clericis ſæcularibus. Licet Monaſteria translata fuerint in eodem Ordine, ab vno ſexu ad alterum; tamen Argumentum vim ſuam retinet; quia, vt ſupra demonſtratum eſt, in his Ordinibus, de quorum Monaſterijs agitur, ſingula habent ſua bona diuiſa & ſeparata, nec vllum Monaſterium habet quicquam Iuris in aliud reſpectu bonorum, non magis quàm vna Eccleſia Collegiata huius Diæceſeos in bonis alterius, adeoque cenſetur, fuiſſe facta alienatio ab hoc Ordine ſumpto in particulari, hoc eſt, ab hoc Conuentu ad alium in particulari. Quod dicitur, in eo Catalogo numerari aliquas Eccleſias ſæculares factas Regulares, tantundem eſt Patri Laymanno, quia inde quoque ducit Argumentum, ſi Collegiata ex ſæculari poteſt fieri Regularis; ergò etiam Regularis poteſt fieri ſæcularis, quanquam hoc impugnetur à Patre Romano num. ſequenti.

19. *Numero* ergò *VI.* negat hanc Conſequentiam. *ergò pari modo è contrario Regulares Eccleſiæ poſſunt mutari in ſæculares*; quia Sacri Canones æquiparant Regulares perſonas & Eccleſias eorundem ex vna, & ſæculares Clericos, eorumque Eccleſias ex altera parte. Vndè ſicut ſæcularis Clericus de Iure poteſt fieri Religioſus, & non viceuerſa; ſic Eccleſiæ ſæculares poſſunt mutari in Regulares, non autem Regulares in ſæculares.

20. Fallitur Pater Romanus, ſi putat, Patrem Laymannum exiſtimaſſe parem omninò eſſe rationem quoad mutationem, Eccleſiarum ſæcularium & Regularium, nam expreſsè ſenſit contrarium. docet enim, inter Collegia Regularia, & Collegia ſæcularia hoc diſcrimen eſſe, quod Regularia, v. g. Monaſteria abſque Sedis Apoſto-

licæ licentia non poſſint conuerti in habitacula ſeu Collegia Clericorum Sæcularium *ex c. quæ ſemel.* 19. q. 3. At verò ex Collegijs Sæcularium Clericorum fieri poſſunt Regularia, idque in duobus caſibus. Primus eſt: Si ipſi Clerici (quod olim non infrequens erat) Religioſam Profeſſionem edere velint, & ego teſtari poſſum, ſemel fuiſſe factum ſæculo ſuperiore, cum integra Congregatio Clericorum quorundam ſæcularium Brixiæ inſtituta, recepta fuit in noſtra Societate. Secundus eſt, ſi Clericorum Collegium, collapſa penitus diſciplina, reformari facilè non poſſit, multoque magis; ſi per mortem omnium Collegium *extinctum* ſit: poteſt enim in eo Epiſcopus Regulares inſtituere, *Argum. cap. ad audientiam de Eccleſ. ædific.* ſolum ergò docuit Pater Laymannus, ſicut poteſt dari caſus, quo Eccleſia ſæcularis fiat Regularis; ita dari poſſe, in quo Regularis legitima Auctoritate mutetur in ſæcularem. Et ſanè caſus, in quo ſumus, non eſt diſpar; cùm enim Monaſteria recuperata ſint *extincta*, ac proinde de Iure communi ſub libera diſpoſitione Summi Pontificis & Imperatoris, illius vt Supremi Adminiſtratoris, huius vt Patroni; ita facilè ac licitè poſſunt Monaſteria donari Clericis, ſicut Eccleſiæ ſæculares tradi Monachis.

21. Eodem *numero LX.* verſu *nam non eſt.* ait Pater Romanus, non eſſe Eccleſiæ conſuetudinem, vt Monaſteria propter mortem omnium vel fortuitos caſus *Vacantia*, ad alium Ordinem transferantur, quando idem Ordo ea repetit, & offert ſe ad omne id præſtandum, quod Eccleſiæ Prælatis viſum fuerit pro fidei Catholicæ incremento neceſſarium & vtiliſſimum.

22. Aueo ſanè cognoſcere ex Patre Romano, vndè ſciat non eſſe Eccleſiæ illam conſuetudinem; & oportuiſſet illum oſtendere, eſſe in Eccleſia conſuetudinem, vt Monaſteria ob mortem omnium vel fortuitos caſus vacantia non transferantur ad alium Ordinem, quod nunquam faciet. Doctores enim, dum diſputant, quot actus requirantur ad inducendam conſuetudinem, vt dici poſſit *Actuum frequentia*; communiter ſtatuunt, duos ſaltem requiri & ſufficere, ſi ſint notorij, & lapſum ſit decennium. ita Bartolus *in l. de quibus ff de leg. in 2. lectura num. 15. Gloſſa fin. in l. 3. C. de Epiſcop. audient.* Oſtendat, ſi poteſt, Pater Romanus, vel ſemel contigiſſe, vt Monaſterium diſſolutum per omnium mortem in his circumſtantijs, in quibus nunc ſumus: quod ſcilicet Monaſterium per complures annos fuerit *abſque ſpe reſtaurationis*, & ipſius bona *Vacantia*, & ſub libera poteſtate Prælatorum, & quod eodem tempore eſſet ſumma neceſſitas prouidendi de Curatoribus animarum, nec facilè alia ſuppeteret ratio; & nihilominus Eccleſiæ Prælati, eò quod Monachi eiuſdem Ordinis illud repeterent Monaſterium, ſeque offerren,

ferrent ad præſtandum totum id, quod iiſdem Prælatis videretur, iiſdem Monachis cenſuerint de Iure debere idem Monaſterium aſſignari. Vbi verò Pater Romanus id oſtenderit, fruſtra tamen laborauerit, quia non vnum, aut alterum, ſed ſexcenta exempla proferri poſſunt, quibus demonſtretur, Monaſteria vnius Ordinis tranſlata fuiſſe ad Religioſos alterius, vel Clericos, & quidem paucioribus concurrentibus circumſtantijs, quàm quæ hiſce temporibus concurrant. Ne longè abeamus, quot Monaſteria antiquorum Ordinum, vel ſponte, vel rogatu Principum, etiam ſæcularium, Authoritate Cæſaris ac Summi Pontificis ad alios Ordines aliosque vſus pios toto hoc decennio tranſlata ſunt? vnum, vel alterum fuiſſet ſatis ex Doctrina Iuriſcõſultorum, vt diceremus, inductam iam eſſe conſuetudinem in Eccleſia, vt bona *vacantia* Monaſteriorum *extinctorum* poſſint ab Eccleſiæ Prælatis alijs pijs vſibus applicari.

23. Ibidem, verſu. *ex iſtis ſoluitur.* Contendit, ſolui obiectionem, quæ allata fuerat à P. Laymanno. *Iuſt. Defen fol.* 142. ex verbis S. Bonauenturæ, ex quibus apparet, antiquam eſſe praxin in Eccleſia, vt Monaſteria vnius Ordinis alteri aſcribantur. Obijciebatur Fratribus Minoribus, *quod in pluribus locis alios Religioſos, vel Clericos eieciſſent violenter de proprijs Eccleſijs, vel Monaſterijs, & ibidem eis inuitis ſibi manſionem feciſſent.* Idem obijcitur Societati à P. Romano, qui hoc loco referens verba S. Bonauenturæ, non contentus dixiſſe, id factum *per violentiam*, addit de ſuo, vt ſugillet Societatem, *etiam per malas informationes, vel minas.* Audiamus ergò & ſuo, & Societatis Ordini patrocinantem S. Bonauenturam in *Apologia quaſt* II: *Vbicunque*, inquit, *hoc factum eſt, non eſt factum per Fratrum Violentiam*; (addo ego, non per Societatis malas informationes, vel minas). *ſed per Epiſcopum loci, vel ex iuſſu D. Papæ* (adde quod, ad Societatem pertinet, commendatione Principum, tam Eccleſiaſticorum, quàm ſæcularium, & Authoritate imprimis Cæſaris, quibus diuturno experimento Sociorum opera in propaganda Catholica Fide probata eſt) *qui intelligens, Clericos illos, vel Religioſos ibi minus honeſtè ſe gerere, vel ad tantam paupertatem redactos eſſe, quod diuinum ſeruitium ibi ita eſſet delapſum, quod per ipſos non erat ſpes Reſtaurationis, Authoritate Apoſtolica mandauit illos alibi locari, aſſignatis ſibi certis redditibus, vnde poſſent commodè ſuſtentari; & Fratres noſtros ibi habitare, & diuina officia celebrare. Cùm ad ipſum ſpectet de omnibus locis Religioſis ordinare, vt Sacra ibi Religio inſtauretur, ſiue per illius Ordinis perſonas, ſiue per alias alterius Ordinis, ſicuti viderit expedire.* Hactenus S. Bonauentura; qui, ſi pro Societate debuiſſet hoc tempore Apologiam ſcribere; ne verbum quidem addere potuiſſet. Et nihilominus P. Romanus S. hunc Doctorem nihil quod P. Laymanni cauſæ in materia Tranſlationis Monaſteriorum patrocinetur ſcripſiſſe, confidentiſſimè affirmat. Sed cur affirmet, audiamus.

24. Primò ait, *certum eſſe, Ordinem*

Mendicantium S. Franciſci in opulenta S. Benedicti patrimonia nunquam intraſſe: ſed nonnulla ad paupertatem redacta legitimè accepiſſe. Quid mirum? ille Ordo altiſſimam profitetur paupertatem, & pro ſui Inſtituti ratione non indigebat, niſi Eccleſia & Monaſterio. Collegia Societatis iuſtis de cauſis toties Apoſtolicæ Sedis Authoritate approbatis, ad tot Profeſſorum litterarũ & Studioſorum ſuſtentationem, indigent annuis prouentibus ac redditibus, & magnoperè miror tacitè hic exprobari Societati, quaſi opulenta S. Benedicti patrimonia intrare cupiat. cùm ipſemet fateatur, in hoc negotio tranſlationum Monaſteriorum ſemper actum fuiſſe de transferendis *Monaſterijs obſcurioribus, & minoris momenti.* Quid autem ſibi velit P. Romanus, cùm ait, Fratres Minores Monaſteria nonnulla *legitimè accepiſſe,* non intelligo, niſi fortè putet, ſi qua Monaſteria Societati tradita ſint, Cæſaris ac Pontificis Auctoritate *illegitimè* tradita eſſe.

25. Secundò fortè dicet, quod ſupra indicaui, à Societate Monaſteria impetrata fuiſſe *per malas informationes vel minus.* Scilicet, hæ Tranſlationes oſcitanter fiunt. Romanus Pontifex, vbi poſtulantium precibus annuit, pro facienda vnione, & incorporatione Eccleſiarum ſcribit ad ſuos Nuncios in Prouincijs commorantes, vel ad alios Eccleſiaſticos Prælatos, vt diligenter ſingula cognoſcant, proceſſibus legitimè inſtitutis, inductis teſtibus, productis publicis documentis, vtque ſi omnibus diligentiſſimè examinatis ea, quæ in ſupplicatione narrata ſunt, veritate niti compererint; tum demum vniant, incorporent, &c. Eccleſias aut Monaſteria, pro quibus fuerit ſupplicatum.

Iam verò minæ Cæſarem credo, aut Pontificem cogere potuerunt, vt Societati aliqua Monaſteria traderent.

26. Tertiò fortè Iure factum putat, vt ad Fratres Minores aliqua Monaſteria transferrentur, quia hac ratione licet receſſum fuerit à perſonis Ordinis, tamen non recedebatur à forma Cultus Diuini, vel diſciplina Clauſtrali, & fundationi quantum erat poſſibile, ſatisfiebat. Hoc quod dicit, contra Tranſlationes factas, aut faciendas, contra Societatem nullam habet vim, niſi forte P. Romanus putet, in Religione Fratrum Minorum ſeruari formam cultus diuini, & diſciplinam Clauſtralem, non autem in Religione Societatis, equidem inter has duas Religiones nullum aliud notabile diſcrimen inuenio, quod pertineat ad formam Diuini Cultus, niſi quod Ordo Minorum addictus eſt Choro; Societas non item. Si id tanti eſt P. Romano; non deerunt rationes, quibus illi ſatisfiat; ſed alio loco. Maiorem vim ipſius obiectio habere poſſet contra Tranſlationes factas, vel faciendas ad Seminaria & Vniuerſitates, vel Academias inſtituendas; ſed neque in his vllum haber pondus, vt fusè infra oſtendemus, vbi erit ſermo de mutatione vltimarum voluntatum & piarum fundationum.

27. Sed

27. Sed quid reſpondet P. Romanus ad Argumenta multiplicia, quæ ex allatis verbis S. Bonauenturæ elici poſſunt pro Tranſlationibus Monaſteriorum ad alios Ordines? Primò ex illis conſtat, etiam in caſu, quo aliqui Monachi ſupereſſent in Monaſterio ad paupertatem redacto, & conſequenter Monaſterium non eſſet *extinctum*, ſed Tituli ſolum *vacarent*, & conſequenter Iura & bona non eſſent *vacantia*, fuiſſe factam Tranſlationem ad alium Ordinem: Quantò igitur facilius poteſt fieri in caſu, quo Monaſterium & Tituli ſint *extincti*? Secundò ſunt tranſlata ad alium Ordinem Monaſteria, in quibus minus honeſtè Monachi ſe gerebant. Cur non ſunt reformata per Monachos eiuſdem Ordinis, vt P. Romanus tam acriter contendit in Quæſtione prima? An fortè totus Ordo corruptus erat? Tertiò ait S. Bonauentura, ad Romanum Pontificem ſpectare de omnibus locis Religioſis ordinare, vt ſacra ibi Religio inſtauretur, ſiue per illius Ordinis perſonas, ſiue per alias *alterius Ordinis*, ſicuti viderit expedire. An tantus Doctor ignarus erat illorum Canonum, quibus P. Romanus tam ſeuerè prohiberi exiſtimat reformationes Monaſteriorum per *alterius Ordinis* Religioſos?

28. *Numero LXX.* inductione multiplici demonſtrat, contrariam praxin huc vſque in Germania viguiſſe, vt ſcilicet mortuis omnibus de Collegio, alij eiuſdem Ordinis per proximos Superiores & locorum Ordinarios fuerint ſubrogati. Id autem vel illicitè factum, vel Eccleſiæ noxium, vel contrarium eſſe libertati, aut conſuetudini Eccleſiaſticæ, vel Iuri communi, vel denique Summorum Pontificum, aut Cæſarum intentioni neminem ait ſine temeritate & iuſtitiæ contemptu dicere poſſe.

29. Aſſentior. ita prorſus eſt. nec vllus hactenus inuentus fuit, qui affirmauerit, non poſſe, niſi illicitè, vel cum Eccleſiæ detrimento, vel contra conſuetudinem, aut Ius commune, aſſignari aliquod Monaſterium antiquis Ordinibus, imò illi, quos P. Romanus tantoperè inſectatur, contendunt, ſolùm aliqua Monaſteria Virginum, & quædam obſcuriora Virorum debere applicari Fundationibus Collegiorum, Paræciarum, Seminariorum, &c. & reliqua omnia antiquis Ordinibus. Cæterùm ſi ſua inductione P. Romanus exiſtimat, probari praxin ſubrogandi in Monaſterijs ſolutis per omnium mortem Religioſos eiuſdem Ordinis; cur negat confirmari etiam praxin ſubſtituendi perſonas diuerſi Ordinis, cùm toties id ab Eccleſiæ Prælatis factum fuerit? Adde quòd in caſibus, quos P. Romanus adducit, erat *ſpes celeris reſtaurationis* Monaſteriorum; præſtò enim erant Monachi eiuſdem Ordinis, qui ex alijs locis in Monaſteria illa deſolata immigrare facilè poſſent; adeoque Tituli, Prælaturæ, Abbatiæ, Præpoſituræ, &c. non tam *extincta* eſſe, quàm *dormire* videbantur. At Monaſteria, de quibus nos agimus, per octoginta ferè annos *ſine vlla ſpe reſtaurationis* manſerunt, & Tituli prorſus fuerunt *exti*[illegible]

29. Eo

naſteria Tranſlata ſunt, nec ipſe demonſtrauit, cuiquam eſſe factam iniuriam; cur etiam nunc aliqua tranſferri non poſſunt? Mitto quæ ſcurriliter addit de Cardinalatus, aut Epiſcopatus dignitate, & de nuptijs P. Laymanni iam ſenis. nam ſine dubio Scioppiana ſunt. Hoc ſatis eſt, quod ex illo tam prolixo Catalogo demonſtretur, poſſe etiam nunc aliquas Monaſteriorum Tranſlationes fieri, imò etiam debere, ſuppoſita tanta neceſſitate prouidendi, & nunc, & inpoſterum de bonis Curatoribus Animarum. Prætereo etiam quod ait, Summum Pontificem plerumque, imò ſæpiſſimè precum inſtantia vinci, ac penitus decipi, & quædam Monaſteria Ordinis S. Benedicti obreptitiè & per falſa narrata ad Sæculares Canonicos tranſlata fuiſſe. Et antiquas Tranſlationes factas legitimis de cauſis, nõ oſtendere, nunc etiam legitimè fieri poſſe, nec rectè argumentari licere ab Extinctione Humiliatorum, & Ieſuitiſſarum ad Extinctionem Ieſuitarum, nam Romanus Pontifex in hoc negotio Tranſlationum, vt dixi, non eſt tam incurioſus, quàm P. Romanus putat: Trithemij teſtimonium deplorantis plura Monaſteria obreptitiè & per falſa narrata ad ſæculares Canonicos tranſlata fuiſſe, rectiſſimè probat, id poſſe fieri à Romano Pontifice, de qua re noſtra eſt cõtrouerſia; cum is ſuppoſita veritate narratorum, iudicauerit, ſe poſſe validè ac licitè eiuſmodi Monaſteriorũ tranſlationes facere: neque P. Laymannus cenſendus eſt aliam ob cauſam in Catalago Tranſlationum poſuiſſe nonnullas, quas obreptitias agnoſcit ex ipſo Trithemio in *Iuſt. Defenſ.* fol. 467. niſi vt doceret, Papam agnoſcere in ſe hanc transferendi poteſtatem; & fallitur P. Romanus, ſi ſuſpicatur P. Laymannum in eo Catalogo voluiſſe inualidas tranſlationes pro veris obtrudere. Alia quæſtio eſt, quænam ſint iuſtæ transferendi cauſſæ, de qua nunc non diſputo. ſolum dico, an ſint hoc tempore legitimæ cauſæ transferendi Monaſteria ad alios Ordines, quæ olim fuerunt, non eſſe meum, aut P. Romani decernere; ſed vterque venerari debemus Iudicium Cæſaris & Summi Pontificis, qui transferenda eſſe toties cenſuerunt.

THEORICA RESPONſionis ad Quartum Argumentum.

Num. IX. vſque ad XIII.

SVMMARIA.

34. *Cum Parochiæ ad Monaſteria tranſlata fuerint, Monaſteria ad Parochias transferri poſſunt.*
35. *Obijcit pari ratione probari, quodlibet Collegium Societatis transferri poſſe.*
36. *Falſum. quia Collegia non poſſunt nunc transferri, niſi de plenitudine poteſtatis.*
37. *Quod verò Parochiæ tranſlatæ fuerint ad exercendam hoſpitalitatem,*
38. *Non obſtat, quia ſatis eſt, fuiſſe tranſlatas.*

V 39. Obijcit

39. *Obijcit licuiſſe Parochis dare ſuarum Parochiarum reditus ac decimas Monachis ad exercēdam hoſpitalitatem.*

40. *Sed non licuit tradere Parochias: & tamen incorporatæ ſunt Monaſterijs, ergò poſſunt Monaſteria Parochijs.*

41. *Multiplex P. Romani error.*

42. 1. *Licuiſſe Parochis alienare Iura Parochiarum.* C.c.21.

43. 2. *Quod illa Parochiarum translatio fuerit gratior & vtilior, quàm nunc ſit Monaſteriorum.*

44. 3. *Quod Monaſteriorum translatio ſit contra SS. Canones.*

45. *Quod ſit inutilis antiquis Ordinibus.*

46 *Eccleſia certè vtiliſsima eſt.*

47. *Obijcit P. Rom. quia facta incorporatione Parochiæ Monaſterijs, aliquid remanebat pro ſuſtentatione Clericorum.*

48. *Sed hæc nunc non eſt opus Monaſterijs extinctis.*

49. *Obijcit etiam, quia per incorporationem Parochiarum ſolum transferebatur onus hoſpitalitatis.*

50. *Reijcitur. & ſatis eſt fuiſſe factas, non obſtante Fundatorū vltima voluntate.*

34. Argumentabatur quarto loco P. Laymannus ex eo, quia certum ac per ſe notum eſt, quòd Parochiæ & reditus Parochiales ex prima inſtitutione ac fundatione pertineāt ad Clericos, & presbyteros ſæculares; & tamen conſtat plurimas Parochias olim per Epiſcoporū Authoritatem & liberalitatē Monaſterijs Regularium donatas & incorporatas eſſe, non obſtante prima fundatione & Inſtitutione, ergò ſimili ratione Monaſteria, ac reditus eorum, licet ſecundum primā fundationem ad Monachos pertinuerint; legitima cum Authoritate ad Clericos Regulares, vel Sæculares aliúmue vſum pium transferri poſſunt, & iuxta Prætoris Edictum, *quod quiſq; Ius erga alium ſibi vendicat, contentus eſſe eſſe debet, vt alius erga ipſum vtatur.*

35. *Num.* IX. Reſpondet P. Romanus, hoc Argumentum facilè eſſe, & inſtar cæterorum plus non probare, quàm quodlibet Collegium Societatis per legitimam poteſtatē cùm cauſa rationabili poſſe transferri ad alios, ſeu Clericos, ſeu Religioſos Ordines.

36. Licet Argumentum nihil aliud probaret, probaret quod eſt in quæſtione, hoc eſt, Translationibus Monaſteriorum, de quibus agimus, non obſtate vltimas voluntates Fundatorum: ſicut per ipſum non obſtarent Translationibus Collegiorum Societatis. Sed aliquantò plus probat Argumentū P. Laymanni, quia nullū Collegium Societatis in his circumſtantijs transferri poſſet, niſi de plenitudine poteſtatis Pontificiæ, etiamſi per omnium mortē eiuſmodi Collegiū eſſet ſolutū; quia ipſa Societas retinet Dominium bonorum & Iurium ſingulorum Collegiorum, & Ius alterius, vt toties repetit P. Romanus, non poteſt licitè auferri, niſi per poteſtatem abſolutam. At Monaſteria recuperata, cùm ſint *bona vacantia*; etiā Iure & poteſtate ordinaria transferri poſſunt.

37. Secundò reſpondet, incorporationes Parochiarum factas Monaſterijs non tranſire in commodum Religioſorum, ordinariè loquendo: ſed

factas

factas eſſe ad exercendam hoſpitalitatem aduenrantium, quæ hoſpitalitas magnoperè laudatur in Sacris literis, & à S. Benedicto, Abbatibus valdè commendata fuit.

38. Eſto: non ceſſerint Parochiarum bona in commodū Monachorū. Hîc non quæritur cui bono translatio fiat, ſed an, ſi fiat, ſit contra vltimas voluntates piorum fundatorum. Non dicent opinor, Monachi, incorporationes Parochiarum Monaſterijs fuiſſe iniuſtè factas, ergò neque negare poſſunt, transferri iuſtè poſſe Monaſteria ad Parochias, aut alios pios vſus.

39. *Numero X. & XI.* excurrit per apertum ſemel campum in laudes Hoſpitalitatis, quaſi verò illam quiſque vituperaret, omnes non amarent: tum colligit, licitum fuiſſe olim Clerico & Præsbytero Sæculari concedere Monaſterijs intuitu Religioſi ſtatus, decimas, oblationes, aliosque ſuperfluos ſuæ Parochiæ prouentus. quia cum tenerentur Hoſpitalitatem exercere, tranſtulerunt hoc onus, quòd non ſatis commodè ipſi ſuſtinere poterant, in Monachos.

40. Non ſunt facienda mala, vt eueniant bona *Rom. 3. v. 8* tribus modis intelligi poteſt à Parochis fuiſſe olim conceſſas Monachis decimas, oblationes, &c. Primo, vt ijs traderent ad Hoſpitalitatem exercendam id, quod ſupererat ex annuis fructibus Parochiarum ſuarum. Secundo, vt retento Titulo Eccleſiæ Parochialis & adminiſtratione curæ paſtoralis, trāſferrent in Monaſterium Ius decimarū & Oblationum, aut cenſum aliquē ad percipiendos fructus alicuius fundi. Tertio, vt extincto & ſuppreſſo titulo Parochiali, ipſa Eccleſia cū omnibus bonis & Iuribus adhærentibus incorporaretur Monaſterio. Si primo modo, Parochi non ſolum licitè, ſed valdè laudabiliter id facere potuerunt. quoniam obtinētes Eccleſiaſtica beneficia, quod ſupereſt cōmodę ſuſtentationi, tenētur erogare in pauperes, & opera pietatis. Sed non agimus de hoc caſu. P. Romanus ſupponit, Trāſlationes Parochiarum ad Monaſteria fuiſſe factas ſecundo modo, per aſſignationem decimarum & oblationū; &, (niſi fallor) Iuris illas exigendi, non tertio per incorporationem Eccleſiæ Parochialis, in quo tamē fallitur. nam multas Parochias & olim, & noſtris tēporibus *extinctas* fuiſſe, & Ordinib⁹ Religioſis incorporatas conſtat. Sed demus illi, Monaſterijs S. Benedicti non fuiſſe vnitas vllas Parochias; ſed ſolum attributū aliquod Ius exigendi decimas, oblationes, &c. eodem modo procedit Argumentū, vltima enim voluntas fundatorū fuit, vt huiuſmodi prouentus Curatoribus animarum cederent, cum onere quidē, erogandi ſuperflua in pauperes, & pia opera, non tamen ad ſolā hoſpitalitatē exercendam. ergò pari modo citra violationem earū fundationū poſſunt etiā Monaſteria vniri Parochijs, aut ad alios pios vſus trāsferri. Deindè maior etiam videtur ratio, vt poſſint Monaſteria Parochijs nūc incorporari, quā olim fuerint Parochiæ incorporatæ Monaſterijs, quia in vnione Monaſteriorū, de quibus agimus, non ſunt extin-

tinguendi tituli, cùm iam pridem *extincti* fuerint, in vnione autem parochiarum tituli debuerunt ſupprimi.

41. *Num. XII.* triplicem conatur P. Romanus afferre diſparitatem, cur vnio, ſeu tranſlatio parochiarum potuerit fieri: non poſſit autem Monaſteriorum. prima eſt, quia Parochi per talem Tranſlationem ad Monaſteria, vel menſas Abbatum, faciebant quod de Iure communi non modo licitum; ſed etiam habita ratione temporum, Eccleſiæ, Clericis ipſis, & pauperibus vtilius, gratius & commodius erat. Tranſlatio verò moderna Monaſteriorum receptorum ad Collegia, vel Seminaria, cõtraria eſt Sacrorum Canonum diſpoſitioni, neq; vtilis, neq; grata, aut accommoda Ordinibus antiquis, &c.

42. Quot verba, tot ferè errores. Primus eſt, Parochos per eiuſmodi Translationem Parochiarum, & prouentuum feciſſe, quod de Iure communi erat licitum. Ius commune *toto Titulo de rebus Eccleſ non alien.* nil aliud habet, quàm *non licere* bona immobilia & mobilia pretioſa Eccleſiarum alienare, legat P. Romanus præter cæteros *capitulum nulli liceat, & capitulum ſi quis presbyterorum.*

43. Secundus error eſt, quod illa Translatio prouentuum Parochialium ad Monaſteria eſſet vtilior, gratior, & commodior Eccleſiæ. Quæro enim cui Eccleſiæ? certè non Parochiali, quæ ex illa prouentuum diſmembratione, nec vllam vtilitatem, nec commoditatem ſentire poterat, dicet fortè, Eccleſiæ Monaſteriali, credo. Et Tranſlatio Monaſteriorum, vtilior, gratior, & cõmodior erit Collegijs & Seminarijs. Quæro etiã, quibus Clericis eſſet vtilior, gratior & commodior illa Translatio? Reſpondebit ſine dubio, ipſis Parochis transferẽtibus. difficulter mihi hoc perſuadebit, quî enim exiſtimari poteſt, illis vtilius, gratius, aut commodius fuiſſe abdicare à ſe diſpoſitionem ſuorum redituum; cum quotidiè incidere poſſent occaſiones, quibus ijs indigerent ad ſubditorum ſuorum leuandas neceſſitates. Tandem, interrogo, quibuſnam pauperibus ea Translatio accidebat vtilior, gratior, commodior? non certè Parochianis, quibus Abbatum Hoſpitalitas neceſſaria non erat. Dicet, peregrinis concedi poteſt. Sed interim inutilis erat, ingrata, incommoda indigenis pauperibus, quibus, vt proprius Paſtor vellet, non poſſet vllã opem afferre, quippe qui tranſcriptis reditibus ſuperfluis menſæ Abbatum, nihil ſibi reliqui fecerat præter id, quod propriç ſuſtentationi ſatis foret.

44. Tertius error eſt, quod dicat, modernam Monaſteriorum receptorum Translationem contrariam eſſe Sacrorum Canonum diſpoſitioni oſtẽſum ſiquidẽ eſt, omnia Iura tum Canonica, tum ciuilia ſtatuere, vt bonorum Eccleſiaſticorum *vacantium* liberam habeat Summus Pontifex Diſpoſitionem.

45. Quartus error eſt, dum dicit, eandem Monaſteriorum Tranſlationem non fore vtilem antiquis Ordinibus. Non negabit hoc P. Romanus, ſi memoria repetere voluerit, quam multi

multi ex Collegijs & Seminarijs, quorum potiſſima adminiſtratio Societati noſtræ commiſſa eſt, antiquis Ordinibus nomen dederint, & quantum eiſdem ornamenti ac ſplendoris ſuis literis ac virtutibus, quarum ſemina acceperunt in his Seminarijs, pepererint. In eo non errat Pater Romanus dum aſſerit, hanc Monaſteriorum Translationem antiquis Ordinibus non eſſe gratam. Fidem facit vel vnus hic ipſius labor, in *Aſtro Inextincto* ſuſceptus.

46. Liceat iam mihi à Patre Romano quærere, quamobrem, cùm dixerit Parochiarum Translationem ad Monaſteria fuiſſe vtilem, gratam, & commodam Eccleſiæ, Clericis ipſis, & pauperibus: poſtea, cum agit de Translatione moderna Monaſteriorum ad Collegia vel Seminaria, dixerit tantum, eam non fore vtilem, neque gratam, aut commodam Ordinibus antiquis, & tacuerit de Eccleſia & de pauperibus? an quia conſcientia repugnabat; cùm conſtet, ex Collegijs & Seminarijs non vulgarem vtilitatem & commodum prouenire toti Eccleſiæ Catholicæ? an quia legerat in Concilio Tridentino *ſeſſione vigeſima tertia, capite decimo octauo*, in Seminarijs potiſſimum pauperum filios educari debere. Sed veniamus ad alteram diſparitatem allatam à P. Romano.

47. Secunda ergò diſparitas eſt, quia, ſi quando Parochiæ & illarum prouentus & decimæ incorporarentur Monaſterijs; relinquebantur certi & ſufficientes reditus ad honorificam Parochorum ſuſtentationem. In translatione verò Monaſteriorum ad Collegia, Scholas aut Gymnaſia, nondum intellectum fuit, quicquam eſſe relictum aut relinquendum, quo Abbas & Monachi iuxta regulam ali poſſint.

48. Quid mirum? ſi Monaſteria ſunt *extincta*: ſi omnibus Monachis deſtituta: ſi bona & Iura *vacantia*: quid opus eſt quærere redditus, quibus Abbas, & Monachi ſuſtententur?

49. Tertia diſparitas eſt, quod per Incorporationem Parochiarum ad menſam Abbatis, *ſi propriè (inquit) loqui velimus, tantum fuit facta Translatio Hoſpitalitatis (translata re cum onere) ita vt, onus, quod prius incumbebat ſingulis Clericis, tranſierit, non ſine ratione quidem ad certa, & pro tempore, non dubito, pauperiora Monaſteria, vnde decimas non percipiunt & abſumunt Monachi canentes in choro; ſed hoſpites pauperes & peregrini, qui nunquam deſunt Monaſterio, adeoque Monachis nulla vel perexigua hinc vtilitas emergit, & ſi emergeret; non deberet putari piaculum.*

50. Multa hîc vaticinatur Pater Romanus, quicquid ſit, negare non poteſt, Translationes Parochiarum & prouentuum fuiſſe factas, non obſtantibus vltimis voluntatibus Fundatorum, de quibus non video, quo fundamento nixus affirmet, in attribuendis ſuis bonis Eccleſijs parochialibus, illud vnum intendiſſe, vt redditus non neceſ-

Digitized by Google

ſarij parochorum ſuſtentationi, deſeruirent tantum hoſpitalitati exercendæ. mihi contraria ſententia ſedet, exiſtimo enim, illorum conſilium fuiſſe, vt, ſi quid præter commodam ſuſtentationem parochi haberent, illud impenderent in ornatu templi, in pauperibus, viduis, ac pupillis ſubleuandis, in iuuandis ægrotis, in redimendis captiuis, & eiuſcemodi operibus pietatis, quæ cederent in commodum ouium ſibi à Deo creditarum potiùs, quàm excipiendis hoſpitibus in Monaſterijs, qui vt plurimum non pauperes ſunt, ſed prædiuites & copioſi.

THEORICA RESPONſionis ad Quintum Argumentum.

Num. XIII. XIV. XV.

SVMMARIA.

51. *Conc Trident. vetat Parochias vniri Monaſterijs, cupit è bonis Monaſteriorum iuuari Seminaria Parochorum.*

52. *Nec id Pater Romanus negare poteſt.*

53. *Licet id colligere tentet ex literis Ferd. II. ſed malè.*

54. *Cùm idem Ferdinandus II. plura Monaſteria Seminarijs & Collegijs addixerit.*

55. *Imponitur P. Laymaano, quod dixerit, Monachos procuraſſe, vt Parochia vnirentur.*

56. *Sed ſolùm voluit oſtendere curam Concilij Tridentini de Seminarijs erigendis.*

51. Quintum Argumentum petebat Pater Laymannus ex Concilio Tridentino, quatenus clarè indicauit magis hoc tempore poſt hæreſes introductas, expedire vt Seminarijs adoleſcentium eorumque magiſtris prouideantur reditus, quàm vt Monaſteria Regularium prouentibus augeantur. Siquidem in *Seßione vigeſima quarta, capite decimo tertio de Reformatione*, prohibuit, ne in poſterum Eccleſiæ Parochiales Monaſterijs quibuſcunque, aut Abbatijs, dignitatibus, vel præbendis, vniantur. at verò *in Seßione quinta, capite primo de Reform. & Seßione vigeſima tertia, capite decimo octauo de Reform.* magnam curam Seminariorum erigendorum oſtendit, atque ad alendos Adoleſcentes præſertim pauperes, vndequaque Eccleſiaſticos reditus congregari præcepit.

52. *Numero XIII.* Pater Romanus reſpondet, non videri verum, quod Concilium Tridentinum clarè indicauerit, magis neceſſarium eſſe, vt Seminarijs Adoleſcentium eorumque magiſtris prouideantur redditus, quàm vt Monaſteria Regularium prouentibus augeantur. Quid huic homini facias, qui negat quod euidentiſſimè ex allegatis Concilij locis deducitur? Quis ſanæ mentis dubitare poſſit, quin Patres illi Doctrina & probitate perſpicui ſẽſerint, magis expedire, imò neceſſarium eſſe, vt Seminarijs

natijs adoleſcentium de reditibus prouideretur, quàm vt Monaſteria prouentibus augerētur, cum decreuerint, ex Abbatijs Monachorum debere contribui ſumptus ad alenda Seminaria Clericorum, & vetuerint Eccleſias Clericorum Monaſterijs vniri?

53. *Numero XIV.* Dato etiam, à Concilio fieri illam comparationem; negat, quicquam ex hac argumentandi ratione aliud euinci, quàm quòd Auguſtiſſimus Romanorum Imperator FERDINANDVS Secundus clarè indicauerit, magis hoc tempore poſt hæreſes introductas neceſſarium eſſe, vt Ordines antiqui ſua Monaſteria ab hæreticis hucuſque detenta recipiant, quàm vt Societas Ieſu &c. eorundem prouentibus augeatur; ſiquidem & literis ad ſummum Oratorem Romæ datis, & Cæſareo reſtitutionis Edicto oſtendit, velle ſe, vt Monaſteria recuperata non niſi antiquis Ordinibus reſtituantur.

54. De hiſce literis & Cæſareo Edicto ſuus erit dicendi locus infra, ſimul cum Patre Romano in quæſtione quarta, nunc Cæſarem Cæſari opponere ſatis eſt, & literis, auſim dicere commentitijs, facta Cæſaris committere. conſtat enim ipſius Auctoritate, Summi Pontificis conſenſu, plura Monaſteria ex recuperatis, Societati alijſque pijs vſibus fuiſſe tranſcripta: non vt Societas prouentibus augeretur: ſed ne Germania in educatione Iuuentutis, in propagatione Religionis, in hæreticorum reductione bonos operarios in poſterum deſideraret.

55. *Numero XV.* poſtremò ad Argumentum Patris Laymanni tedeundo, dicit illud *penitus impertinens eſſe, nec ad rem quicquam facere*, nam in moderna Monaſteriorum reſtitutione neque Imperator, neque Religioſi Ordines vnquam in animum induxerunt, vt contra præcepta Concilij Tridentini Parochiales Eccleſiæ Monaſterijs vnirentur, ſed ſolum, vt Monaſteria dudum Ordinibus adempta, Iure poſtliminij reſtituerentur, iam autem Monaſteria quæque ſuis Ordinibus reſtituere, & Monaſterijs Parochiales Eccleſias vnire, toto cœlo, inquit, differunt.

56. Nunquam ſomniauit Pater Laymannus, Imperatorem & Religioſos Ordines induxiſſe in animum, vt contra decreta Concilij Tridentini Parochiales Eccleſiæ Monaſterijs vnirentur. Argumentum, quod Pater Romanus dicit penitus impertinens eſſe, nec ad rem quicquam facere, eſt hoc. Nunc tanta cauſa, & neceſſitas inſtituendi Parochias, Seminaria &c. iudicio Concilij ſubeſt; vt propterea vetuerit, Eccleſias Parochiales vniri deinceps Monaſterijs; quamuis ſine violatione vltimarum voluntatum, & fundationum ſæpè olim ſint vnitæ: & è contrariò magnam curam erigendorum Seminariorum & parochiarum oſtendat, & commēdet. Ergò ſine violatione fundationum, tam (imò multò magis) poſſunt nunc vniri Monaſteria *extincta &*

Digitized by Google

ſta & bona *vacantia* ſine violatione vltimarum voluntatum, quàm olim poterant vniri Parochiæ *non extincta* Monaſterijs. quod eſt in quæſtione. Et nihilominus Pater Romanus audet dicere *Argumentum penitus impertinens eſſe, nec ad rem quicquam facere.*

THEORICA RESPONſionis ad Sextum Argumentum.

Num. XVI.

SVMMARIA.

57. *Proponitur Argumentum, quo probatur non obſtare pias Fundatorum & vltimas voluntates translationi Monaſteriorum, cùm per Epychiam aliquando mutari poſſint.*

58. *Cumq; Fundatores ipſi Monaſteriorum in his circumſtantijs aſſentiri præſumendum ſit, & non mutatio, ſed pia ſolùm fiat interpretatio, nec fiat de plenitudine poteſtatis, ſed ordinaria.*

59. *Similitudo inter leges poſitiuas & vltimas voluntates.*

60. *Sicut Lex non comprehendit omnes caſus, ſic vltima voluntates.*

61. *Non exiſtente magna circumſtantiarum varietate, tam Lex, quàm vltima voluntas obſeruanda eſt iuxta verba.*

62. *Quod ſi mutatio ſit magna; ſicut lex non poteſt obſeruari, ita vltima voluntas mutari in melius, cùm omnis diſpoſitio intelligatur, dummodo res in eodem ſtatu maneant.* D.24.

63. *In legibus poteſt fieri pia Interpretatio priuata auctoritate, in voluntatibus vltimis ſolùm publica.*

64. *Omnis diſpoſitio vltima voluntatis intelligitur* Saluo Iure Principis, *licet non fuerit expreſſum* D.171.

57. Quo minus Monaſteria hæreticis iniquis poſſeſſoribus erepta, poſſint non reſtitui antiquis Ordinibus, pro quibus fundata fuerunt, & applicari Collegijs, Seminarijs, Scholis, alijſque pijs vſibus, obſtare videbantur vltimæ defunctorum voluntates, maximè verò fundationes piæ, quæ, vt dicitur *in cap. vltima* 13. *q.* 2. *modis omnibus ſeruari debent*, nam alioquin viri Principes, alijque fideles retraherentur à largitionibus pijs: ſi contra ſuam voluntatem ad alium vſum viderent conuerti. Cum itaque voluntas fundatorum fuerit, vt Monaſteria cum bonis ac Iuribus ſuis, Ordini certo & determinato prouenirent; addita interdum graui comminatione aduerſus eos, qui aliò transferre præſumpſerint; non videtur vllo modo conſultum, ſed potius ipſi Eccleſiæ noxium, ſi ad alium Ordinem, vel alium vſum ſub pietatis aut maioris vtilitatis prætextu transferantur. Huic Argumento hactenus reſpondit Pater Laymannus, atque oſtendit, non obſtare huiuſmodi Translationibus vltimas fundatorum voluntates, primò ex eo, quia praxis Eccleſiæ demõſtrat plurima Monaſteria ab vno

ab vno ad alium Ordinem tranſlata fuiſſe. Deinde quia conſtat etiam, parochias & reditus parochiales ex primæua inſtitutione ac fundatione ſpectaſſe ad Clericos & Presbyteros ſæculares, & nihilominus olim per Epiſcopos donatas & incorporatas fuiſſe Monaſterijs Regularium. Tertiò denique, quia Concil. Trident. non obſcurè indicauit, magis expedire, vt bona Monaſteriorum applicentur Seminarijs parochorum, quàm vt parochiæ Monaſterijs vniantur, cum hoc ſeuerè prohibuerit, illud verò præceperit. Iam P. Laymannus, nouam afferebat ſolutionem eiuſdem Argumenti, & quaſi rationem à priori, cur citra Fundatorum vltimas voluntates, poſsint Monaſteria Seminarijs & Collegijs transſcribi, eiuſque ſumma in hoc ſita eſt, quod, licet vltimæ defunctorum voluntates à nemine mutari poſsint, nihilominus incidere poſſunt caſus, in quibus eædem vltimæ voluntates ſecundum Epykiam per benignam interpretationem poſsint aliquo modo mutari. Maximè per Principem ſupremum, qui eſt in cauſis pijs Sum. Pontifex ex *l. Legatum ff. de adminiſtrat. rer. ad Ciu. pertin. & Clem. quia contingit de religioſ. dom.* Hanc ſolutionem Pat. Laymanni vehementer impugnandam ſibi ſuſcepit P. Romanus ſequentibus numeris.

58. *Num.* ergò *XVI.* aduertit, ratiocinationem Pat. Laymanni, quam nos deinceps fuſius explicabimus, tria mébra continere. Primum, quod fundatores Monaſteriorum, qui nihil aliud ſpectare credendi ſunt, quàm Dei maiorem gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ bonum, ſtatim huiuſmodi Translationi ad Collegia & Seminaria &c. aſſenſuri ſint, & ſuam voluntatem iuſtiſsimo Prælatorum Eccleſiæ iudicio ac diſpoſitioni ſubiecturi. Secundum, quòd per huiuſmodi Translationem non fiat fundationis mutatio, ſed benigna tantum interpretatio per Epykiam. Tertium, quòd non pertineat hæc mutatio ad plenitudinem poteſtatis Pontificiæ abſolutæ, ſed ad Ordinariam duntaxat, eò quod voluntas Fundatorum hac ratione non tollatur, ſed mutetur in melius. De hoc tertio membro, ait ſe diſputaturum quæſtione ſequenti. hoc ergo loco conatur reſpondere ad primum *Num* 17. 18. 19. & 20. ad ſecundum *Num.* 21. 22. 23. 24 25. & 26. vt noſtra confutatio melius intelligatur, aliqua, priuſquam ad ſingula veniamus, animaduertenda ſunt.

59. Primò ergo notandum eſt, vltimas Teſtatorum voluntates, & pias fundationes magnam habere ſimilitudinem cum legibus poſitiuis. Per legem enim poſitiuam primò legiſlator oſtendit mentem ſuam eſſe, vt ſubditi hoc vel illud facere aut vitare teneantur. Teſtator & Fundator oſtendit etiam, quid de ſuis bonis fieri velit. Secũdò, legiſlator in ferendis legibus poſitiuis duplicem habet intentionem ac duplicem ſibi finem proponit. Vna eſt Generalis & Principalis, hoc eſt Reipublicæ felicitas, ciuium ſalus & incolumitas, pax publica. Alia intentio eſt ſpecialis, & determinata ad aliquod particulare medium, quod conducit ad finem illum principaliter intentum

v. g. ne noctu portæ Ciuitatis aperiantur, ne certi generis arma geſtentur, ne extra fines ditionis res ad annonam pertinentes extrahantur, &cæt. Teſtator & Fundator ſimili modo duplicem cenſetur habere voluntatem & Intentionem in aliquo pio opere inſtituendo: Vnam Generalem & Principalem, quæ eſt maior Dei gloria, eiuſdem Religioſus cultus, ſalus animarum, Eccleſiæ bonum. Alteram ſpecialem & minus principalem, quæ videlicet determinatur ad certũ quoddam opus pium, quo Dei gloria & cultus, animarum ſalus, & Eccleſię bonum promoueatur, v. g. Fundatio Noſocomij ad curandos & iuuandos ægrotos in vtroque homine, Xenodochij ad excipiendos peregrinos, Monaſterij Regularis, in quo pſalmodia & Contemplatiuæ vitæ operibus Deus glorificetur.

60. Secundò notandum eſt ex Ariſtotele 5. *Ethicor. cap.* 10. ex eo, quod *lex* poſitiua *ſit vniuerſalis*, hoc eſt, feratur in genere reſpectu temporum & perſonarum & alicuius generis rerum, *nec de vniuerſalibus rectè ducatur*, id eſt, fieri nequeat, vt legiſlator ſua lege comprehendere poſſit omnes caſus, qui phyſicè poſſunt occurrere, *ſiquidem lex id ſpectat, quod plerumque fit*, hinc ſequitur, vt *quandoque lex deficiat*, hoc eſt, non appareat an in tali caſu obſeruanda ſit, quia vel non videatur Legiſlator in eo caſu voluiſſe vel non potuiſſe obligare, neque hoc eſt mirum. *Sic enim fert rerum natura propter magnam ipſarum varietatem ac mutationem*, ac multiplicitatem circumſtantiarum, quæ in rebus agendis prudenter conſiderandæ ſunt. Eodem modo teſtatores ac piorum operum fundatores, potuerunt illi quidem ſtatuere, vt certis quibuſdam modis diuina gloria & cultus, animarum ſalus, & Eccleſiæ bonum procuraretur, quoniam tamen multæ rerum mutationes incidere poſſunt, & nouæ circumſtantiæ occurrere, poteſt conſequenter etiam aliquando dubitari, vtrum eorundem fundatorum Intentio fuerit, vt in eiuſcemodi caſibus & tanta circumſtantiarum mutatione, illud peculiare opus pium à ſe ordinatum continuetur, an potius in aliquod aliud commutetur, quod melius diuinam Gloriam, Religioſum cultum, animarum ſalutem, & Eccleſiæ bonum promoueri queat.

61. Tertiò notandum eſt, ſicut ſi circumſtantiarum varietas non ſit magna, lex poſitiua obſeruanda eſt iuxta mentem legiſlatoris, quatenus per ipſa legis verba innoteſcat, ita etiam, ſanctè & inuiolabiliter ſeruari debere diſpoſitiones piorum fundatorum, & illud peculiare opus, quod mandarunt eſſe exequendum, licet enim bona ab ipſis relicta applicari fortè poſſent ad opus longè melius, & ad pium vſum multò excellentiorem, quia tamen nemo obligatur ad id, quod eſt optimum, imò neque ad id quod eſt melius, & ſatis eſt, ſi fieri velit opus bonum ac pium, & legibus non interdictum, aut contrarium; hinc fit, vt voluntas & intentio fundatoris, quam ſuprà vocauimus

Digitized by Google

cauimus ſpecificam & determinatam, ſit obſeruanda, nec loco illius ſit adimplenda voluntas & intentio illa generalis ſupra etiam explicata.

62. Quartò notandum, propter mutationem circumſtantiarum ſæpè accidere, vt in caſu aliquo peculiari lex poſitiua, prout ipſa verba ſonant, obſeruari vel non poſſit, vel non debeat, & conſequenter non poſſit habere locum voluntas & Intentio illa ſpecialis legislatoris, per quam intendebat bonum commune per hoc particulare & determinatum medium. verbi gratia, lata lex eſt, ne Ciuitatis portæ noctu cuiquam aperiantur: contingit, vt Ciuitas arcta obſidione cingatur, & propugnatores poſt meridiem, eruptionem fecerint, & per aliquot horas cum oppugnatoribus congreſſi, intendentibus iam ſe tenebris, retrocedere coacti ad mœnia Ciuitatis repulſi ſint, omnes ad vnum trucidandi, niſi ciuitatis portis patefactis, in tutum ſeſe recipiant. In hoc rerum articulo, nemo dicet, ſeruandam eſſe legem iuxta verborum ſonum: ſed potius mentem legislatoris, qui *ſi adeſſet*, inquit Ariſtoteles, loco ſupra citato, *hoc modo dixiſſet, in hoc caſu porta omninò aperienda ſunt, ego enim in ea lege ferenda principalius ſpectaui ciuium incolumitatem & Reipublicæ bonum, quod certè non conſequor, ſi velitis legem à me latam, prout verba ſonant, obſeruare, adeoque fateor, in hoc caſu legem deficere. emendetur igitur, pateſiant porta, & conſulatur vitæ fortiſſimorum iſtorum militum.* Totum hoc in legibus obſeruandis aliquando, potius iuxta mentem, quàm verba legislatoris, ſit per *Epykiam*, quæ propterea appellari etiam ſolet *emendatio legum.* Simile quiddam accidit etiam in piorum operum, & Monaſteriorum, verbi gratia, de quibus agimus, fundationibus, ob ſuperuenientem enim caſum & circumſtantiarum mutationem, per quandam *Epykiam* licet interpretationem facere, & materialem aliquam mutationem inſtituere in vltimis fundatorum voluntatibus, adeò vt ſeruetur potius eorundem Intentio & voluntas illa generalis, & principalis; quàm ſpecialis & determinata: & talem prorſus mutationem contendit Pat. Laymannus, contigiſſe in noſtro caſu, *ponamus enim*, inquit, *fundatori per vaticinium propoſitum fuiſſe hunc caſum, quod poſt ſexcentos aut ſeptingentos annos Monaſterium ab ipſo fundatum in hæreticorum manus deuenturum ſit (præſertim ſi accedat aliqua ipſorum poſſeſſorum culpa, aut à Catholica fide defectio) & poſt ſeptuaginta annos, quando omnes demortui erunt eius Monaſterij profeſſi, Authoritate Catholici Cæſaris & Epiſcoporum manu adiutrice recuperandum: tum verò pro eo temporis ſtatu* (quo ſcilicet pateat latiſsimus campus hæreticorum reductioni, & ſit ingens inopia bonorum operariorum) *Romano Pontifici & Cæſari recuperatori conſultius & ad Eccleſiæ Catholicæ augmentum atque hæreſum extirpationem magis opportunum viſum iri, vt non eiuſdem*

Ordinis Monachi, ſed vel alij Religioſi rem Catholicam ſtrenuè promoturi in eo Monaſterio ponantur, vel eius reditus ad alios, tunc temporis magis neceſſarios pios vſus pro conſeruatione patriæ, & Religionis Catholicæ applicentur (puta nouis Parochijs inſtituendis, Collegijs & Seminarijs Clericorum fundandis, vnde perpetuò bonorum Parochorum, Concionatorum, Magiſtrorum copia ſuppetere poſsit) *quis non videt fundatorem, quippe qui nihil aliud ſpectaſſe credendus eſt quam Dei maiorem gloriam & Eccleſiæ Catholicæ bonum, ſtatim aſſenſurum fuiſſe, & ſuam voluntatem iuſtiſsimo Eccleſiæ Prælatorum iudicio ac diſpoſitioni ſubiecturum?* Ratio huius doctrinæ eſt, tum quia omnis diſpoſitio debet intelligi cum clauſula, *rebus in eodem ſtatu manentibus*, vt ex communi ſententia docet Iaſon *in l. quod ſeruum ff. de condict. ob cauſam*, tum quia in pijs præſertim fundationibus, conſideranda eſt intentio principalis & finis primarius, ex quo ipſa diſpoſitio interpretationem accipit, itaque ſi iudicio eorum, ad quos ſpectat tanquã Curatores & Adminiſtratores, videatur bona ad certum vſum pium relicta, ad alium meliorem transferri poſſe, idque ceſſurum ad maiorem Dei gloriam, maiuſque Eccleſiæ bonum, in eo caſu nihil fit contrarium voluntati Fundatoris, cum ſeruetur eorundem intentio principalis, idemque effectus: imò in melius commutetur, vt enim habet *caput 3. de iureiurando, non infringit, qui in melius commutat.* vide Doctores *in l. Gallus, §. & quid ſi in tantum. ff. de lib. & poſtul.* vbi dicunt diſpoſitionem ad vnum caſum ſeruata, eadem ratione eodemque affectu, trahi poſſe ad alium: idque multo magis valere, ſi ratio principaliter intenta magis in caſu non expreſſo, quàm expreſſo reperiatur. hoc ſiquidem caſu, non fit voluntatis mutatio aut interpretatio extenſiua, ſed declaratiua ex mente, iuxta *legem 3. C. de lit. præterit.* vbi dicitur, non ad verba, ſed ad ſenſum & mentem Teſtatoris attendendum eſſe.

63. Quintò notandum eſt, licet leges & vltimæ voluntates in eo conueniant, quod vtrarumque diſpoſitionis obligatio ſignificata per verba, ceſſare poſſit per interpretationem & *Epykiam*, ita vt prout verba ſonant liceat eas non obſeruare, differre tamen inter ſe, quòd in legibus habere poteſt locũ *Epykia*, & fieri Interpretatio priuata Auctoritate in multis caſibus, de quibus Doctores Scholaſtici cum S. Th. 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. Primò ſi certò conſtet, materiam legis ſuperueniente mutatione circumſtantiarum factam eſſe malam, ſeu contrariam alteri præcepto aut virtuti fortius obliganti, & verba legis obſeruari non poſſe ſine peccato: Secundò, ſi pariter certò conſtet, in caſu aliquo particulari legislatorem vel non potuiſſe, vel non voluiſſe obligare: Tertiò, ſi probabile ſit, legem non comprehendere illum caſum, & maximè, ſi occaſio ſit vrgens, nec poſsit conſuli Superior. Ita Caietanus, Molina, Sotus, Syluеſter, Corduba, Nauarrus, Sancius apud Suar. *li. 6. de leg. c. 8. nu. 3.* Addunt aliqui quartum caſum, ſi videlicet dubium ſit, an in certis circumſtantijs voluerit, vel potuerit Legiſlator obligare. dicunt

enim,

enim, ſi commodè non poſsit haberi recurſus ad Superiorem pro legis interpretatione; poſſe non obſeruari. Ita Syluester, Corduba, Enriquez apud eũdem Suar. *loco cit. n.* 12. licet Caietanus, Sotus, Medina, Sancius, alijq; contrarium ſentiant. At verò mutatio vltimarum voluntatum, quantum ex Doctoribus colligere licet, non poteſt in vllo caſu priuata Authoritate fieri: ſed diſpoſitionis verba, prout ſonant, obſeruanda ſunt, quod ſi ob Circumſtantias, & ob ſtatus rerum mutatos videatur, eſſe aliter faciendum, non poteſt propria authoritate fieri: ſed ſemper conſulendus eſt Superior, & maximè ſi diſpoſitio Teſtatoris & Fundatoris fuit ad fauorem cauſæ piæ. Ratio reddi poteſt, quia materia harum diſpoſitionum eſt applicatio bonorum temporalium ad aliquod opus pium, & conſequenter per mutationem vltimæ volũtatis debet de iiſdem bonis aliter de nouo diſponi. Cum autem omnia bona relicta ad pias cauſas cenſeantur donata principaliter Deo, & Summus Pontifex ſit omnium bonorum Eccleſiaſticorum & piorum locorum, ſi non dominus, ſaltem ſupremus Adminiſtrator, hinc fit, vt ad illum tantum pertineat eiuſmodi mutationes inſtituere, non autem ad quẽquam priuatum. Confirmatur hæc ratio, quia hæ vltimarum voluntatum mutationes ideò plerumque faciendæ videntur, quia bona relicta & deſtinata ad vnum vſum pium, prudenter æſtimanti videntur, poſſe ac debere cõuerti ad alium, cum augmento diuinæ gloriæ, Religioſi cultus, ſalutis animarum, vno verbo, boni publici, quod curare ſpectat ad principem Reipublicæ, quodque principalius ſpectaſſe omnes Teſtatores ac Fundatores pro explorato haberi debet.

64. Sextò notandum, hæc, quæ diximus de mutatione vltimarum voluntatum ac piarum fundationum neceſſariò facienda Superioris tantum Auctoritate per interpretationem & *Epykiam*, ita eſſe vera, vt propterea communiter dicatur à Doctoribus omnem diſpoſitionem etiam vltimæ voluntatis intelligi debere *ſaluo Iure Principis*, etiamſi non fuerit hoc expreſſum, quia Conditio, quæ ſuaptè natura ineſt, pro expreſſa haberi debet, & præterea eandem diſpoſitionem recipere interpretationem à lege, vide Perez *de Anniuerſ. l.* 1. *c.* 2. *num.* 49. & à conſuetudine, ſeu ab eo quod fieri ſolitum eſt, vt docet Abbas *in c. certificari de ſepultur.* Iaſon *in l. certi. §. nummos. ff. ſi certum petatur. num.* 6. Cùm ergo Sacri Canones Rerum & bonorum Eccleſiaſticorum quorumcunq; Adminiſtrationem ac diſpoſitionem ſupremam Summo Pontifici committũt *c.* 2. *de prabend. in* 6. *& Clement.* 1. *vt lite pendente, & Clement. Quia contingit, de Religioſ. domib.* & perpetua praxis Eccleſiæ oſtendat, Translationes bonorũ Eccleſiaſticorum, ex cauſa quæ Summo Pontifici iuſta, & Eccleſiæ vtilis viſa fuerit, inſtitui poſſe, idcirco in omni fundatione, & pia diſpoſitione, maximè Summi Pontificis Auctoritas excepta videtur, & poteſtas ita diſponendi, ſicut maius & vniuerſalius Eccleſiæ bonum, Deiq; gloria poſtulare

 videtur.

videtur. Operæprecium eſt hoc loco tranſcribere verba aurea Couarruuiæ. *lib.3. variarum reſolutionum cap.6. num.7. Vltima*, inquit, *voluntas Principis Authoritate mutari poteſt in his, quæ Principis Adminiſtratori committuntur. nam ſi teſtator aliquid legauerit in opus id, aut in eam rem, quæ Principis diſtributioni & gubernationi ſubiacet, idem Teſtator id legatum feciſſe videtur eius conditionis attenta materia ſubiecta, vt per principem proprio arbitrio poßit commutari. Sic Iuriſconſultus in* l. Legatum. ff. de Adminiſtrat. rer. ad ciuitat. pertinentium. *Scribit Legatum ciuitati ad certum publicum opus relictum Authoritate Principis in aliud opus poſſe expendi, quia opera publica ciuitatum & ipſius Reipublicæ, & legata ei relicta, Adminiſtrationi Principis commiſſa cenſentur, cum & is Reſp. Adminiſtrator ſit. Eodem pacto Rom. Pontifex, vti dicebatur in dicta Clem. quia contingit. pecuniam legatã ad vſus pios, ad beneficia, & ſacerdotia inſtituenda, ad pauperum alimenta, poteſt in alia opera itidem pia commutare, cum ipſe Summus Pontifex horum omnium ſit legitimus ex Canonicis Sanctionibus Adminiſtrator & Rector. Vnde in omni & qualibet donatione, quæ Eccleſiæ fiat ad certum & deſtinatum onus miniſterij Eccleſiaſtici, excepta intelligitur Auctoritas Romani Pontificis, cui vt Præſidi Reipubl. Chriſtianæ licet ex iuſta cauſa diſpe[illegible] vnicuiq; Eccleſiæ aut membro id quod alterius membri proprium eſt, iuxta vtriuſque membri neceßitatem, nec per hoc offenditur donatoris aut Teſtatoris voluntas.* Hanc Couarruuiæ doctrinam peculiariter notari velim à Patre Romano, & perpetuam Eccleſiæ praxin, iuxta quam Romanus Pontif. tam ſæpè ſolet commutare ſtatum Eccleſiarum: nec tamen vnquam auditum eſt, iniuriam fieri vltimis Fundatorum ac Teſtatorum voluntatibus, aut eorundem diſpoſitiones infringi; niſi fortè dicat, aliam omninò eſſe rationem Monaſteriorum *extinctorum*, quorum bona & Iura *Vacantia* ſunt, & aliarum Eccleſiarum, quarum, licet Tituli *extincti* non ſint, nec bona *vacantia*, ſtatus nihilominus à Summo Pontifice tàm ſæpè commutatur. His poſitis ex mente, niſi fallor, P. Laymanni, examinemus iam ſingillatim, quid habeat Pat. Romanus ſequentibus numeris quod opponat.

Num. XVII. XVIII. XIX.

SVMMARIA.

65. *P. Rom. reſpondit, primò probandum eſſe, Fundatores velle fieri Monaſteriorum translationes.*

66. *At probatum eſt velle, cùm propter circumſtantias mutatas ſeruetur ipſorum voluntas principalior.*

67. *Quod vltimæ voluntates mutari nequeant, tres patitur limitationes, quas impugnare intendit P. Romanus.*

68. *Sed fruſtra.*

69. *Primò ergò dicit P. Rom. ſalua Sed. Apoſt. auctoritate, intelligi de plenitudine poteſtatis.*

70. *Imò intelligitur de Ordinaria, cùm agatur de bonis vacantibus.*

71. *Secundò ait P. Rom. tertiam limitationem non habere hic locum, cùm Monaſteria de Iure reſtituenda ſint Monachis eiuſdem Ordinis.*

72. *Sed fallitur. Iura enim contrarium diſponunt.*

73. *Multiplex P. Roman. error. 1. Dum ait non poſſe Papam vti plenitudine poteſtatis, niſi ſit magna mutatio circumſtantiarum.*

74. *Cùm Inferiores etiam poßint legatum factum ad vnum vſum non neceſſarium, mutare in alium.*

75. *2. Error. dum ait Fundatores eſſe rationabiliter inuitos, ſi in caſu neceßitatis eorum voluntas mutetur.*

76. *3. Error. dum vult, Papam facturum contra Ius diuinum, ſi Monaſteria transferat.*

77. *4. Error. quod patet Papam alienantem inualidè alienare.*

78. *Probatur non eſſe inualidam alienationem, quia non deeſt poteſtas, nec voluntas.*

Nec poteſtas impeditur prohibitione in Papa. ibid.

Nam non eſt alienatio nulla, facta contra legem naturalem. ibid.

Neque quia contra legem diuinam. ibid.

Neque quia contra legem humanam, cui Papa non ſubditur. ibid.

Neque quia contra obligationem à Teſtatore impoſitam. ibid.

Neque contra.

79. *5. Error. quia ſentit per Monaſter. translationes auferri Ius tertij.*

65. *Num. XVII.* quo incipit reſpondere ad primum eorum, quæ dixerat contineri in ſexto Argumento, quod ſcilicet Fundatores Monaſteriorum aſſenſuri ſint iuſto Prælatorum Eccleſiæ Iudicio, transferentium Monaſteria ad Collegia, Seminaria &c. reſpondet, non tam quæri, an Fundatores acquieſcant Translat. Monaſteriorum factis, quam an velint, vt faciant, & ſi Opponens, hoc eſt P. Layman. affirmet, debere hanc voluntatem demonſtrare, cũ præſumptio ſit pro Fundatoribus, quorũ literæ & Diſpoſitiones ſunt euidenter pro antiquis Ordinibus, nec ſufficere, quòd coniectura aliqua probabiliter nobis perſuadeat, aliã fuiſſe mentẽ Teſtatoris, quã verba ipſius demonſtrant, quam doctrinam Doctorum teſtimonijs ad ſatietatem vſq; cõfirmat.

66. Ex dictis facilè hæc omnia euaneſcunt. cùm enim ſtatus rerum in Germania poſt recuperata Monaſteria ſit adeò mutatus, & latiſsimus apertus ſit campus Religioni Catholicæ propagandæ, & ingens ſit bonorum operariorum penuria, & ex altera parte Monaſteria recuperata iamdudum ſint *extincta*, eorumq; bona *vacantia*, ac proinde liberè Prælatorũ Eccleſiæ diſpoſitioni ſubiecta, & cuiuſcunq; mediocriter prudẽtis iudicio in longe maiorẽ Dei gloriam & Eccleſ. Catholicæ vtilitatem, & animarum ſalutem ſit ceſſurum, ſi aliqua Monaſteria Monialiũ & obſcuriora virorum applicentur ſuſtentationi Parochorum, Seminarijs & Collegijs fundandis, vt perpetuò inde ſuppetere poſſet idoneorum paſtorum copia, cũ, inquam, omnia hæc ita ſeſe habeant, non eſt dubitandum, quin Fundatores Monaſteriorum malint ſuam principalem & primariam voluntatem & Intentionem obſeruari, quàm illam ſpecialẽ & determinatam. cum, quemadmodũ ſupra demõſtratum

ſtratum eſt, etiam in vltimis voluntatibus & diſpoſitionibus incluſa ſit clauſula *Saluo Iure Summi Pontificis*, eiuſdemque diſpoſitio ſemper cenſeatur excepta, omneſque piæ fundationes recipiant interpretationem, vt explicatum eſt, à Iure communi, & conſuetudine, iuxta quæ Romanus Pontifex ex cauſa, quæ in his circumſtantijs eſt iuſtiſsima, tanquam ſupremus Adminiſtrator bonorum omnium Eccleſiaſticorum, poteſt de Monaſterijs recuperatis, cùm ſint bona vacantia, ordinaria ſua poteſtate liberè pro communi bono Eccleſiæ diſponere.

67. *Num. XVIII.* ait P. Romanus, à ſe proximo numero allata, non negari P. Laymanno, ſed ab eodem limitari tripliciter, hoc eſt. Primò *ſalua ſedis Apoſtolicæ Authoritate*. Secundò, *niſi futuro tempore Eccleſiaſtica neceſsitas & maius publicum bonum iudicio Eccleſiæ Prælatorum aliud poſtulare videatur*. Tertiò, *dummodo Monachi permaneant, & non totum Collegium ſeu Conuentus diſſoluatur*, & addit ſe neſcire, quo nixus fundamento vel Authoritate eiuſmodi limitationes P. Laymannus adhibuerit.

68. Fundamentum eſt non vnum, ſed multa, & ſupra à nobis ſatis fusè *explicata* ſunt, illa relegat P. Romanus, & tum, ſi poteſt, oſtendat fundamenta non eſſe ſolida.

69. *Num. XIX.* Primò ait, ſe admittere ſolam primam limitationem, ſeu conditionem in eiuſmodi fundationibus. Fatetur enim in ijs ſemper intelligi clauſulam *ſalua ſedis Apoſtolicæ Authoritate*. Addit tamen, id eſſe intelligendum de Authoritate ampliſsima ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt, vt Fundationes piæ mutari non poſsint niſi *de plenitudine poteſtatis abſoluta*, idque ſe doctorum pollicetur ſequenti Quæſt. tertia.

70. At P. Laymannus contendit, ſi notabiliter mutatus ſit rerum ſtatus, non eſſe opus recurrere ad *plenitudinem poteſtatis*, vt certè mutatus eſt in caſu noſtro, & maximè cum agatur de bonis *Vacantibus* Monaſteriorum, quæ ſubiecta ſunt diſpoſitioni liberæ Summi Pontificis, attenta etiam *poteſtate ordinaria*. Sed quando P. Romanus huius difficultatis magis accuratam diſcuſsionem differt in quæſtionem ſequentem, nos quoque ad illum locum noſtræ doctrinæ confirmationem differemus.

71. Eodem numero verſ. *tertia Conditio*. afferit, fundationibus Monaſteriorum non tantum naturaliter non ineſſe, ſed de Iure ſemper abeſſe & excludi tertiam ſupra relatam limitationem ſeu conditionem. Ius enim commune in caſu, quo omnes de Collegio mortui fuerint, decernit, alios eiuſdem profeſsionis eſſe ſubſtituendos.

72. Hæc reſponſio Confutatione non indiget, primæ enim quæſtionis examine à nobis fusè demonſtratum eſt, omnibus de Collegio mortuis Monaſteria non cenſeri *vacantia*, ſed *extincta*, in quo caſu liberum eſt Pontifici diſponere de bonis *vacantibus* in quemcunque vſum pium pro ſuo arbitratu.

73. Eodem numero *verſu, ſecunda denique*, multi à P. Romano cumulantur errores. Primus eſt, quod dicat, ſecundam

dam conditionem ſupra allatam, id eſt, neceſſitatem Eccleſiæ, & maius eiuſdem bonum, non eſſe conditionē; ſed motiuum duntaxat conditionis primæ, vt ſcilicet Papa, cuius Authoritas in pijs fundationibus ſemper excepta intelligitur, poſſit vti ſua *abſoluta poteſtate* in translatione bonorum Eccleſiaſticorum ad alium vſum, quàm deſignatum à Teſtatore, neceſſe eſſe occurrere neceſſitatem Eccleſiæ, & maius Eccleſiæ bonum. Patet hunc eſſe errorem, quia Summus Pontifex *de plenitudine abſoluta poteſtatis* poſſet mutare ſtatum Eccleſiarum etiam quando non eſſet ea neceſſitas, aut maius Eccleſiæ bonum. Hæc igitur conditio, ſi adſit, poterit Summus Pontifex etiam *de poteſtate Ordinaria* transferre Monaſteria ab vno Ordine ad alium, & maximè quando bona transferenda ſunt *Vacantia*, quippe quorum libera diſpoſitio de Iure communi competit Principi.

74. Confirmatur. quia ex communi ſententia, quando legatum factum eſt ad vnum vſum non ita neceſſarium; poteſt mutari in alium magis neceſſarium Eccleſiæ, non ſolùm à Papa; ſed etiam ab Epiſcopo, tanquam ab Apoſtolicæ Sedis delegato. ita Marcus Antonius Genuenſis *in Praxi Neapolitan. capite decimo nono.* Vgolinus *de officio Epiſcopi cap. 66. num. 5.* Franciſcus Leo *in theſ. for. Eccleſ. part. 2. c. 26. num. 48.* Mattha *de Iuriſdict. part. 4. caſu 74. num. 10 & 11.* Monera *de commut. vlt. volunt. c. 5. nu. 354.* Homobonus *de exam. Eccleſ. tract. 9. ca. 10. q. 28.* Quos ſequitur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. q 3. num. 12 & in Collect. Concil. Trident. quæſt. 22. c. 6. de reform.*

75. Secundus error eſt, quod ſupponat, in caſu grauis neceſſitatis Eccleſiæ & maioris boni eiuſdem, Fundatores operum piorum eſſe rationabiliter inuitos; ſi legitima authoritate bona ab ipſis relicta ad certum vſum pium, transferantur ad alium magis Eccleſiæ neceſſarium & vtilem, cùm in omni diſpoſitione ſemper intelligatur excepta Authoritas Sedis Apoſtolicæ, & vnuſquiſque Chriſtianus in ſuis diſpoſitionibus ad cauſas pias, ſemper cenſeatur ſpectare maiorem Dei gloriam & Eccleſiæ vtilitatem.

76. Tertius error eſt, quòd exiſtimet, ſi ſecluſa Eccleſiæ neceſſitate, & maiore eiuſdem bono, Summus Pontifex inuitis antiquis Ordinibus transferat Monaſteria ad alios pios vſus; facturus ſit contra legem diuinam & naturalem; quia ſic faciendo interuerteret fundationes Monaſteriorum; tantum enim abeſt, vt Summus Pontifex violaturus eſſet legem diuinam & naturalem; vt potius vteretur Iure ſuo, ſibique omni lege conceſſo; quoniam diſponeret de bonis *Vacantibus*, in quæ nemo habet Ius, & quæ ſubſunt liberæ ipſius diſpoſitioni, vt toties dictum eſt.

77. Quartus error eſt, quòd cenſeat, ſi Summus Pontifex contra legem naturalem & Diuinam, & obligationem, qua tam ex officio quàm ex quaſi contractu tenetur non

alienare, & conuertere in alium vſum, vt docet Filliucius; bona à Fundatoribus relicta antiquis Ordinibus, transferret ad Seminaria vel Collegia, quòd eiuſmodi diſpoſitio à Summo Pontifice facta, eſſet inualida. Probatur primò, hunc eſſe errorem, quia communis ſententia eſt, ſi Papa ſine vlla cauſa beneficium iam collatum alicui, alteri conferat; ad emptionem tenere, & collationem valere, ita vt ſecundus beneficiarius verè poſſideat, & primus priuatus ſit, nullumque Ius in illo ipſi remaneat. ita docet Filliucius, (quem tamen Pater Romanus pro ſe citat) referens Geminianum, Francum, Ancharanum, Barbar. Nauarrum, Socinum *tract. 44. de alien. rer. Eccleſ. cap. 3. §. 2. n. 50.*

78. Secundò probatur ex eiuſdem Auctoris doctrina à priori modo. Ex duplici defectu tantum fieri poteſt, vt alienatio rerum Eccleſiaſticarum à Summo Pontifice facta, ſit inualida & nulla; hoc eſt, ex defectu *poteſtatis*, vel *voluntatis*. Ex defectu voluntatis ſupponimus in hoc caſu non eſſe inualidas translationes Monaſteriorum ab antiquis Ordinibus ad alios pios vſus; reliquum ergò eſt, vt ſi ſint inualidæ huiuſmodi Translationes; ſint propter defectum *poteſtatis*. Hoc autem nullo modo dici poteſt, quia Summus Pontifex reſpectu bonorum Eccleſiaſticorum, ſecundum probabilem ſententiam, eſt abſolutè dominus, & in certâ, ſaltem eſt ſupremus Adminiſtrator; ergò cum vel tanquam in domino, vel tanquam in abſoluto Adminiſtratore, in Summo Pontifice circa bona Eccleſiaſtica ſit poteſtatis plenitudo ad diſponendum; non poteſt eſſe poteſtatis defectus; quia defectus cum plenitudine ſtare non poteſt, vt benè dicit Gloſſa *in Clementi. 1. de re iudicata. verbo. plenariè.* Dicet Pater Romanus, defectus poteſtatis poteſt oriri ex prohibitione, ſicuti ſæpè contingit in commercijs humanis, vt licet aliquis ſit Dominus vel abſolutus Adminiſtrator bonorum; tamen validè contrahere non poſſit propter legis prohibitionem. Vnde etiam in Dominij definitione apponitur illa particula *niſi lege prohibeatur.* At in alienatione facta vel facienda à Summo Pontifice bonorum Eccleſiaſticorum, nulla prohibitio, contra quam ille faciat, efficere poteſt, vt alienatio, quantumuis eſſet iniuſta & illicita, ſit nulla & inualida. Probatur inductione, quia in hoc caſu Summus Pontifex vel alienat contra legem naturalem, vel diuinam, vel humanam, vel prohibitionem factam à Teſtatore, vel contra obligationem ortam ex contractu, vel quaſi contractu.

Alienatio facta contra legem naturalem ab abſoluto domino, & ſupremo & independente Adminiſtratore, non eſt inualida, & quia Adminiſtrator omninò independens æquiparatur Domino.

Secundò, neque eſt inualida, quia facta contra legem diuinam, & præceptum ſeu prohibitionem Dei & Chriſti,

Digitized by Google

Chriſti, vt docet Nauarrus *de ſpolijs Clericorum* §.3. & ideò licet Deus per Salomonem prohibuerit *dari propriam Subſtantiam extraneæ*, id eſt, meretrici, eidem tamen facta donatio valida eſt.

Tertiò non poteſt eſſe inualida, eò quòd ſit contra prohibitionem humanam; quia hæc non poteſt eſſe reſpectu Papæ, niſi vel Concilij Generalis, vel legis latæ ab aliquo Prædeceſſore, vel à ſeipſo, atqui Summus Pontifex huiuſmodi legibus & prohibitionibus non eſt ſubiectus; & conſequenter, ſi velit efficaciter alienare; alienatio erit valida.

Quartò, Prohibitio facta à Teſtatore non habet vim ad inualidandam alienationem à Summo Pontifice factam. quia ſicut lex humana non habet hanc vim contra eundem; ita neque Teſtatoris prohibitio, quæ accipit ſuum robur ex diſpoſitione legis.

Quintò, neque poteſt habere vim obligatio naſcens ex quaſi contractu inito inter fundatorem operis pij, & Eccleſiam; vt. ſi ſcilicet Eccleſia velit habere ipſius bona; teneatur illa applicare iuxta voluntatem donantis, quia alienationes factæ contra obligationem natam ex contractu non ſunt inualidæ, vt habet communis ſententia Bartoli in *l. ſi ea Lege. C. de condict. ob cauſam.* Innocent. Anton. Immol. Bal. Prælati à Fabiano à Monte, & Filliucio *numero trigeſimo ſexto*, & ratio eſt, quia non eſt in poteſtate priuatorum, vt quæ Iure communi inſunt, & per leges conueniunt, alterentur, aut contra quàm leges decernant, valeant & ſubſiſtant *ex l nemo poteſt ff. de legat. 1 & l nemo ff de pactis*; Iure autem communi, qui Dominus eſt vel abſolutus Adminiſtrator, eo ipſo per leges habet, vt validè transferat Dominium, niſi lege, aut Superioris iuſſu, vel ſententia Iudicis ſit impeditus. Summus autem Pontifex, vt diximus, impediri non poteſt. Neque valet dicere, ipſemet Papa ſibi legem impoſuit, vt non poſſit alienare bona Eccleſiæ, quia hoc falsò dicitur; neque enim poteſt ſuam potentiam limitare, licet ſi contra obligationem ſponte ſuſceptam veniat; poſſit peccare faciendo diſpoſitionem iniuſtam & illicitam, in omni tamen caſu ſemper erit valida.

79. Quintus error eſt, quòd exiſtimet, in his circumſtantijs, in quibus eſt Eccleſia Germanica, non eſſe neceſſitatem tantam, vt Monaſteria, & ipſorum bona *Vacantia* ad alios vſus magis neceſſarios & vtiles transferri poſſint ordinaria à Summi Pontificis poteſtate. quia falsò ſupponit, per huiuſmodi translationes antiquis Ordinibus Ius ſuum auferri, ac proinde opus eſſe plenitudine Poteſtatis, ſatis eſt ordinaria, cũ Monaſteria ſint *extincta*, & bona *vacãtia*, & ingens neceſſitas fundandi Seminaria, Collegia & Parochias. Eſſe autem in præſentia hanc neceſſitatem, ſupra demonſtratum eſt; neque contra hoc habent vllam vim, quæ idem P. Romanus hoc eodem numero refert ex P. Laymanno, videlicet

omnes incolas Superioris Palatinatus ad fidem Catholicam fuiſſe reductos, antequam vllum Collegium, aut Seminarium erectum, vel Monaſterium aliquod tranſlatum fuerit, tum quia non eſt eadem omnium prouinciarum ratio, tum quia non ad præſens ſolùm tempus videndum eſt, an fieri poſſit reductio hæreticorum ſine Collegijs & Seminarijs; ſed etiam prouidendum impoſterum, vt nunquam deſint, qui pergant in conuerſione hæreticorum, & conuerſos paſcere poſſint verbo & Sacramentis, cui rei commodè ſine copia bonorum operariorum è Collegijs, Seminarijs, & Gymnaſijs educendorum ſatisfieri nequaquam poteſt.

Num. XX.

SVMMARIA.

80. *Si fundatores Monaſteriorum has circumſtantias prauidiſſent, omnes attenti fuiſſent, vt Monaſteria transferrentur.*

81. *Affingitur P. Laym. quod nunquam dixit.*

82. *Probatur autem affingi.*
Falſum eſt fieri contra Fundatorum voluntatem transferendo Monaſteria in his circumſtantijs. ibid.
Eſt etiam ſcandaloſum aſſerere, non poſſe has translationes excuſari coram Deo ibid.

83. *P. Laym. ſcripſit pias voluntates Fundatorum non poſſe mutari niſi à Papa & ſubeſſe cauſas cur nunc mutentur, in quo nemini eſt ius quæſitum.*

80. *Numero XX.* duo facit Pater Romanus. primò quærit, cur aliqui dantaxat Fundatores translationi ſuorum Monaſteriorum aſſentirentur, & non omnes, cur hi magis, quàm alij? Reſpondeo Patrem Laymannum indefinitè docuiſſe, ſi hæ rerum circumſtantiæ in quibus eſt Germania, à Fundatoribus tantò antè præuideri potuiſſent; futurum fuiſſe, vt libentiſſimè aſſentirentur translationi Monaſteriorum ad vſus hoc tempore magis Eccleſiæ vtiles ac neceſſarios. quocirca non video, cur P. Rom. interroget de aliquibus, & non de omnibus. Id fortaſſe cauſæ erit, quod Pater Laymannus dixerit, non eſſe neceſſe transferri omnia Monaſteria, ſed ſolùm aliqua Monialium, & obſcuriora Virorum. Si Prælati Eccleſiæ iudicauerint neceſsè etiam eſſe, vt transferantur plura & nobiliora ex Monaſterijs *extinctis*, reſpondeo Patri Romano ex mente Patris Laymanni, fundatores Translationibus libentiſſimè aſſenſuros.

81. Deinde eodem numero ait, fruſtra ſe hic occupari, quippe cum fateatur Pater Laymannus, *coram Deo facilè excuſari poſſe, ſi in iure diuino ſtabilita fundationes, etiam contra Fundatorum mentem aliò conuertantur & applicentur;* fateri autem, hoc Patrem Laymannum, probat: quia in proœmio *Iuſtæ Def. nſ. num.* 2. dixit oppoſitam propoſitionem eſſe falſam & ſcandaloſam.

82. Qui ſemel, non verecundiæ ſolùm, ſed etiam ſimplicitatis fines tranſiliuit, hunc benè & grauiter oportet

oportet eſſe aſtutum. P. Laymannus *illo Numero XXII.* reddebat rationem, cur *illam defenſionem* ſcribendam ſuſcepiſſet. erat autem, quia in Epiſtola & ſeptem Rationibus tranſmiſſis Romam FERDINANDI ſecundi nomine ad Cæſareum Oratorem, quædam continerentur falſa & ſcandaloſa. vnum ex his erat, *quòd coram Deo vix ac difficulter excuſari queat, ſi in Iure Diuino ſtabilita Fundationes contra Fundatorum mentem & Inſtitutum aliò conuertantur & applicentur; prout in Iure commum ſalubriter cautum & ordinatum eſt; ne Defunctorum vltima voluntates vllatenus mutentur, ſed in ſtatu ſuo inuiolabiliter relinquantur.* Hæc aſſertio, prout ponitur, falſa eſt. Primò, quia falſum eſt, in his circumſtantijs fieri quicquam contra mentem fundatorum, qui ſua intentione principali ſpectarunt maius bonum Eccleſiæ: præterea falſum eſt, de Iure communi non poſſe mutari vltimas voluntates, ſi ſtatus rerum mutetur, & mutationes fiant in bonum longè melius, etiamſi enim fierent in æquipollens, eſſent ſecundùm Iura, vt benè tradit *Filliutius loco citato numero* 45. citans Bartolum, Baldum & Speculatorem. eſt etiam ſcandaloſum, quia cum Auctoritate Cæſarea & Pontificia non ſolum fuerint decretę, ſed etiam reipſa factę aliquæ Tranſlationes recuperatorum Monaſteriorum ad Collegia, Seminaria, &c. quis non videt quot ſcandala hinc oriri poſſint, ſi dicatur, huiuſmodi Tranſlationes *coram Deo vix ac difficulter excuſari poſſe*? Hanc ergò Aſſertionem pronunciauit P. Laymannus eſſe *falſam & ſcandaloſam*; non autem illam, quam fingit P. Romanus, hoc eſt, *facilè excuſari poſſe coram Deo, ſi in Iure Diuino ſtabilita fundationes etiam contra fundatorum mentem aliò conuertantur & applicentur*; hoc enim nunquam licet. Sed in caſu, in quo ſumus, ſtabilitæ in Iure Diuino Fundationes non conuertuntur contra fundatorum mentem, ſed iuxta mentem eorundem mutantur in melius.

83. Hinc progreditur P. Romanus ad oppugnandum, quod ſecundo loco aſſerebatur à P. Laymanno, per huiuſmodi Monaſteriorum Tranſlationes, non fieri Fundationum mutationem: ſed benignam tantum interpretationem per *Epykiam.* Aut ego fallor, aut tota huius quæſtionis pars eſt ab alio quàm P. Romani calamo; ita ſunt omnia plena fellis, & comparata ad vocandam Societatem noſtram in inuidiam. P. Laymannus hęc omnia aſſeruit in *Iuſta defenſ.* fol. 22. & ſequentibus. Primò, defunctorum voluntates, & pias fundationes à nemine mutari poſſe præter ſupremum Principem, qui in cauſis pijs & Eccleſiaſticis eſt Romanus Pontifex. Secundò hinc intulit, tametſi fateremur (quod verum non eſt) per tranſlationem horum Monaſteriorum ad aliũ Ordinem, vel pium vſum, Fundatoris voluntatem mutari, eam ipſam tamẽ facultatem ad Summum Pontificem, & ſuo modò ad Cæſarem Eccleſiarum omnium Patronum pertinere. Tertiò hoc maximè locum habere in Monaſterijs, & Eccleſiaſticis beneficijs, in quibus Papa plenariam diſpo-

Digitized by Google

ſitionem neſcitur habere. Quartò dixit, circa vltimas voluntates ac pias fundationes ob ſuperuenientem aliquem caſum, vel circumſtantiarum mutationem, ſecundum *Epykiam*, facere interpretationem, non *ad Suprema poteſtatu plenitudinem*, ſed ad *ordinariam* pertinere; ideoque Epiſcopis quoque aliquando competere poſſe. Poſtremò adiecit, in propoſito caſu, cum nihil Iuris alicui acquiſitum auferatur, propterea quod omnes in Monaſterijs de quibus agitur, mortui, eaque *extincta ſunt*, eorumque bona de Iure *vacant*; multò magis ad Romanum Pontificem pertinere, vt de illis ſuo arbitratu diſponat. Hæc P. Laymannus in quibus *cupio ſcire*, quid reprehendat P. Romanus.

Num. XXI.

SVMMARIA.

8 4. *Iniuſta querela P. Rom.* C. c. 21.
8 . *Inanis eiuſdem metus.*
86. *Et vanum augurium.*
87. *Et falſa illatio, dum ait priuata authoritate poſſe bona Eccl. applicare ad alium vſum.*
88. *Vel nunquam fore opus diſpenſatione Pontificia.*

84. *Numero* XXI. vehementer *admiratur, & ingemiſcit, in eas temporum iniurias nos incidiſſe, vt eiuſmodi prætextus, ac palliamenta rebus excogitatis quærantur & affingantur.* Vocat ergò prætextus & palliamenta doctrinas communiter ab omnibus receptas in Iure, bona Philoſophia, & optima ratione fundatas.

8. Deinde ait, *hac inaudita nouitate loquendi ſemel admiſſa, fore, vt exulet & euaneſcat omnis plenitudo poteſtatis Pontificiæ, præſertim circa vltimas voluntates*. Inanis metus. P. Laymannus enim nuſquam negauit, fore aliquando locum *plenitudini poteſtatis* Pontificiæ in commutatione vltimarum voluntatum; aſſeruit ſolum, tantam eſſe poſſe rerum & circumſtantiarum mutationem, vt à Summo Pontifice in melius commutari queant etiam *de poteſtate ordinaria*.

86. Tertiò auguratur, *nil tam difficile occurſurum impoſterum, quod per Epykiam & benignam interpretationem non poſſit eludi, vel per abuſum loquendi ad ordinariam poteſtatem detrahi & inflecti*. Nullum eſt periculum, non quotidiè occurrunt eiuſmodi mutationes rerum & circumſtantiarum: non in quocunque caſu apparet mutationes factum iri in maius Eccleſiæ bonum, & ad maiorem Dei gloriam: non paſſim occurrent *bona vacantia* Monaſteriorum *extinctorum*, in quibus maximè & ſimilibus caſibus P. Laymannus facit locum *Epykiæ, & ordinariæ poteſtati*.

87. Quartò falsò infert, ſi in Monaſteriorum tranſlationibus locum habeat *Epikia*; *poſſe poſthac non ſolum Catholicos ſua priuata authoritate, ſed etiam hæreticos huius virtutis actum exercere*, ſibique Monaſteriorum bona & in vſum aliquem meliorem applicare & conuertere. Falsò, inquam, hoc infertur ex doctrina P. Laymanni. diſertè

ſertè enim affirmauit, mutare vltimas voluntates, & pias fundationes ad Supremi Principis poteſtatem pertinere, noſque ſupra vberius explicauimus.

88. Poſtremò colligit, ſi *Epykia* ſit locus; non fore opus vlla diſpenſatione Pontificia. Malè colligit. neque enim ſemper, aut in omni materia locum habet *Epykia*: & tum ſine dubio opus eſt diſpenſatione, ſi quis legem obſeruare non velit. & licet fateatur P. Laymannus, & doceat Azorius tacitæ Interpretationi locum non eſſe, ſi in contrarium adſint verba expreſſa; hoc tamen non eſt intelligendum, quaſi nunquam poſſit fieri interpretatio per *Epykiam*, quando in contrarium ſunt verba expreſſa, quin potius, vt ſupra oſtendimus, nunquã *Epykia* vtimur, niſi quando verbis legis & diſpoſitionis expreſſis, caſus in quo verſamur, minimè comprehenſus iudicatur. Senſus ergò eſt, tacitæ Interpretationi locum non eſſe, ſi in contrarium adſint verba expreſſa, quando ex altera parte, caſum, in quo verſamur, legiſlator, aut is, qui diſpoſitionem fecit, videtur, aut non potuiſſe, aut non voluiſſe comprehendere.

Num. XXII.

SVMMARIA.

89. *Obijcit, ſequi ex doctrina P. Laymanni, litteras Fundationum deficere à recto.*

90. *Oſtenditur id non ſequi, & declaratur, quid ſit legem, vel diſpoſitionem vltimæ voluntatis deficere à recto.*

91. *Vitio vertitur à P. Rom. quod Societas expetierit ſolum Monaſteria Monialium deſerta.*

92. *Vituperatur ergò Modeſtia.*

93. *Obijcit ob eandem rationem transferendos eſſe Epiſcopatus Germaniæ.*

94. *Sed diſpar eſt ratio.*

95 *Obijcit non fore amplius bona Eccleſiaſtica, tranſlata ad Scholas, & Canones obſtant.*

96. *Malè Canon allegatur, & declaratur* c. ſemel, *de reg. Iur.*

97. *Alias vias fundandi Seminaria monſtrat P. Rom. in tranſlatione Monaſteriorum auferri Ius tertij.*

98. *Falſum eſt Ius vllius violari.*

89. *Numero* XXII. quia Leſſius docuit *Epykiam ſeu æquitatem eſſe virtutem inclinantem ad recedendum à verbis legis, quando ob vniuerſalem modum lex deficit à recto, vt intentioni legiſlatoris nos accommodemus, nam ſæpè caſus incidunt, in quibus malum eſſet verba legis ſequi*, P. Romanus hinc colligit, à P. Laymanno, qui in Tranſlatione Monaſteriorum *Epykiæ* locum fecit, iudicari literas fundationum deficere à recto, & fore malum, ſi verba piarum fundationum obſeruentur, aſſignando Monaſteria recuperata antiquis Ordinibus pro quibus ab iiſdem fundata fuerũt, & addit, hoc eſſe adoriri Pontificem Maximum Ordinibus antiquis Monaſteria adiudicantem: arguere iniuſtitiæ Imperatorem, eiuſdemque Edictum Generale, & reſcripta multi-

Digitized by Google

multiplicia, per quæ indefinitè Monaſteria ſuis Ordinibus addicuntur; perſtringere Principes ElectoresCatholicos, quorum conſilio & aſſenſu Edictum illud in Imperio promulgatum fuit: denique redarguere omnes locorum Ordinarios, ac Principes Germaniæ, qui Monaſteria de facto nouis confirmatis Abbatibus aſſignarunt.

99 Primò falſum eſt, P. Laymannum vnquam dixiſſe, verba ſeu litteras fundatorum hodie deficere à recto. Secundò, Multò minus dixit, fore malum, ſi iuxta verba piarum fundationum Monaſteria recuperata aſſignarentur antiquis Ordinibus. Perperam hæc deduxit P. Romanus ex definitione *Epykia* tradita à Leſſio, imò verò communiter ab omnibus Doctoribus, à ſe non benè intellecta; Doctores enim Theologi ſecuti doctrinam Ariſtotelis à nobis explicatam ſupra, vbi agit de *Epykia*, dixerūt, eam eſſe *quandam emendationem legis*, vbi lex *deficit, quæ tamen*, inquit Ariſtoteles, *nihilo minus recta eſt*. Senſus eſt, legem non poſſe paucis verbis comprehendere omnes caſus particulares: abiret ſiquidem in infinitum; ſtatuit ergò, *vel*, vt Ariſtoteles loquitur, *accipit quod plerumque fit, non ignorans quandoque deficere*; hoc eſt, non comprehendere omnes caſus, ac proinde aliquando recedendum eſſe à verbis legis. malè ex his infert P. Romanus, fore, vt *à recto deficiamus* & *malè agamus*; ſi in applicatione bonorum Eccleſiaſticorum *vacantium* illis, pro quibus fundata fuerunt reſtituamus. Alia omnia. Ex doctrina Theologorum ſolum inferri poteſt, in hoc caſu Monaſteriorum recuperatorum diſpoſitionem, quæ eſt tanquam lex fundatorum, & diſpoſitionis verba *deficere*, quoniam ij cùm non potuerint præuidere caſum, in quo ſumus, in quo Monaſteria ſunt *extincta*, bona *vacantia*, ingens penuria Paſtorum animarum, maxima opportunitas promouendi Religionem Catholicam: non eſt mirum, ſi palam non conſtet ex verbis, quæ ſit eorum mens: ac proinde in hoc caſu eorundem diſpoſitio cenſetur *defuere*, & conſequenter fit locus *Epykiæ* & interpretationi. Addo, in aliquo ſenſu poſſe etiam dici, fore malum, ſi Monaſteriorum recuperatorum bona *vacantia* penitus omnia, & ſine vlla diminutione reſtituantur antiquis Ordinibus, cùm enim Summus Pontifex, & Cæſar, vt Supremus Adminiſtrator ille, hic patronus, habent liberam horum bonorum diſpoſitionem, & ſine cuiuſquam iniuria poſſint ea applicare cuicunque operi pio, nec ignorent ex altera parte, quanta ſit neceſſitas virorum doctorum ac proborum, qui reductioni hæreticorum inſiſtant, & tanto numero iam reductos gubernent, ac regant, debeatque impoſterum prouidere, ne talium operariorum copia vnquā deſit, & in hiſce rerum anguſtijs non aliundè ſuppetant ſumptus ad alendos Parochos, Concionatores, Catholicos Ludimagiſtros, ad fundanda Seminaria, &c. his inquam omnibus poſitis, quî carere poteſt imprudentia, ſi omnium Monaſteriorum bona quæ-

Digitized by Google

quæcunque ſine vlla penitus detractione antiquis Ordinibus ac Religioſis reſtituantur, qui vix commode implere poſſunt Monaſteria, quibus reipſa potiuntur? Sed hęc aliorum iudicio relinquo. Illud ex animi mei ſententia audacter pronuncio, Pontificem Maximum non propterea antiquis Ordinibus Monaſteria adiudicaſſe, quod aliqua eiſdem de Iure reſtituenda eſſe cenſuerit; neque eandem ob cauſam argui Imperatorem iniuſtitiæ, aut perſtringi Principes Electores, aut redargui locorum Ordinarios, ac Germaniæ Principes. Sicut enim hi omnes Iure potuerunt antiquis Ordinibus, non ſolum aliqua: ſed pleraq; Monaſteria reſtituere, ſic ſine vlla prorſus iniuria, nonnulla ad alios pios vſus tranſcribere poſſunt.

91. Eodem numero. verſu *accedit quod*. ait videri *prorſus mirabile, quod P. Laymannus metiatur neceſſitatem mutandarum fundationum, non ex occaſione, ſeu neceſſitate animarum lucrandarum, ſed ex apprehenſione Monaſteriorum Monialium & Obſcuriorum duntaxat Virorum*, quæ *ſola*, inquit, *expeti intelligimus*.

92. Hem! quantum obſit etiam aliquando modeſtia! P. Laymannus, licet ſciret, quæcunque Monaſteria recuperata liberè poſſe applicari à Romano Pontifice & Cæſare Collegijs Societatis, & Seminarijs Clericorum inſtituendis; contendit tamen ſolum aliqua Monaſteria Monialium, quibus Monaſterijs ordinãdis, ne, ſiquidē vellemus, Moniales habere iam poſſemus, & aliqua obſcuriora Virorum, debere huic rei addici. Hanc ipſam moderationem P. Romanus vituperat, quaſi verò, ſi eiuſcemodi Monaſteriorum redditus Collegijs & Seminarijs applicarentur, neceſſarium foret in illis ipſis locis Collegia & Seminaria exſtruere, & Sacerdotes, qui ex Collegijs & Seminarijs educerentur, illorum tantum locorum incolis prodeſſe poſſent, non verò in omnes Germaniæ partes, quo Catholicę Religionis bonum inuitaret, dimitti.

93. Ibidem verſu. *deinde qui defendunt*. ex eo, quod tam ſæpè dictum eſt, Monaſteriorum recuperatorum bona eſſe *vacantia*, & ad vniuerſalis Eccleſiæ liberam diſpoſitionem deuoluta, ſequi aſſerit, *eaſdem ob cauſas poſſe etiam ad alios pios vſus transferri Epiſcopatus Germaniæ*, qui ab Hæreticis erepti ſunt.

94. Negatur id ſequi. rationem reddidimus quæſtione prima. Epiſcopatus cenſentur vacare, non verò *extincti* eſſe: adeoque non ſunt nullius immediati Domini, ſed Eccleſiæ illius particularis, quod, ſi ſupponamus nullum ibi eſſe Clerum, nullum fidelem, (quod tamen haud ſcio an de vllo Epiſcopatu dici poſſit) in eo caſu aio eiuſmodi Epiſcopatum fore etiam *extinctum*, deque ipſius bonis poſſe à Romano Pontifice liberè diſponi. Cæterum non facilè poſſent ea bona ad alium pium vſum transferri, ſiquidem ſuppoſita in ijſdem locis hæreticorum ad Catholicam fidem conuerſione, neceſſum etiam eſſet eidem Eccleſiæ ſuum Epiſcopum reſtituere.

95. Ibidem. verſu *taceo quod huiuſmodi bona.* obijcit, ſi bona Monaſteriorum, quæ ſunt Eccleſiaſtica, ad Academias transferantur; iam non fore amplius Eccleſiaſtica, vt teſtatur etiam P. Forer. in *Antimelandro part. 2. ca. 3. §. 1. n. 5.* & ſic talis Tranſlatio iterum non eſſet conformis Sacris Canonibus. *c. ſemel. de regul. Iur. in. 6.*

96. Quid huic homini facias, qui, vt ſe magnum Canoniſtam probet, nil penſi habet, an textus quos affert, ſint ad rem, an ſecus? Regula illa Iuris ſic habet. ***Semel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum.*** P. Romanus nomine *re* Deo *dicata* intelligit etiam Iura temporalia Monaſteriorum, de quorum tranſlatione ad Academias fundandas agitur: & aſſerit, non poſſe id fieri. quia deſinerent eiuſmodi bona eſſe Eccleſiaſtica contra hanc regulam. Nec aduertit, ex hac doctrina ſequi, non poſſe vnquam bona Eccleſiarum temporalia conuerti in vſus humanos, non alienari in laicos, quæ tamen quotidie fiunt. Sed ſi P. Romanus neſcit, quid in hoc textu intelligatur per *rem* Deo *dicatam*; diſcat à Gloſsâ, quæ ſic ait: *item nota quod dicit* dicatum, *quia bona Eccleſiæ, non dicata, vel cõſecrata benè tranſeunt ad humanos vſus.* Senſus ergò eſt, res dicatas Deo & conſecratas, vt ſunt ex eadem Gloſſa, *ligna antiqua* Eccleſiæ vetuſtate conſumpta, *veſtimenta Sacra, calices, ceteraq; vaſa ad ſacrificium deſtinata*, nefas eſſe ad humanos & ſæculares vſus transferri. Bona autem & Iura temporalia, domus, fundi, cenſus, aliaque Iura ſimilia, non dicuntur res Deo dicatæ & conſecratæ, in ſenſu, quo loquitur Regula; ideoque hic textus eſt penitus impertinens: quicquid ſit an bona Eccleſiaſtica tranſlata ad Academias incipiant non eſſe Eccleſiaſtica.

97. Poſtremò, verſu. *prorſus inhumanum eſt.* recitatis verbis Authoris *ſuſcepta Cæſarea defenſionis. cap. 3.* vbi monſtrantur variæ viæ erigendi Collegia, & Seminaria, &c. ſine Monaſteriorum tranſlatione, ſubdit, iniquiſſimũ omninò fore, ſi, quando alia via Reipubl. laboranti ſuccurri poteſt, Princeps *Ius tertij* per Sacros Canones, imò etiam per ſpecialia pacta, & Concordata quæſitum, auferre velit, & à quibuſdam præterea Cæſar in conſcientia obligetur ad Monaſteria transferenda.

98. An viæ erigendorum, &c. ab illo Auctore commonſtratæ, ſint faciles & expeditæ; nolo curioſius examinare. An Concordatis Germaniæ repugnet Tranſlatio Monaſteriorum, dicetur quæſtione ſequenti; nunc dico, hac tranſlatione non auferri *Ius quæſitum tertij*, quia nec Ordines antiqui, nec vllus alius, vt toties demonſtratum eſt, quicquam Iuris habet quæſitum in his Monaſterijs *extinctis*, & his bonis *vacantibus*.

Num. XXIII.

SVMMARIA.

99. *Atrox calumnia.*
100. *Depellitur.*

99. *Numero XXIII*, non magis barbara phraſi

phraſi quam ſententia Auctor, quicunque ille ſit huius partis (nam P. Romanum eſſe non poſſum in animũ inducere meum) poſt relata, quæ P. Laymannus de vltimarum voluntatũ, & piarum fundationum benigna Interpretatione per *Epykiam* dixit, infert *hunc finem eſſe finalem nouitatum ac ſubtilitatum, quando regiam deſerimus viam, vt Sacris Canonibus & omnibus bonis nos opponere denique ſit neceſſe: Hac monſtra naſci non ex ſubtilitate, ſed proprij ingenij ruſtica fiducia nouitatumq́; libidine: ſimili errore abduci ſe paſſum fuiſſe, qui ſuperioribus annis Grecij in Styria, neſcio qua Theoremata de anno ortus, ac mortis Chriſti diſputanda propoſuit, quem poſtea ſeueriſſimè caſtigauit Cardinalis Baronius.*

100. Vtinam hic Author, qualiſcunque illis ſit, Cardinalis Baronij modeſtiam ſingularem voluiſſet imitari, longè melius profectò, & famæ doctiſſimi viri, qui ſolum velitandi gratia Theoremata illa propoſuit, & ſuæ conſuluiſſet. Quid obſecro nouitatis habent aſſertiones à P. Laymanno allatæ. Num P. Romanus negare poteſt Romano Pontifici Eccleſiarũ, Perſonatuum, dignitatum, aliorumq; beneficiorum Eccleſiaſticorum plenariam diſpoſitionem? *cap. 2. de praeben. in 6. Clement. 1. de vtilit. pendent.* Num eidem dicet, non competere Ius applicandi bona & res huius Eccleſiæ particularis ad aliam, aliamq; perſonam? *Gloſſa cap. 1. diſt. 22. Panorm. cap conſtitutus de Relig. dom. n. 25.* An negabit, commutationes vltimarum voluntatum ex iuſta & neceſſaria cauſa licitè fieri poſſe? *Conc. Trident. Seſſ. 22. c. 6. de reformat.* An denique aſſeret, non poſſe Romanum Pontificem, etiam in aliquo caſu interpretari mentem fundatorum eſſe, vt ſi in maius Eccleſię bonum poſtulet; negligatur ipſorum Intentio particularis, quæ minus principalis eſt, obſeruetur Generalis & primaria? At diſplicet nomen *Epykia* & benignæ interpretationis. Si hoc non placet; ſubſtituatur aliud. Rem tenemus de vocabulo cur ſolliciti ſimus?

Num. XXIV.

SVMMARIA.

101. *Monachorum conſternatio.*
102. *Irrationabilis.*

101. *Numero XXIV.* Oratoriè deplorat Monachorum iuſtam conſternationẽ, quod huiuſmodi Argumentis videant, ſterni viam ad interitum Monaſteriorum omnium: Siquidem ex illis ſequitur, per benignam interpretationem, omnes Monachos ac Moniales è ſuis domicilijs expelli poſſe, & in eorum locum alios ſubrogari, idque docere Societatis Patres, immemores tot beneficiorum ab antiquis Ordinibus acceptorũ, & (quod deplorandum eſt magis) hæc illos docere contra veram, ſanam, fidei boniſque moribus conformem doctrinã.

102. Patres Societatis nihil docuêre hactenus in hac Monaſteriorum materia, quo pectora antiquorum Religioſorum meritò concutiantur: quî enim ſequitur, vt ſi pauca Monaſteria ante octoginta annos extincta eidem

Z 2 Ordi-

Ordini non reſtituantur; illicò cætera omnia, quæ per Dei gratiam vigent, florentque, *extingui* poſſint? An verò iidem Patres amantes ſint veræ, ſanæ, fidei bonisq; moribus conformis doctrinæ, integræ Bibliothecæ loquuntur. nec P. Romanus facilè Mundo perſuadebit contrarium. porrò ingrati animi nota, quàm ſit aliena ab hominibus Societatis, nemo melius teſtari poteſt, quā ipſe P. Romanus. Sapienter dicebat primarius quidā vir, *quodlibet peccatum ſe crediturum potius admitti poſſe à Socijs, quam vt eſſent ingrati*; neque vllus hactenus, quod ſciam, præter P. Romanum, illis beneficia exprobrauit & *ingratitudinem.*

Num. XXV. & XXVI.

SVMMARIA.

103. *Exprobatur Societati Collegiorum numerus.*

104. *Sed iniuria ac temerè.*

103. *Num. XXV. & XXVI.* multipliciter carpit, quod alicubi dixerat P. Laymannus, à Societate aliena bona non appeti, expeti ſolùm bona aliquorum Monaſteriorum *vacantia*, non propter ſe, ſed vt ſint in ſuſtentationē plurium ad fidei Catholicæ propagationem in Germania incumbentium: illudque inprimis obſeruari vult, an expediat Societati tanta Collegiorū multitudo, & qua ratione non violetur per eiuſmodi deſideriū illud Decalogi præceptum: *non concupiſces rem proximi tui.*

104. Omninò ita eſt. Societas bona Monaſteriorum expetiuit, non vt lautius viueret, non vt voluptatibus ac delicijs indulgeret: ſed vt laboribus in Dei cauſa & Catholicæ Religionis ſubeundis materiam habere poſſet. An profutura ſit Societati Collegiorum multitudo, & vtrum ea repugnet Societatis inſtitutis; non pertinet ad P. Romanum, qui meminiſſe deberet, nō oportere quenquam in aliena Republ. eſſe curioſum; & numerum Monaſteriorum in Ordine S. Benedicti, quo tempore viuebat Tritemius, habentium Abbates, vltra quindecim millia extenſum fuiſſe, exceptis Præpoſituris & Cænobijs Monialium: & quod ſcribit Tolengius eiuſdem Inſtituti Monachus *in Pſalm.* 102. Pontificijs decretis referri, vno eodemque tempore Benedictini Inſtituti fuiſſe ſupra ſeptem & triginta millia Cœnobiorum, quas Abbatias vocari libuit. Porrò, tum Iure dixiſſet P. Romanus, violari decimum Decalogi præceptum per deſiderium Monaſteriorum; ſi oſtendiſſet, Monaſteria eſſe ſui Ordinis, cùm autem à nobis oſtenſum fuerit, eorum bona eſſe *vacantia*, nulliusque immediati Domini; ſed ſub libera Romani Pontificis & Cæſaris diſpoſitione; cui perſuadebit P. Romanus, adeò magnum eſſe piaculum, quod Patres Societatis aliqua ex iiſdem Monaſterijs, vel vltrò oblata acceptent, vel non oblata concupiſcant legitima ſibi authoritate ad Reipubl. Chriſtianæ bonum concedi?

THEORICA RESPONſionis ad Septimum Argumentum.

Num. XXVII. vſque ad XXXI.

SVMMARIA.

105. *Non ſunt metuenda adiurationes & comminationes Fundatorum in trāſlatione Monaſteriorum facienda.*
106. *Deo ſolùm iniuſta occupationes diſplicent.*
107. *PP. Societatis non ſuadent, donari bona Eccleſia Laicis & Puellis, & Prædicantibus abſolutè.*
108. *Sed eo modo quo ſuadent, rectè ſuadent.*
109. *Negat P. Rom. ſtatutum fuiſſe à Sum. Pont. aliquorum Monaſteriorum bona transferri.*
110. *At affirmat Congregatio de fide propaganda.*
111. *Etiam Monachi laborant in Hæreticorum reductione: ideò non eſſe opus Monaſteria transferri.*
112. *Aliter ſenſêre Ordinarij, Cardd. S. Pontif.*
113. *P. Rom poſtulat cauſam notoriam ad transferenda Monaſteria.*
114. *Non deeſt.*

105. Poſtquam P. Laymannus docuiſſet in Translatione Monaſteriorum ad Collegia, Seminaria, &c. in his circumſtantijs, non violari pias fundationes, imò ipſos fundatores libenter aſſentiri & credi poſſe ſuam voluntatem iuſtiſſimo Eccleſiæ Prælatorum iudicio ac Diſpoſitioni ſubijcere; intulerat, non obſtare debere adiurationem & malorum comminationem diſpoſitioni ſeu fundationi piæ adiunctam, contra eum, qui Iura & bona relicta aliò transferre præſumpſerit. Nam talis comminatio haud dubiè intelligi debet ſecundum terminos Iuris & Sanctorum Canonum diſpoſitionem: vt ſenſus ſit, nihil illicitè, irrationabiliter, aut non cum legitima authoritate immutandum, ſeu nihil iniuſtè auferendum, vel transferendum eſſe. Addiderat etiam falſum eſſe, quòd Sancti in cœlo laceſſantur, ſeu ad vindictam prouocentur, ſi quædam Monaſteria alteri Ordini, aut pio vſui legitima Superiorum Authoritate applicentur: nec Aduerſarium demonſtrare poſſe Deū ſigno aliquo, aut miraculo comprobaſſe, eiuſmodi translationem Monaſteriorum ad Collegiorum ac Seminariorum erectionem diuinæ ſuæ Maieſtati diſplicere. Totum ergò hoc P. Rom. propoſuit ſibi refutandum ſeptimo loco.

106. *Numero* ergò *XXVII.* varia affert miracula, quibus oſtendat, quod Pater Laymannus cupiebat, diuinæ Maieſtati diſplicere hanc Monaſteriorum Translationem. Sed nihil ad rhombum; legantur, quæ recitat; deprehendetur, ſolùm Deo diſplicuiſſe illicitas, iniuſtas, ſubdolas bonorum Eccleſiaſticorum occupationes, ac deprædationes.

107. Eodem numero verſu. *Vnde nō immeritò*, affingit Patribus Societatis, quaſi

quaſi Summis Eccleſiæ Principibus perſuadere conentur, vt bona Monaſteriorum non ſolùm donentur laicis, & puellis, & nobilium filijs; & Seminarijs Iureconſultorum erigendis, ſed etiam ipſis præconibus hæreticis, eorumque familiæ, quos conſtat, hactenus omnes turbas ac ſeditiones in Imperio contra Catholicos inflammaſſe.

108. Sed quod tandem crimen eſt hoc? quis prudens reprehendere poteſt, ſi ad Catholicam Religionẽ conſeruandam & propagandã, bona Monaſteriorum *Vacantia* etiã ludimagiſtris & pijs matronis aſſignentur; vt pueros puellaſque in Catholica fide erudiant: nonnulla etiam portiũcula eorundem bonorum aſpergantur, ſi qui miniſtri hæreticorum cum ſuis familijs abiurata perfidia, ad veræ Religionis caſtra ſe transferant; quandoquidem conſtat, genus hoc hominum plerumque nulla alia difficultate prohiberi, quo minus Catholici fiant, quàm quod vereantur, ne fame pereant? hoc eſſet conferre beneficia non in hoſtes, ſed in filios Dei olim prodigos diuinorum omnium bonorum, nunc autem ad miſericordiarum Patrem, ſcelerum pertæſos ſeriò licet ſerò reuertentes.

109. *Num. XXVIII.* reſpondet obiectioni, qua dici poterat, Pontificem iã declaraſſe faciendas eſſe huiuſmodi Translationes: ac proinde contrariũ tueri, eſſe repugnans Eccleſiaſticæ libertati, communi Doctorum ſententiæ, Cæſarum Catholicorum conſuetudini, Eccleſiaſticæ traditioni; vno verbo, eſſe ſcãdaloſum & falſum. Reſpondet autem negando factam eſſe eiuſmodi reſolutionem, nec ſe teneri hoc credere parti aduerſæ.

110. At credat ſaltem Congregationi de propaganda fide, credat Eminẽtiſſimis Cardinalibus Barbarino & Pallotto, qui vt ſupra vidimus, id ſuis literis teſtantur.

111. *Num. XXIX.* reperit (ſed quorſum neſcio) in eadem meſſe, vt ſcilicet hæretici ad Catholicam fidem redeant, operam ſuam collaborando locaſſe vtiliter præter aliorum Ordinum Religioſos, Patres Ordinis S. Franciſci, proinde non eſſe neceſſe, vt Monaſteria mutentur in Scholas, Seminaria, Collegia &c.

112. At Illuſtriſſimi Ordinarij, Auguſtiſſimus Cæſar, Sanctiſſimus Pontifex, Eminentiſſimi Cardinales aliter ſentiunt, non enim prouidendum ſolum eſſe exiſtimant in præſens, ſed etiam in futurum Catholicæ Religiõni & conſeruandæ, & propagandæ.

113. *Num. XXX.* inculcat, ſed fruſtra, bona Monaſteriorum non poſſe Regulariter & abſque cauſa iuſta, clara, notoria, ad alium vſum transferri; & ſi contrarium fiat; affici iniuria Fundatores, quorum voluntati legitimæ & rationabili non ſtatur, imò læditur vtilitas publica, cultuſque Religionis; cùm inde rouocẽtur homines à ſimilibus legatis faciendis, dum rationabiliter meruunt id ſibi ſuiſque fundationibus olim futurum, quod alijs fieri vident.

114. Caſus in quo ſumus, vacat omni periculo. cauſa applicandi aliqua bona

bona Monaſteriorum Collegijs, Seminarijs &c. iuſta eſt, certa, clara, notoria. fundatores, vt vidimus, libentiſsimè aſſentiuntur, neque dubitandum, quin ij, qui vident eiuſmodi bona legitimâ Authoritate impendi ad reſtituendam collapſam Religionem, ad propagandum diuinum cultum, ad Chriſtianæ Reip. maximum bonum, animentur potiùs, quàm deterreantur à ſimilibus fundationibus.

THEORICA RESPONſionis ad Octauum Argumentum.

Num. XXXI.

SVMMARIA.

115. *Monachi ſoli non ſatis ſunt neceſſitatibus ſpiritualibus Germaniæ.*
116. *Ideò aſciſcendi etiam alij.*
117. *Religioſos non dedecent ſtudia literarum Humaniorum.*
118. *Conc. Trid. vult, aliqua bona Monaſteriorum applicari Seminarijs.*
119. *Beneficia Eccleſiaſtica pro Clericis, non pro Monachis primitus inſtituta.*
120. *Varius vſus bonorum Eccleſiaſticorum transferendorum.*
121. *Non omnes redditus Monaſteriorum deſeruiunt canentibus in Choro.*

115. Docuerat P. Laymannus Germaniæ ſtatum hoc tempore indigere Scholarum magiſtris, & Seminarijs ac Gymnaſijs, ex quibus educi poſſent Curatores animarum, &c. nec videri, ſolos Monachos ſufficere ad Iuuentutis inſtructionem, ſacram Theologiam, ac fidei Controuerſias docendas, & ad Clericos pro cura animarũ præparandos; præſertim cum eiuſmodi Religioſi plerumque habitent extra vrbes: Scholæ autem & Seminaria Clericorum nō niſi in vrbibus iſto rerum ac temporum ſtatu locum habere & frequentari poſſint.

116. *Num. XXXI.* P. Romanus breuiter reſpondet, hoc Argumentum præſupponere, Monachos, omnes Academias, & Gymnaſia per Germaniam Societati erepturos. Nil tale ſupponit; ſed, cùm Scholis & Seminarijs inſtituendis haud dubiè Monachi ſufficere nequeant, nec facilè huic muneri ſatisfacere poſſe videantur, proptereà quòd eorum Cænobia extra mœnia ciuitatum ferè ſint; Argumentum probat, eſſe aſciſcendos vlterius profeſſionis homines, qui Scholas & Seminaria regant, adeoque neceſsè eſſe, vt aliqua bona Monaſteriorum Monachis non reſtituantur.

117. Ibidem §. *verum quia.* ex occaſione quòd Pater Laymannus fol. 68. reſpondens Authori Annonymo malè ſentienti de munere docendi in Scholis, docuerat id non duxiſſe alienum à ſe primos Eccleſiæ Patres, idque ex Eccleſiaſtica traditione comprobari; Pater Romanus reſpondet, Chriſti, Apoſtolorum & antiquorum Patrum Magiſterium fuiſſe cæleſte, diuinas illos literas docuiſſe, & fuiſſe Profeſſores Euangelij, non Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ, ſeu Philoſophiæ, multò minus conſumpſiſſe integros

annos

annos in exponendis fabulis Virgilij. Naſonis, aliorumque Poëtarum, & Lenocinijs Oratorum: & affert nō pauca, in quibus, ſi ipſe fabulas & Rhetorum Lenocinia ignoraret; tam facundus non eſſet. Proteſtatur ille quidem, ſe Academiarum exercitia Scholaſtica nequaquam improbare velle; atqui cum hæc proteſtatio ſit contraria facto; proteſtantem non purgat. Legat, quæ ſcribit Pater Suarez. *tomo quarto de Relig. lib. quinto de Inſtit. Societ. cap. 5.* meminerit Sanctum Paulum non indiligenter fuiſſe verſatum in carminibus Poëtarum etiam Comicorum; recordetur Paulini, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Baſilij, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, &c, vituperet ſi poteſt, ſtudia Humanitatis. Sed pergo ad alia.

118. Ibidem *verſu, ſed iam alibi.* reprehendit quod P. Laym. dixerat, mereri cenſuram Authorem illum Annonymum, qui affirmauerat, ſi Monaſterium mutetur in Scholam, aut Academiam; id fieri contra praxin Eccleſiæ, & non eſſe Translationem ſed Enerſionem; quia à ſtatu Religioſo transferatur in Sæcularem; adeoque in minus bonum. Reprehendit autem P. Laym. ob rationem, quam adduxerat, vt probaret, nō eſſe contra praxin Eccleſiæ, quia Conc. Trid. *Seſſ. 23. c. 18. de Reform.* decreuit, vt etiam ex Abbatijs & Prioratibus cuiuſcunq; Ordinis portiones detraherentur ad Clericorum Seminaria erigenda. Ait P. Rom. conſequētiam eſſe nullam; quia aliud eſt Monaſticorum prouentuum portiones Seminarijs applicari, aliud Monaſteria mutari in Scholas. P. Laym. non laborat, vt ædes materiales Monaſteriorum aut Eccleſiæ conuertantur in Scholas & Gymnaſia; ſed vt bona temporalia Monaſteriorum Scholis & Gymnaſijs applicentur; cùm autem Conc. Trid. iuſſerit applicari aliquam partem redituum; non potuit iudicare, eſſe contra praxin Eccleſiæ, ſi aliqua etiam bona Scholis & Gymnaſijs transſcriberentur.

119. Ibidem verſu *porrò grauiter.* perperam interpretatur verba P. Laymanni, quæ habentur fol. 381. aſſerentis, beneficia Eccleſiaſtica primitus inſtituta fuiſſe non pro Monachis, ſed pro ijs, qui publicum Eccleſiæ miniſterium præſtarent. Interpretatur enim ſic, quaſi obijcere voluerit P. Layman. Monachis, quod Hæretici non ſine maxima iniuria faciunt, eos eſſe inutilia terræ pondera, & ignauos, cum tamen P. Laymannus illud dumtaxat aſſeruerit, vt colligeret non eſſe alienū ab inſtituto Eccleſiæ, ſi bona Monaſteriorū iā *extinctorū*, quādo Eccleſiaſtica ſunt, ijs deſeruiāt, qui publicū Eccleſiæ miniſterium præſtant.

120. Ibidē §. *Sed & Catholici.* plutibus irridet, quòd P. Laym. aſſeruerit inter alia, bona Monaſteriorū eſſe etiā neceſſaria ad coëmēdos Catholicos ſeu Catechiſticos libellos, roſaria, & ſimilia, ad iuuentutem inſtruendam & conciliandā. Quaſi verò vnā hanc attulerit cauſam P. Laym. cur Monaſteriorū bona aliò trāsferēda ſint. paſſim affirmauit, eſſe ſummam neceſſitatem fundādi Collegia, Seminaria, Gymnaſia, inſtaurandi Parochias, præſertim in pagis,

Digitized by Google

in pagis, in quibus vel nullæ ſunt, vel ſi ſunt, tam exiguos prouentus habent, vt ſacerdotes ſe ex ijs honeſtè alere nō poſsint, ne dum templa ab hæreticis derelicta, ac deformata, ſqualore ac ſordibus repleta repurgare, inſtaurare, ornare ſacra ſupellectile inſtruere, vt decet. Addidit etiam, eſſe aliquos ſumptus faciendos ad ſacra illa munuſcula coëmenda, quibus tenera puerorum ætas facilè capitur, & ad Catholicam Religionem afficitur. Quid ex his non verè dictum eſt? Quid ludibrio ac ſannis iure expoſitum?

121. Ibidem §. *ſed aliam denique.* vt oſtenderet P. Layman. non fore alienum à mente & primaria intentione fundatorum, ſi aliqua Monaſteriorum bona applicentur Collegijs, Seminarijs &c. vſus fuerat etiam eo argumento, quòd in Religionibus deputatis ad Chorum, ſint non pauci, qui ob alias occupationes à Choro exempti ſunt, & tamen Monaſteriorum prouentibus fruuntur. P. Romanus reſpondet, ineptam & ſtultam eſſe quæſtionem hāc, num Monachi qui de ſuorum fundatorum voluntate à choro liberi ſunt, habiles iuxta fundationem cenſeri debeant ad Monaſterij fruendum reditibus. At non ſequi hinc, Patres etiam Societatis, iuxta fundationem habiles eſſe quantumcunque doceant, concionentur, Sacramenta miniſtrent, quia fundatio facta eſt Monachis non Doctoribus aut Concionatoribus &cæt. Cauillatur. P. Laymannus ſolùm hinc intelligi vult, non cenſeri debere alienum ab intentione primaria fundatorum, ſi bona à ſe Deo donata, in his rerum circumſtantijs ad augmentum diuinæ gloriæ & Religionis cultus, totque animarum ſalutem alò conuertātur. Si enim voluerunt bonorum à ſe donatorum prouentus in Monaſterijs cedere etiam in vſum fabrorum, coquorum, &c. quis ſanæ mentis exiſtimare poteſt, ſi contingat Monaſteria *extingui*, ſitque tanta neceſsitas bonorum operariorum; ægrè laturos eoſdem fundatores, ſi ea bona Collegijs Seminarijs, &c. tranſcribantur.

THEORICA RESPONſionis ad Nonum Argumentum.

Num. XXXII. vſq; ad XXXIX.

SVMMARIA.

122. *P. Rom. Paradoxa.*

123. *1. Officium docendi Monachis vtiliter conuenire.*

124. *2. Occupationes docendi, non abducere ab obſeruatione Monaſtica.*

125. *3. Non magis mutari Inſtitutum Monaſticum, ſi vnus vel alter, quàm ſi integra Cœnobia ſtudia tractent.*

126. *4. De recitatione horarum Canonicarum.*

127. *5. De Doctoribus Eccleſiæ.*

128. *Plures Monachos eſſe aptos ad docendum, gratulandum eſt.*

129. *Nemo poteſt Eccleſiæ deſeruire, & in regula Monaſtica perſiſtere, dictum S. Gregorij.*

130. *Pat. Societat iudicati à S. Congregat. aptiores ad regenda Seminaria. C.c.23.*

122. Id vnum videtur eſſe propoſitum P.Romano tota hac reſponſione, vt varijs Aſſertionibus hinc indè collectis ex *Iuſta Defenſ.* P.Laym. totidem paradoxa opponat.

123. Primum habetur *Num. XXXII.* vbi ait: Officium docendi Monachis poſſe rectè & vtiliter conuenire, ac proinde regere Collegia, gubernare Seminaria, publicas ſcholas aperire, Gymnaſijs præeſſe, vno verbo, Monachum eſſe deſinere.

124. Secundum eſt. *Num. XXXIII.* quòd prædictæ occupationes non abducant ab obſeruatione Regulæ Monaſticæ, ex cuius præſcripto Monachi omnes diurnis, nocturniſque horis in Choro Deo laudes canere, & quod ſupereſt temporis, diuinarum rerum contemplationi tribuere debent. Perindè eſt, ac ſi diceret, vitæ purè contemplatiuæ ſectatores, decet eſſe actuoſos.

125. Tertium eſt. *Num. XXXIV.* dum ait, non magis mutari inſtitutum Monaſticum, ſi quotquot ſunt neceſſaria Collegia, Seminaria, Scholæ, Parochię, adminiſtrentur ab integris Cœnobijs Monachorum, quam mutatum fuerit, quando vnus S. Benedictus ad repurgandum montem Caſſinum ab Idololatriæ vepribus eremo relictâ Apoſtolico ſe operi accinxit.

126. Quartum, *Num. XXXV.* vbi aſſerit, eò quod propter labores manuum, & ad colligendas meſſes S.P. Benedictus nonnunquam concedere ſolitus fuit Monachis licentiam recitandi in agro horas Canonicas, non fore iam contra Inſtituti Monaſtici rationem, ſi plena Cænobia euocentur ad regendas Scholas, Academias, Parochias, &c.

127. Quintum *Num. XXXVI.* dum dicit, propterea quod ex octo Eccleſiæ Latinę, Græceq; Doctoribus plerique Monachi fuerint, eſſe conſentaneum Monaſtico Inſtituto maximam Monachorum partem Scholis, Gymnaſijs, & Seminarijs addicere. Hactenus paradoxa.

128. *Num. XXXVII.* iubet P. Laym. non eſſe ſollicitũ de ſufficienti numero Monachorum pro Monaſterijs reſtituendis, quaſi propterea aliqua Monaſteria ad alios Ordines transferenda ſint: *quia multò plures, inquit, ſunt in cælo ſtellæ quam apparent.* Eſt ergò cur gratulemur Monaſticis Ordinibus de tanta Luce.

129. Ibid. reſpondet, dictum S. Gregorij *Nemo poteſt Eccleſiaſticis obſequijs deſeruire, & in Monaſtica regula ordinatè perſiſtere.* Non eſſe intelligendum de Monachis, ſed de ſæcularibus Clericis, qui Monaſterijs præeſſe, ſed nec habitum recipere, nec priores Eccleſias relinquere volebant, vt notauit Gloſſa *in c. nemo q. 16. q. 1.* eſt tamen ad rem noſtrã. Oſtendit enim non benè conuenire, vt ait eadem Gloſſa, hæc duo inter ſe, *miniſterium Eccleſiaſticum* & *Diſtrictionẽ Monaſticam*, ac proinde Monachos, ſi regulari obſeruantiæ pro ſui inſtituti ratione velint inſiſtere, non debere ſupra enumeratas occupationes affectare.

130. *Num. XXXVIII.* quia P.Laym. fol. 86. conferendo Societatem cum alijs Ordinibus, retulerat, Cardinales Sacræ Congregationis Concil. Trid. cenſuiſſe *in Seminarijs, ſi reperiantur Ieſuitæ,*

ſuita, cæteris anteponendos eſſe, vt ſcilicet Clericos inſtituant, &c. ait, verba Sacræ illius Congregationis non eſſe à P. Laymanno integrè allegata. habent enim *in Seminarÿs conducendũ eſſe Grammaticum & Muſicum*, qui pueros inſtruant, & ſi reperiantur Ieſuitæ; cæteris anteponendos eſſe. ex quibus ridiculè infert, aptiores fore Monachos, qui ætatem in Choro cõſumunt, & ex Inſtituto, cantui vacant, quàm Ieſuitas, qui ex vocatione propria nunquam canũt. Vtri magis idonei freturi ſint, eſto iudicium Eminentiſsimorum Cardinalium. hoc habeo affirmare ſeriò Pat. Romano, Societatem libentiſsimis animis ceſſuram hunc locum Monachis.

THEORICA RESPONſionis ad Decimum Argumentum.

Num. XXXIX. vſq; ad finem

SVMMARIA.

131. *Societas à P. Rom. arguitur ingratitudinis, ideoq; poſſe omnes donationes illi factas à Monachis reuocari.*
132. *Grauiſsima querela poſtulatur diſtinctius proponi.*
133. *Proponitur: & primum caput eſt, quod Societas dixerit, Regulam S. Benedicti non obſeruari.*
134. 2. *Quod Cæſar iniecta Religione retardatus ſit à reſtituendo ſuis Ordinibus Monaſteria.*
135. 3. *Quod Societas talia molientes non damnet.*
136. 4. *Quod Præpoſ. Generalis non prohibeat.*
137. *Reſpondetur ad primum.*
138. *Ad Secundum.*
139. *Ad Tertium.*
140. *Non debuit Societas negare facultatem ſcribendi.*
141. *Reſpondetur ad quartum.*
142. *Et purgatur Præpoſ. Generalis.*

131. Huius Reſponſionis Examen potuiſſet negligi, cum Argumentum, quod ea confutatur, non ſit Pat. Laym. ſed Authoris illius Anonymi, qui *Placidam Diſceptationem* ſcripſit. Sed quoniam P. Rom. grauiſsimam iuxta atq; iniuſtiſsimam interſerit accuſationem Societatis, non debeo vlla ratione diſſimulare. Primò ergo P. Roman. pluribus contendit, diſciplinam Monaſticam in Ord. S. Benedicti non eſſe relaxatam, licet introducta ſit aliqua mutatio in veſtitu, & in eſu carniũ, ac proinde palmarem eſſe iniuriam, quâ idẽ Ordo affectus eſt ab Authore *Placidæ diſceptationis*, dum dixit, *antiquos Ordines nomen ſolum Antiquitatis gerere recens interpolatos eſſe & nouos Quirites, alio genere morum.* Hanc ego reſponſionis partem examinare non volo: nec abnuo, Ordinem S. Benedicti tenacem eſſe Monaſticæ diſciplinæ, nec probo eiuſmodi dicteria. quod ergò ad Societatem pertinet, eſt illud quod ſecundo loco Pat. Romanus addit, vbi toti Societati noſtræ tanquam turpiſsimi criminis ingratitudinis reæ diem dicit, & ab eadem legibus ſtatutas pœnas repoſcit, vt ſcilicet Societatis homines non ſolum impoſterum ab Ordinibus

Digitized by Google

S. Benedicti & Ciſtercienſi cenſeantur indigni hoſpitio, beneficijs, Eleëmoſynis, vt hactenus fuêre affecti: ſed etiam, quemadmodum viri Clariſsimi iudicant, reuocentur omnes donationes Societati ab ijſdem Ordinibus factæ, propter turpiſsimum ingratitudinis vitium, &, ſi benignius agẽdum ſit, ſaltem eo vſque cenſus annui, reditus, & prouentus ex bonis donatis ſuſpendantur, quoad publicis ac prælo commiſsis recantationibus, tam graues iniuriæ & damna de expellendis, & ad recuperanda ſua Monaſteria ſecũdum iuſtitiam, non admittendis Ordinibus antiquis, retractentur, abſtergantur & extinguantur: *Sic fiet*, inquit, *vt hac ratione ſcriptores & euulgatores iſti, vel qui talia prohibere poterant aut debebant: nec probibuerunt, ſentiant in facto, quàm malè Societati vniuerſa* patrocinati fuerint.

132. Grauiſsima eſt hæc accuſatio, crimen atrociſsimum, & me iudice, dignum non ſolùm pœnis à P. Romano commemoratis, ſed longè maioribus, ſi probetur. Duo tamen pro munere Aduocati, quo fungor in hac cauſa, poſtulo, Alterum vt paulò diſtinctius Accuſationis capita ponantur; alterum, ne inauditi damnentur Rei.

133. Primum caput eſt, quòd Author *Placida diſceptationis* dixerit; Regulam S. Benedicti *hodie in Germania nuſquam obſeruari carnes vetantem, ieiunia multa imperantem*, quodque Monachi, qui nunc ſunt *non ſint antiqui Ordines, nomen eos ſolum Antiquitatis gerere, nouoſq; Quirites eſſe alio genere morum*, adeoque non ſolum non debere ad recuperata Monaſteria admitti, ſed, niſi ſe reformari patiantur, poſſe etiam à ſuis, quæ poſsident, expelli, & quod eiuſmodi ſcripta non ſolum typis excudantur, ſed exemplaria cum applauſu euulgentur, & ipſi diſtributores velut de hoſte egregia reportata vindicta glorientur.

134. Secundum caput eſt, quòd poſt latam à Supremo Principe iuſtiſsimã, & à Summo Pontifice comprobatam ſententiam Edicti, iniecta Religione miniſque Romanorum Imperator, eò vſque per falſa narrata conſtringatur, vt à conſecutione bonorum & hæreditatis ſibi ſecundum omnia Iura & Concordata debitæ Ordines antiqui rem iudicatam pro ſe tenentes iam excludantur.

135. Tertium, quòd in paucorum facto, in eiuſmodi rebus ſcribendis ac vulgandis, communitas ipſa nullum hactenus delictum agnouerit, ſed potius varijs modis adiuuerit; ita vt etiam delinquentes facultatem & iuſsionem Superiorum publicè profeſsi fuerint, nec vllus ex tota Communitate reclamauerit: ex quibus præſumitur ſcriptorum ratihabitio, imò ratihabitio expreſsè habetur ex approbatione data pro eiuſmodi libris edendis.

136. Quartum Caput, quòd anno 1630. à duobus S. Benedicti ac Præmonſtratenſis Ordinis Abbatibus in Germania, nomine ſuorum Ordinum ad Generalem Societatis literæ datæ fuerint, quibus rogabatur, vt ſubditis ſuis contra reſtitutionem antiquis Ordinibus faciendam, conſilia & Iudicia ſcribentibus aut ſcripturis, ſilentium imponeret: ipſum autem Generalem

non

non modo non inhibuiſſe, ſed etiam, vt apparet ex literis ad eoſdem Abbates reſcriptis, approbaſſe, laudaſſe & propugnaſſe.

137. Quod ad primum caput attinet, quantumcunque grauis ſit (de quo non diſputo) iniuria irrogata ab Authore *Placidæ diſceptationis* Ord. S. Benedicti; non debet eſſe fraudi Societati noſtrę. Nec P. Romanus tam facilè debuit pati, ſe decipi dolo Anatomici fol. 85. præſertim cùm legere potuerit *in Antimelandro* P. Foreri *ſect.* 10. *nu.* 52. mendacium publicum eſſe. *Placidam diſceptationem* à Ieſuitis Dilinganis ſcriptam, probatam, aut Dilingæ impreſſam, aut per Imperium diſtributam fuiſſe. Nobilis fuit per ea tempora in Germania controuerſia de Monaſterijs recuperatis: & Argumentum multis viſum eſt dignum, in quo pertractando ſuas vires experirentur. Num quia, aliqui etiam è Societate ſuper ea re ſuam expoſuére ſententiam, idcircò quicquid ſcriptum, quicquid editum fuit, à Societate fuit? Affirmat P. Romanus: nos negamus. Maiorem ne fidem in iudicio meretur Accuſator quã Reus? agat teſtibus, agat publicis documentis, deſignet hominem certum, qui *ſcripſerit probauerit, euulgauerit, diſtribuerit, & tanquam de præclara vindicta ſumpta ex hoſtibus triumphauerit.* Societas de omnibus Religioſis Ordinibus benè ſentit, loquitur, ſcribit: familiæ verò S. Benedicti pluribus nominibus ſe maximè obſtrictam profitetur. Si Societatis Superiores deprehendere potuiſſent, quempiam è ſuis vel verbulo Religioſis hominibus detraxiſſe, nullius admonitu graues de eo ſumpſiſſent pœnas.

138. Secundum Accuſationis caput multiplex eſt: diligenter ergò diſtinguenda ſunt ſingula. Primò P. Romanus aſſerit, *à Supremo Principe*, hoc eſt à Cæſare, *iuſtiſſimam fuiſſe latam ſententiam* de reſtituendis Monaſterijs antiquis Ordinibus, & nullo modo alijs pijs vſibus applicandis, idq; contineri Edicto generali reſtitutionis bonorũ Eccleſiaſticorum. Cęſar eiuſque Conſiliarij non fuerunt tam parum ignari Iurium Pontificiorum, aut Apoſtolicę Sedis Reuerẽtes, vt partes Iudicis ſibi arrogauerint in hac cauſa bonorũ Eccleſiaſticorum: multoque minus ſententiam tulerunt, vt Monaſteria ſuis quæque Ordinibus, & non alijs reſtituerentur: nec in Edicto eiuſmodi ſententia fertur, nec vlla ſunt verba, ex quibus colligi poſſit ſacræ Cæſ. Maieſtat. hanc fuiſſe mentem, vt fuſius infra quæſtione quarta probabitur. Secundò dicitur, *à Summo Pontifice comprobata Edicti ſententia.* At ſi nulla eſt, qua ratione comprobata? Collaudauit tantum Summus Pontifex piam Cæſaris Intentionem, vt bona Eccleſiaſtica legitimis & qualificatis perſonis reſtituerentur: cæterum, quæ fuerit eiuſdem mẽs circa Monaſteria recuperata, ſæpius oſtẽſum eſt ſupra, & infra quæſtione tertia ſuo loco clarius oſtendetur. Tertiò aſſeritur, *antiquos Religioſos excluſos fuiſſe à conſecutione bonorũ, & hæreditatis ſibi ſecundum omnia iura & concordata debita*, idque factum poſtquam *illi rem iudicatam pro ſe tenerent.* Res iudicata non poteſt eſſe, vbi ſentẽtia non præ-

THEORICA
TERTIÆ QVÆSTIONIS,

An à P. Laymanno iuſtè defenſa fuerit Apoſtolica Sedes.

PAt. Laymannus ſcriptum illud ſuum in cauſa Monaſteriorum ac bonorum Eccleſiaſticorum, quæ pijs Auguſtiſsimi Cæſaris Ferdinandi Secundi armis recuperata fuerunt, inſcripſit Iuſtam Defenſionem S. R. Pontificis, Auguſtiſſ. Cæſaris, S. R. E. Cardinalium, Epiſcoporum, Principum, & aliorum, demum minimæ Societatis Ieſu. P. Romanus ſumma contentione iam aggreditur demonſtrare, nec Defenſionem eſſe, nec Iuſtam. Supponit autem, ſicut Iuſta Defenſio illa dici poteſt, quæ cuique defendendo tribuit, quod ſuum eſt, ita iniuſtam debere meritò appellari eam, quæ non tribuit cuique quod ſuum eſt, vel tribuit quod ſuum non eſt. Vult, niſi fallor, ideo Defenſionem à P. Laymanno ſcriptam non eſſe iuſtam, quin potius iniuſtam, quia Summum Pontificem, Cæſarem, & cæteros, quos defendendos ſuſcepit, non ſolum negat, aliquid dixiſſe, aut feciſſe, aut poſſe, aut ijs deberi, quod verè dixerunt, fecerunt, poſſunt, vſque debetur: ſed etiam affirmat, aliquid dixiſſe, feciſſe, poſſe, atque illis deberi, quod reipſa non dixerunt, non fecerunt, non poſſunt, neque ijſdem debetur. Meminerit igitur P. Romanus huius ſuæ doctrinæ. Ad hanc enim quaſi regulam exigenda ſunt quæcunque in reliquis quæſtionibus contra P. Laymannum diſſerit. Quocirca ſi ego, vti ſperare licet, oſtendero à P. Laymanno, Summo Pontifici, Cæſari, ac reliquis nihil denegatum, quod ipſorum eſt, nihil tributum quod ipſorum non ſit, ſimul etiam demonſtrauero Defenſionem illam & eſſe, & Iure optimo appellari debere Iuſtam. Age ergò audiamus, quid quæſtione hac prima contineri putet iniuſtum.

THEO-

Digitized by Google

Num. I.

SVMMARIA.

1. *P.Rom. negat Sum. Pontificem ſenſiſſe Monaſteria eſſe extincta.*
2. *Probatur, ita eſſe ex epiſtola data ad ſuum Nuncium Apoſtolicum.*
3. *Vrbani P.O.M. intentio circa Monaſteria.*
4. *Non ſolere Papam derogare Iuri cōmuni per ſcripta Iuriſconſultorum.*
5. *Verum eſt: ſed hic non opus derogandum Iuri communi.*
6. *P. Laymannum cenſere, hanc quæſtionem nondum eſſe definitam.*
7. *Explicatur quomodo ſit intelligendum.*
8. *Obijciuntur Diplomata Rom. Pontificū, vt oſtendatur Monaſteria deberi antiquis Ordinibus.*
9. *Oſtenditur ex ijs id non colligi.*
10. *Obijcitur factum Monachorum Anglicanorum.*
11. *Sed illud non obſtat.*
12. *Eleuat P. Rom. teſtimonium Iuriſc. Romani.*
13. *At illud grauiſſima S. Congregationis authoritate ſtabilitum eſt.*

1. Num. I. Obijcit P. Laymanno, quod dixerit S.D.N. VRBANVM Octauum iudicaſſe, Monaſteria, de quibus agimus eſſe *extincta*, & eorundem bona pro *Vacantibus* habenda eſſe. Et negat vno verbo, hæc à Pontifice Maximo fuiſſe iudicata, imò ne iudicari quidem poſſe credit: confirmat hoc, quia illa doctrina de Monaſterijs *extinctis* & bonis eorum *Vacantibus*, ortum habuit ex malis informationibus; quare mirum non eſt; ſi Sacra Congregatio Cardinalium eiuſmodi informationibus fidem adhibuerit, Monaſteria Romæ dicantur *extincta*, ideoque alijs, quàm antiquis Ordinibus aſſignanda.

2. Romæ non potuit eſſe locus malis informationibus. ſatis conſtabat & Sacræ Congregationi, & Pontifici Maximo, Monaſteria fuiſſe in Germania ante tot annos iniuſtè ab hæreticis occupata: neminem nunc in viuis eſſe ex ijs, qui in illis Monaſterijs Ius, aut Titulum olim *habuerunt*: conſtabat pleraque ex his Monaſterijs pertinuiſſe ad Ordines, qui vel non habent vnum Caput, vel ſi habent, nullam tamen Caput eiuſmodi habet Prælationem in ordine ad perſonas transferendas, & bona & Iura Monaſteriorum adminiſtranda, ex his facilè colligebatur, Monaſteria per omnium mortem iam eſſe *ſoluta*, ac proinde eorum bona eſſe *vacantia*.

3. Atque hinc factum eſt, vt S.D N. VRBANVS VIII. quemadmodum ſupra retulimus, per ſuum Apoſtolicū Nuncium, nunc Eminentiſſimum Cardinalem Pallottum, iuſſerit FERDINANDO II. Imperatori declarari, mentem Suæ Sanctitatis eſſe, *vt bona Monaſteriorum & aliarum Eccleſiarum ponerentur in ſequeſtris Epiſcoporum* &c. *donec eadem ſua Sanctitas ſecundum Cæſarea Maieſtatis voluntatem, & præſentes Eccleſiarum Germanicarum neceſſitates, de ijs, diſponeret ad Collegiorum, Seminariorum, Scholarum erectionem, inſtaurationem Pa-*

Digitized by Google

rochiarū. Ex his haud dubie colligitur, Summum Pontificem iudicaſſe, titulos Abbatiarum, Præpoſiturarum, Dignitatum, vno verbo; Cœnobia penitus *extincta*, fuiſſe, ſibique liberam eſſe poteſtatem, ea vel antiquis Ordinibus reſtituendi, vel ad alios pios vſus applicandi.

4. Secundo, verſu. *vlterius Pontifex*. obijcit, Rom. Pontificem non ſolere derogare Iuri communi per ſcripta Iuriſconſultorum, vel Aduocatorum Romanorum, *qualia*, inquit, *ſolùm in ſua ſententia defenſionem affert Oppoſitor*, ſed alijs proceſſibus, ac ſtylo vti conſueuiſſe.

5. Nulla ratione fuit opus, vt Rom. Pontifex in hac cauſa Monaſteriorū derogaret Iuri communi. Imò in ipſo Iure cōmuni ſtando, paſſim P. Laym. contendit, poſſe à Summo Pontifice liberè diſponi de Iuribus & bonis Monaſteriorum tanquam *Vacantibus*; neque ſola Authoritate Romanorum Iuriſconſultorum affirmauit, Sūmi Pontificis intentionem eſſe, vt bona Monaſteriorum recuperatorum alijs pijs vſibus addicerentur: ſed teſtimonio grauiſſimo Sacræ Congregationis de propaganda fide, & Eminentiſſimi Cardinalis Pallotti, qui Pontificis nomine ea, quæ paulò antè retulimus, FERDINANDO Secundo renunciauit; imò ipſis S. D. N. VRBANI Octaui literis, quibus eadem Apoſtolico ſuo Nuncio *motu proprio* mādabat. Confirmantur hæc omnia ex literis, quas Illuſtriſſimus Princeps Sabellus Cæſareus apud Summum Pontificem Legatus, Sacræ Cæſareæ Maieſtati Roma ſcripſit, vigeſimo ſexto Ianuarij anno 1630. quarum particula hæc eſt. *Non intermittam, quin V. M. Cæſareæ ſubiungam quod hi Officiales* (Pontificij) *pro certo mihi affirmarunt circa reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum in Germania faciendam, nunquam vlli ea concedentur in commendam, neque grauabuntur vllo genere penſionum, quod autem reſtituenda ſint primis Ordinibus, magnoperè verentur, ne ſint futura variæ difficultates. quia præterquam quòd de illis ipſis Monaſterijs & alijs beneficijs Eccleſiaſticis poterunt fundari & erigi Seminaria, quæ maiori erunt emolumento Catholicæ Religioni; dixerunt mihi, ſe reperiſſe multa illorum priuſquam eſſent occupata ab hæreticis, non fuiſſe vnita & incorporata cuiquam Religioſorum Ordini, ſed gubernata per ſe. in quo caſu ſi applicentur Ordinibus, quæ ea prætendunt, non eſſet illa reſtituere, ſed donare. Adiecerunt, de toto hoc negotio ſcribi ad Nuncium, vt ille proponat M. V. Cæſareæ, & intelligat ſenſum & mentem ipſius circa hoc particulare, in eum finē, vt fiat tantum quantum erit poßibile ad mentem M. V. Cæſareæ, à qua aſſerunt ſe minimè deflexuros. Ego quoque interea, &c.*

6. Tertiò, quia ipſemet P. Layman. in proœmio *Iuſtæ Defenſ.* nu. 24. & 84. & fol. 271. cenſet, hanc quæſtionem nōdum eſſe Romæ examinatam ac definitam.

7. Nil tale ſentit Pater Laymannus. & num. quidem 24. dixit, ſeptem illas Rationes Romam ad Cæſareum Legatum, non à Cæſare, ſed ab aliquo alio, vt poſtea videbimus, tranſmiſſas eo tendere, vt omnes intelligerent, Cæſarem eſſe obligatum

non

non pati, vt alijs quàm antiquis Ordinibus Monaſteria recuperata aſſignarentur. Author ergò illarum Rationum, qui ita loquebatur, conſequenter ſuo calculo controuerſiam definiebat, quid fieri oporteret de Monaſterijs recuperatis: & cum ſtatueret, non poſſe alijs aſſignari, quàm antiquis Ordinibus; ſimul etiam ſtatuebat, quid eſſet ſentiendum in hac Iuris quæſtione, quæ Eccleſiaſtica eſt, & maximè ad Sedis Apoſtolicæ Examen pertinet, vt examinetur, & planè definiatur. Addo quòd Pater Laymannus non eſt in ea ſententia, vt putet, hanc Controuerſiam eſſe ex profeſſo tractatam & definitam per aliquod decretum aut Conſtitutionem, vt ſæpè ſolet fieri in Controuerſijs fidei & morum à Summis Pontificibus: ſed quod Rom. Pontifex declarando ſuam Intentionem eſſe, vt ex bonis Monaſteriorum fundarentur Collegia, Seminaria &c. neque neceſſariò reſtituenda eſſe antiquis Ordinibus; ipſo facto per huiuſmodi declarationem, quodammodò definierit, Monaſteria eſſe *extincta*, & bona *Vacantia*, & poſſe etiam alijs pijs vſibus applicari. *Numero* verò *LXXXIV*. Pater Laymannus reddidit ſolùm rationem, cur ſibi impoſitum eſſet onus ſcribendi in hac materia Monaſteriorum, quæ eſt controuerſia decidenda ex Sacris Canonibus & Eccleſiaſtica praxi, in quibus ipſe tanquam Iuris Canonici Profeſſor aliquam peritiam haberet. Quomodò ergò ex his verbis colligit Pater Romanus hanc Controuerſiam adhuc eſſe indeciſam? Quicunque Aduocatus, qui hoc tempore in aliqua cauſa conſultus ſcribit, rectè dicit debere eam cauſam ex legibus decidi, & nihilominùs ſatis in Iure deciſam eſſe conſtat. nil enim aliud ſignificat hic loquendi modus, quàm tales cauſas eſſe pertractandas ac reſoluendas Iuribus adductis, praxi. &c. Denique fol. 171. idem Pater Laymannus ſolùm habet, nos verſari in Quæſtione Iuris, quibus ſcilicet competant, vel non competant Prælaturæ & Monaſteriorum tituli, cuius quæſtionis cognitionem ſecundum ſacros Canones, Eccleſiæ traditionem, & perpetuam Romani Imperij Conſuetudinem, ad Eccleſiaſticum Magiſtratum pertinere manifeſtum eſt. Hæc autem dixit contra Authorem libelli, quem confutabat dicentem, Monachos, qui Monaſteria ſine Epiſcopi aut Rom. Pontificis Authoritate ingrediuntur, præſumptionem Iuris & Notorietatem Facti pro ſe habere, & addit P. Laym. neutrũ horum verum eſſe; & hîc non agi de Facti, ſed Iuris quæſtione.

8. Quartò probat ex Sedis Apoſtolicæ iudicio, Ordinem Religioſum ad Monaſteria, quæ libera & alijs vnita non fuerant, habere Ius, ac proinde non ſolùm non eſſe definitum, vt vult Pater Laymannus, non habere; ſed contrarium. Colligit hoc iudiciũ Sedis Apoſtolicæ ex CLEMENTIS VIII. diplomate, in quo eâ conditione transferri mandat Monaſterium Eberſpergenſe ad Societatem; *ſi*, vel *poſtquam* GVLIELMVS

Dux Bauariæ redditus annuos duorum millium florenorum Monaſterio Montis Sancti Andex perpetuò aſſignauerit. Item ex Pij Quinti Conceſſione cuiuſdam Abbatiæ totaliter deſolatæ factæ Laicis quibuſdam in Anglia, non diutius, quàm quouſque denuò inciperent ibi eſſe Abbas & Conuentus. Denique ex Breui Apoſtolico VRBANI VIII. quo vetuit omnibus etiam Confeſſarijs, ne poſſent Eleemoſynæ prouenientes ex bonis Monaſteriorum S. Benedicti in Anglia, & Ciſtercienſium in Hybernia in alios vſus conuerti vel aſſignari, præterquam in vſum Congregatioñ Ordinum eorundem. Ex quibus infert, hos Pontifices iudicaſſe, Monaſteria debere reſtitui Ordinibus, pro quibus primitus fundata fuerunt.

9. Ex hoc facto Pontificum non plus Iuris accedit aut decedit antiquis Ordinibus, propterea quod bona ſuorum Monaſteriorum aliqua habuerunt; quàm accedat noſtræ Societati ex eo, quod nonnulla Monaſteria à Summis pariter Pontificibus eidem integra donata fuerint ſine vlla redituum diminutione, & ſine vllo reſpectu Ordinum, quorum olim erant. Fuit ergò liberalitatis & æquitatis memoratorum Pontificum, quòd antiquis Ordinibus aliquid commodi voluerunt prouenire ex illis Monaſterijs. Non poteſt hinc arguere Pater Romanus, eos propterea iudicaſſe ita, & non aliter fieri poſſe ac debere.

10. Quintò ait, Monachos Congregationis Anglicanæ, Ordinis S. Benedicti in Congregatione ſua Generali ad continuendas Capitulorum in Anglia quondam habitas prærogatiuas & Iura, de ſuo Gremio deputaſſe Monachos & Priores conuentualiter extra Angliam viuentes, eoſdemque Priores & Monachos ſic deputatos verè & realiter conſtituere Capitula dictarum Eccleſiarum Monaſticarum iudicio Iuriſcõſultorum Louanienſiũ, atque hæc à Pontifice Maximo vel confirmanda eſſe vel confirmata: vnde tandem infert in hunc modũ: *Qua fronte ſcribere præſumit hic Iuris imperitus neceßitatem ſibi incumbere defendendi Sanctiſsimum, eo quòd is iudicauerit Monaſteria, quæ libera & alijs non vnita fuerant, ſi omnes eorum profeßi mortui ſint, (prout accidit in Anglia, Hybernia & Germania) pro extinctis, & bona eorundem Eccleſiaſtica pro vacantibus habenda eſſe.*

11. Bona verba quæſo. Hic qualiſcunque demum ſit, non eſt tam Iuris imperitus; vt Iure optimo non neget, quod tu ex hoc facto Congregationis Anglicanæ inferre vis. Conceſſerit Summus Pontifex iſtiuſmodi Conuẽtibus extra Angliam viuẽtibus in ampliſſima forma omnia Iura & Priuilegia, quæ olim habuerũt ante Schiſma, Monaſteria in Anglia; nil aliud hinc ſequitur, niſi poſt nouos Titulos cõſtitutos, Priorum & Monachorum, denuo à Pontifice Maximo eiuſcemodi Conuentibus fuiſſe liberaliter cõceſſa illa Iura &c. non ſequitur autẽ, illos Titulos, vtpote Spirituales, fuiſſe *Vacantes*, cum tot ante annos Collegia illa fuiſſent penitus diſſoluta.

12 Eo-

Digitized by Google

12. Eodem numero. §. *eodem citato loco.* eleuare conatur fidem illius Iuriſconſulti Romani, qui refert pręter cætera, Intentionem VRBANI octaui fuiſſe, vt bona *extinctorum* Monaſteriorum applicarentur etiam communibus vtriuſq; ſexus puerorum Scholis cum Catholicis ac pijs Ludimagiſtris, qui pueros doceant, & in Catholica fide & bonis moribus educent.

13. Iuriſconſulti illius teſtimonium inconcuſſum eſt, cùm etiam ipſa Sacra Congregatio de propaganda fide Intentionem Summi Pontificis varijs capitibus explicatam comprobauerit. Cæterùm, P. Romanus potuiſſet ſibi temperare à nugis, & quando iudicabat, non conuenire Clericis, ac multò minus hominibus Religioſis puellas in Scholis docere; colligere debuiſſet Maximi, ac prudentiſſimi Pontificis Intentionem eſſe, vt ad puellarum eruditionem ſpectatæ virtutis, honeſtæ ac probæ Matronæ conducerentur, quæ pauperum filias in ijs omnibus inſtruerent, quæ propriæ ſunt illius ætatis & ſexius, & inprimis in Catholicæ fidei capitibus & bonis moribus. Quæ verò ibidem de Ieſuitiſſis afferuntur, cùm deprompta ſint ex *Actione Perduellionis fol.* 55. iam pridem publico iudicio damnatâ & ignibus addicta, & egregiè confutata fuerint à P. Forero in *Antimelandro fol.* 109. & ſequentibus; tanquam indigna nouâ confutatione ſilentio obruenda ſunt.

(?)

Num. II.

SVMMARIA.

14. *Reprehendit P. Rom. P. Laymannum, quod litteras S.D.N.* VRBANI *vocet Motum proprium, cùm ſint data ad aliorum inſtantiam.*

15. *Oſtenditur quid ſit Motus proprius, & & P. Rom. coarguitur inſcitia.*

14. Impingere ait P. Laymannum contra Pontificem Maximum, quando *Num. VI.* proœmij *Inſtit. Defenſ.* refert S.D.N. VRBANVM Octauum Anno 1627. ſcriptis literis *motu proprio* mandaſſe Nuncio ſuo Viennæ agenti, vt Sanctitatis ſuæ mentem Auguſtiſſ. Cæſari intimaret, aliqua Monaſteria & Eccleſias in ſequeſtris Epiſcoporum ponenda, &c. Impingere autem probat: quia *Motus proprius* eſt, cùm aliquid expeditur, non ad inſtantiam alterius, ſed ex propria animi ſponte ac deſtinatione. conſtat autem ſummum Pontificem non habuiſſe illam determinatam intentionem: ſed, vt dictum eſt quæſt. 1. num. 106. intendiſſe tradere Monaſteria antiquis Ordinibus, libentius quam ad inſtantiam Germaniæ Principum alijs quibuſcunque, imò ipſe P. Laymannus fol. 364. habet, quoſdam Epiſcopos Sedi Apoſtolicæ ac Cæſareæ Maieſtatis in fauorem Societatis ſupplicaſſe.

15. Nolo hic altercari de acceptione illius vocis *Motus Proprius*. Hoc

quæro à P. Romano, verúmne ſit S. D. N. VRBANVM Octauum in eam ſententiam ſcripſiſſe Apoſtolico Nuncio? ſi aſſerat; certum eſt intentionem eiuſdem Pontificis non fuiſſe, vt omnia Monaſteria Antiquis Ordinibus reſtituerentur, ſed aliqua applicarentur ad Collegiorum & Seminariorum erectionem, & cæt. Atque hoc eſt, quod ad rem noſtram maximè facit, ſiue id fecerit Pontifex *Motu Proprio*, ſiue alieno; ſi neget; detrahit fidem P. Laymanno aſſerenti, illas literas fuiſſe ſcriptas, detrahit Eminentiſſimo Cardinali Pallotto affirmanti, ſe illas accepiſſe, detrahit Illuſtriſſimo Principi Sabello, qui Cæſari ſcripſit eidem Nuncio mittendas eſſe. Patiatur ergò nos quoque ſibi fidem non adhibere teſtanti de Relatione facta ab Abbate S. Crucis & de Teſtimonio Emin. Cardin. Barberini. Iam verò, licet concederem, Summo Pontifici ab aliquo Publici boni amatore fuiſſe propoſitum, maximè conſultum fore, ſi aliqua Monaſteria & eorum bona Collegijs, Seminarijs, Academijs, Parochijs erigendis, fundandis, inſtaurandis deputarentur, & eundem laudato conſilio, réque cum ſacra Congregatione de fide propaganda deliberata ſcripſiſſe ad ſuum Nuncium Apoſtolicum in eam ſententiam, quam retulimus; num propterea tam magnum piaculum ſuſcepit P. Laymannus, quia dixit eas litteras *Motu Proprio* ſcriptas fuiſſe? promat P. Romanus Authores ſcribendarum literarum: promat nomina eorum, ad quorum inſtantiam ſcriptæ ſint. nam quod quidam Epiſcopi in fauorem Societatis Pontifici ac Cæſari ſupplicarint, non eſt ad rem; ſi enim ſupplicarunt; ſupplicarunt vt aliquod Monaſterium peculiare eidem Societati concederetur, non vt illæ literæ ſcriberentur. vbi verò P. Romanus nominauerit, ad quorum inſtantiam literæ Pontificiæ Apoſtolico Nuncio ſcriptæ fuerint, ita vt à me negari non poſſit; quid tandem effecerit? An ignorat, gratias à Summo Pontifice dici *Motu Proprio* conceſſas, quamuis conſtet ab impetrante petitas, & ad aliorum inſtantiam tributas? nec repugnare hæc duo inter ſe, vt gratiæ ſcilicet petantur, & *Motu Proprio* concedantur; ſed quoties illa clauſula *Motu Proprio* in Apoſtolicis literis apponitur, per eam ſignificari à Summo Pontifice gratiam non tam ad aliorum inſtantiam, quam propria ſponte concedi? ſi neſcit; diſcat à l'a'do *in c. niſi de Offic. Legat. num. 6.* à Decio *in c. 2. de reſcript. num. 23.* à Rebuffo *in Concord. in forma Mandati Apoſtolici verb. Motu Proprio.* à Menochio *de Arbitrar. caſu* 20. *num* 79. denique à Sancio, qui alios refert, *lib. 8. de Matrimon. diſp. 1. num. 6.* & paſſim occurrunt exempla in Bullis Pontificijs, in quibus expreſsè habentur duæ clauſulæ *ex parte aliquorum* ſibi fuiſſe ſupplicatum, altera, ſe *Proprio Motu* concedere.

Num.

Num. III.

SVMMARIA.

16. *Multa malè à P. Romano intellecta.*
17. 1. *Non dixit P. Laym. in tranſlatione Monaſteriorum mutari voluntates Fundatorum.* C.c.25.
18. *Aut Summo Pontifici eſſe facultatem ſolum interpretandi vltimas voluntates.*
19. *Sacri Canones non vetant tranſlationes, de quibus hic agitur.*
20. *Neque ad illas eſt opus poteſtate abſoluta, cùm ſufficiat Ordinaria.*

16 Hic vix aliud habetur, quàm falſa intelligentia eorum, quæ P. Laymannus docuit.

17. Primò enim nunquam ille affirmauit, in tranſlatione Monaſteriorũ ad alium Ordinem, vel pium vſum, fieri fundationum mutationẽ. Quamuis enim videatur mutari fundatorũ voluntas minus principalis & materialis; ſeruatur tamen in his circumſtantijs intentio principalis & primaria, adeoq; abſolutè non dicitur fieri mutatio voluntatis.

18. Secundò falſum eſt, à P. Laymanno tribui Summo Pontifici facultatem ſolùm interpretandi per *Epykiam* vltimas voluntates, non item commutandi ex iuſta cauſa. affirmauit tantum in caſu, in quo ſumus, hoc eſt, in quo apparet longè magis conſentaneum fore menti fundatorum, ſi bona Monaſteriorum applicentur ad promouendam Catholicam Religionem, &c. non tam fieri mutationem quàm benignam interpretationem: & hanc ipſam poſſe fieri à ſolo Summo Pontifice disertè aſſeruit.

19. Tertiò falſum eſt, tranſlationem Monaſteriorum ad alios vſus prohiberi Sacris Canonibus, quos citat. demonſtrauimus enim in prima quæſtione, illos eſſe intelligendos de Monaſterijs *vacantibus*, non verò de *extinctis abſque ſpe reſtaurationis*.

20. Quartò conſequenter falſum eſt, hanc tranſlationem non poſſe fieri *poteſtate ordinaria*; ſed ſolùm *abſoluta*; ſicut pariter falſum eſt, non ſpectare Ius prouidendi immediatè ad Summum Pontificem, quando bona ſunt *vacantia*: & Religioſos eiuſdem Ordinis ſolùm eſſe perſonas qualificatas, & Ordini Ius ſuum auferri, ſi Monaſteria aliò transferantur.

Num. IV.

SVMMARIA.

21. *Quid & quotuplex ſit plenitudo Poteſtatis in Sum. Pontif.*
22. *Fruſtra à P. Rom. impugnatur.*

21. Non tàm neruosè, quàm verbosè oppugnat doctrinam quandam P. Laymanni, qua explicauit, quid duo illi Theologi, quos defendebat, intelligerent nomine *plenitudinis poteſtatis* in Principe. docuerat autem, duplicem eſſe huius vocis acceptationem. *nam aliquando accipitur pro ea poteſtate, quæ independens eſt & origo aliarum inde deriuatarum pote-*

poteſtatum. ita Pontifex paſſim in Iure dicitur habere plenam poteſtatem in beneficijs, quæ tamen ex officio & ſecundum Canonum præſcripta conferre debet. Secundò accipitur plenitudo poteſtatis, vt idem ſit, quod poteſtas abſoluta ſeu libera à lege poſitiua. cùm Princeps legi non ſit ſubiectus, ſed ſupra legem.

22. P. Romanus igitur irrito labore conſumitur, dum tam multis probat, Summum Pontificem, ſi quid agat in beneficiorum prouiſione, & non iuxta Canones, vti *abſolutâ poteſtate*, ſiue facere de *plenitudine poteſtatis*. etenim P. Laymannus, & illi Theologi nunquam hoc negarunt, ſi *plenitudo poteſtatis*, ſeu *poteſtas abſoluta* accipiatur in ſecunda ſignificatione. Cùm verò rurſus tam acriter contendit, ſi Summus Pontifex in eorundem beneficiorum prouiſione, ſeruet Canones; non vti *plenitudine poteſtatis*, ſed *ordinaria*, ac proinde non rectè defendi illos duos Theologos, qui dixerunt in his noſtris circumſtantijs Papam transferre Monaſteria de *plenitudine poteſtatis*; decipitur ob falſam intelligentiam ſententiæ eorundem Theologorum, illi enim nomine *plenitudinis poteſtatis* non intellexerunt poteſtatem *abſolutam* in ſecunda ſignificatione ſupra expoſitam, ſed in prima, quæ eſt fons & origo cæterarum omnium poteſtatum, & quam peculiari modo dicitur habere Summus Pontifex in beneficijs *in cap. 2. de præbend. in 6 & in Clement. 1 vt lite pend.* & paſſim à Doctoribus.

Num. V.

SVMMARA.

23. *Communis eſt ſententia, bonorum alienationem ab vna Eccleſia in aliam factam, à Papa etiam ſine cauſa, eſſe validam.*

24. *Quare poterunt retineri bona conſcientia, quanto magis quando cum iuſta cauſa.* C. c. 27.

25. *Licet vnaquæque Eccleſia particularis habeat Dominium bonorum & Eccleſia omnium.*

26. *Fit tamen alienatio, quando de vna ad aliam transferuntur.* C. c. 27.

27. *Si ſine iuſta cauſa in Laicis; eſt nulla.* C. c. 28.

28. *Sum. Pont. transferendo Monaſteria non agit contra concordata Germaniæ.* C. c. 29.

29. *P. Romanus excurſio, vt hortetur ſuos Monachos ad impediendas translationes.*

In pauca contraham, quæ nimium multis hoc loco P. Romanus expoſuit, & in ſingulis, quàm nihil probet contra P. Laymannum demonſtrabo.

23. Primò ergò, quia P. Laymannus cenſet, eſſe probabilem & communiter ferè receptam ſententiam Zabarellæ, quòd translatio bonorum vnius Eccleſiæ ad Eccleſiam aliam, vel pium vſum facta à Papa, licet rationabili cauſa nó nitatur, & Ponti-

fex

ſex peccet, nihilominus ipſa tranſlatio ſeu alienatio valeat, & conſequenter, quòd ex ſententia Nauarri, Eccleſia, cui ea bona applicantur ſalua conſciẽtia eadem retinere poteſt, infert Pat. Romanus, non benè defendi Pontificem à P. Laymanno, ſi intendit dicere, ſibi in ſua ſententia dummodò Monaſteria transferantur, ſufficere, quòd à Papa transferantur, ſiue id faciat ex rationabili cauſa, ſiue non.

24. Minimè gentium. nullo modo hoc P. Laymannus intendit, ſolum voluit vti duplici Argumento à minori ad maius. Primum eſt, licet Pontifex ex cauſa irrationabili transferat bona vnius Eccleſiæ ad aliam, bona retineri poſſunt tuta conſciẽtia iuxta communem & receptiſsimam ſententiam. ergò multò magis retineri poterunt Monaſteria, quæ in his circumſtantijs iuſtiſsimis de cauſis transferuntur. Alterum argumentum erat, ſi Summus Pontifex ex Iuſta cauſa poteſt facere translationem bonorum Eccleſiaſticorum, auferendo Ius ſuum alteri Eccleſiæ particulari, quantò magis id poterit facere in caſu noſtro, in quo nulli mortalium aufertur Ius, quandoquidem in Monaſterijs recuperatis antiquorum Ordinum Religioſis nullum competere toties demonſtratum eſt. An cui plus licet, (contra Regulam Iuris) minus non licebit?

25. Secundò. *Si P. Laymannus*, inquit P. Romanus, *hoc non intendit; opus erit, vt ſeipſum iam defendat, nam hac opinio in ipſius doctrina nõ ſubſiſtit*, probat hoc. quia Pat. Laymannus ex vna parte admittit cum Molina, vnamquamq; Eccleſiam particularem habere dominium bonorum Eccleſiaſticorum, quæ poſsidet, & non ſolum Eccleſiam Vniuerſalem. ex altera idem Pat. Laymannus ſentit, quando bona Eccleſiaſtica trãſferuntur ab vna eccleſia ad aliam, propriè non fieri alienationem, quia bona Eccleſiaſtica cenſentur eſſe Dei, Chriſti, & Eccleſiæ vniuerſalis: ac proinde penes quemcunque ſint; Dei, Chriſti, & Eccleſiæ ſunt. hæc autem non conſiſtunt. nam ſi dominium particulare transfertur ab vna Eccleſia ad aliam; quomodò negari poteſt fieri alienationem?

26. Non negauit P. Laymannus, fieri alienationem in hoc caſu: imò expreſsè conceſsit *pag. 48. Tametſi*, inquit, *rationabili cauſa non nitatur, & Pontifex peccet, nihilominus Translatio ſeu alienatio valet.* Affirmat ergò ſolum, cum principalius & vniuerſalius dominium, quod eſt penes Deum, Chriſtum & Eccleſiam vniuerſalem, idem maneat, non eſſe propriè dictam alienationem. quia nimirum magis ad principale attendi ſolet, quàm ad id quod minus principale eſt. Sed quicquid ſit de hac quæſtione, hoc dico, dato etiam, eſſe veram alienationem, nihil inde inferri poſſe, quod P. Romani cauſam meliorem faciat. Quæro enim ab illo, quid demonſtrare intendat ex hac doctrina, quòd, ſi bona vnius Eccleſiæ donentur alteri ſine cauſa, ſit propriè alienatio? Reſpondebit, inferri Monaſteriorum recuperatorum translationes ad alios Ordines factas eſſe nullas: ac proinde tuta conſcientia retineri nõ poſſe ab ijs, ad quos translata ſunt,

Cc cùm

cùm ipſemet P. Laymannus concedat, non eſſe iuſtam neque validam alienationem factam inuitis illis, qui Ius & dominium habent in bonis tranſlatis: Ordines autem antiqui illud habent in his Monaſterijs: proindè inualidè tranſlata ſunt, nec tuta conſcientia retineri poſſunt.

27. Hoc exſpectabam. Sed P. Romanus decipit, ac decipitur. decipit dum ait, Pat. Laymannum aſſerere, bonorum Eccleſiaſticorum alienationem factam inuitis illis, qui Ius & dominium habent, nec iuſtam nec validam eſſe, ſi transferantur ad aliam Eccleſiam vel pium vſum. hoc enim ſolum affirmauit de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum facta in laicos. Decipitur autem, quia putat, antiquis Ordinibus auferri dominium ſubalternum Monaſteriorum, quod ſemper ſuppoſuit penes eoſdem eſſe, nunquam probauit.

28. Tertiò, verſu *ſed inſuper.* contendit, Summum Pontificem facturum contra Germaniæ *Concordata*, ſi Monaſteria aſsignet alijs, quàm Religioſis eiuſdem Ordinis, pro quo primitus fundata fuerunt, quia prouiſio Monaſteriorum Germaniæ tam exemptorum mediatorum, quàm non exemptorum quomodocunque vacantium, non ad Papam, ſed ad inferiores Ordinarios, etiam Iure tranſactionis ſpectat, & quia ad Monaſteria debent aſſumi viri idonei, ergò non poſſunt transferri ad Collegia, & Seminaria, &c. Saluis *Concordatis*, contra voluntatem eorum, quorum intereſt, ac nominatim antiquorum Ordinum. Hæc eſt Summa ſuſiſſimæ Argumentationis, quæ tamen iampridem ſoluta fuit à Pat. Laymanno, nam ex *Concordatis* nil aliud produci poteſt, niſi quòd *in Monaſterijs Apoſtolicæ Sedi immediatè non ſubiectis, ſuper quibus ad dictam Sedem pro confirmatione non ſolet haberi recurſus; Electi pro confirmatione ad Curiam Romanam venire non teneantur.* Ex hoc autem *Concordatorum* articulo nihil inferri poteſt, niſi ſubſumatur hoc modo. *Atqui verſamur in caſu, in quo Monaſterij Vacantis Prælatus Canonicè electus fuit, & confirmatio ex vi Concordatorum pertinet ad Epiſcopum in Monaſterio non exempto, in exempto ad Superiorem Regularem, ergò non debet ſe Pontifex in his Monaſterijs ingerere.* Cum autem hæc aſſumptio ſit falſiſſima, quia tituli & Prælaturæ non *vacant*, vt toties dictum eſt, ſed ſunt *extincti*; falſa eſt Concluſio, qua dicitur, non poſſe ſe Pontificem ingerere, niſi violet *Concordata*. Quod verò ibidem ait de Iure prouidendi actiuè, & vocis paſsiuæ, nullius eſt momenti: cùm in Monaſterijs penitus *extinctis ſine ſpe reſtaurationis*, Ius omne ſit Summi Pontificis, nec Ordines antiqui vllum habeant: adeoque fruſtra iteratur, illis inuitis tranſlationes fieri non poſſe. Nec verum eſt, FERDINANDVM Secundum Imperatorem in Inſtructione ad ſuum Oratorem, ſenſiſſe, has mutationes fore contra Germaniæ *Concordata*, ſiquidem illa inſtructio ſuppoſititia fuit, vt infra oſtendetur.

29. Quartò latè excurrit indagandò cauſas,

cauſas, cur Abbates Religioſi factis ſubinde Monaſteriorum ſuorum tranſlationibus ſeſe modo legitimo non interpoſuerint, atque eoſdem vehementi oratione hortatur, vt excutiant animi torporem, ſeque impoſterum acerrimos ſuorum Iurium defenſores oſtendant. Sed quando ad ſuos perorat, ne interpellemus nos, quorum non intereſt.

Num. VI, vſq; ad X.

SVMMARIA.

30. *Solum Monaſteria vacantia, non extincta, ſunt conferenda ijſdem Monachis.*

31. *Accuſatio grauis P. Rom. contra Pat. Layman.*

32. *Depellitur ſola facti narratione.*

33. *Immerito affertur Nuncij Apoſt. auctoritas.*

34. *Pontifex non ſenſit, Monaſter. ſolis Ordinibus eſſe reſtituenda neceſſariò.*

30. Probat, non iuſtè defendi Romanum Pontificem à Pat. Laymanno aſſerente, *quòd mortuo Abbate cum toto Capitulo, Ius totum diſpoſitionis recidat ad Papam principaliter, & ſuo modo ad Epiſcopum in Monaſterijs non exemptis. Quia*, inquit, *deuolutio fit ad immediatum, & licet fieret ad Papam, Papa tamen teneretur conferre Monaſteria eiuſdem Profeſſionibus hominibus.* Semper eandem cantilenam occinit. Iſtud verum eſt, ſi Monaſteria ſint *Vacantia*, non verò ſi ſint *extincta*.

31. Ex tribus aſſertionibus Pat. Laymanni, quarum vna erat, Romanum Pontificem non poſſe Ordinariè derogare *Concordatis*, ſecus, ſi extraordinaria Eccleſiæ neceſſitas id poſtulet. Altera, non fieri iniuriam Epiſcopis per Monaſteriorum Translationes, quia, ſi quod Ius habent, libenter illi cedunt, & volenti non fit iniuria. Tertia, Romanum Pontificem & Cæſarem ſub graui obligatione in conſcientia teneri, vt ex bonis Monaſteriorum erigantur Academiæ, Seminaria, & Collegia Societatis. Ex his, inquam, aſſertionibus infert, dogma P. Laymanni eſſe, Summum Pontificem in conſcientia ſub graui reatu obligari ad *extinguenda* multa Monaſteria Ordinum antiquorum, ad derogandum Iuri communi, Iuriſdictioni Ordinariorum, *Concordatis* nationi Germaniæ, adeoque etiam Iuri Naturali, & Gentium: Imperatorem verò teneri coram Deo ſupplicantibus Ordinibus iuſtitiam non adminiſtrare, non defendere Iura Eccleſiarum, priuilegia à Summis Pontificibus & Cæſaribus Monaſterijs conceſſa infringere, Maiorum fidem non ſeruare, decretum reſtitutionis Generale nó exequi. Hæc omnia Oratoriè declamata inferuntur non ex veris ac ſolidis principijs P. Laymanni, ſed ex falſis & erroneis ſuppoſitionibus Pat. Romani, non eſt ergò cur ego in ijs refellendis cum P. Romano de Eloquentiæ palma contendam.

32. Quæcunque hoc loco dicuntur, euaneſcunt intellecta ſerie rei, prout geſta eſt. Anno ergo 1623, ſub initium

Pontificatus S.D.N. VRBANI Octaui P. Martinus Becanus, piæ memoriæ, egit cum Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Petro Aloyſio Caraffa Nuncio Apoſtolico ad tractum Rheni, is verò cum Summo Pontifice, vt aliquorum Monaſteriorum bona in Palatinatu recuperatorum, applicarentur ad inſtaurandas Parochias, erigenda Collegia, Scholas & Seminaria, reſponſo autem accepto ex Vrbe, anno ſequenti 1624. eidem P. Beccano reſcripſit, Sanctitatis ſuæ mentem eſſe, *quod ſi bona illa reditus erant alicuius Religionis Regularium, quæ modò exſtat in Congregatione vnita, quod illi particulari debent reſtitui, quia res iniuſtè ablata & de facto debent reſtitui.* Hoc Summi Pontificis reſponſo vulgato in Aula Imperatoris, tres illi Theologi è Societate conſulti, an Monaſterium Bergenſe propè Magdeburgum poſſet à Cæſare concedi Archiepiſcopo Pragenſi Eminentiſſimo Cardinali ab Harrach, qui in ſubſidium vnam, vel alteram Abbatiam ex recuperatis petierat, reſpõderunt, videri non poſſe concedi, *eò quòd illud Monaſterium S. Benedicti eſſet, & pertineret ad Congregationem Burſfeldenſem, & Reſolutionem ſuæ Sanctitatis,* de qua diximus, *eſſe clariſſimam.* Hic ergò triumphat P. Romanus: ſed antè victoriam, & P. Laymanno tantum non minatur vncum & gemonias, quòd audeat ſe opponere iudicio triũ Theologorum ſuæ Sodalitatis, Apoſtolico Nuncio, & Pontifici Maximo.

33. Quod ait de Nuncio Apoſtolico, non video, quâ ratione affirmet, illi ſe opponere P. Laymannum. is enim ſolùm reſcripſit, quæ mens Pontificis eſſet, ſuam nõ aperuit. Pontificem autem Maximum non negauerim eo reſponſo ſignificaſſe ſibi in animo eſſe, eiuſmodi Monaſteria, quæ fuiſſent in aliqua Congregatione vnita, eidem reſtituere: ex quo primum colligi poteſt, alia Monaſteria, quæ vnita non eſſent, non eſſe reſtituenda eidem Ordini. Deindè Summus Pontifex non definiuit, aliter fieri non poſſe. Tertiò poſterioribus annis declarauit Intentionem ſuam eſſe, vt ex Monaſterijs etiam S. Benedicti & olim in Congregatione vnitis inſtaurarẽtur Parochiæ, erigerentur Seminaria, &c. &, quod caput eſt, reipſâ aliqua Monaſteria ad huiuſmodi vſus pios ſua Authoritate tranſtulit. Quod pertinet ad illos tres Theologos, duplici nomine laudandi ſunt. Primùm, quia intellecta Summi Pontificis mente, nefas iudicarunt eſſe, ab eadem recedere, ideoque cenſuerunt Monaſterium Bergenſe non poſſe à Cæſarea Maieſtate Archiepiſcopo Pragenſi concedi, illa vnica ratione perſuaſi, *quòd talis eſſet reſolutio ſuæ Sanctitatis.* Deinde, quia vbi cognouerunt, eũdem Pontificem Maximum, re melius conſideratâ, & in Congregatione de propaganda fide diſcuſſâ, decreuiſſe, vt aliqua ex Monaſterijs recuperatis applicarentur Parochiarum inſtaurationi, &c. (quod ſapientis eſt) mutauere conſilium. *At,* inquit P. Roman. *mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum, & quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt,* vt habent regulæ Iuris in 6. Reſpondeo, P. Romanum abuti his textibus. Legere potuiſſet apud Gloſſam.

Gloſſam in regula. *Mutare*. eam eſſe intelligendam, quando celebratus eſt aliquis Contractus, vel quaſi Contractus, vnde alteri creatum ſit aliquod Ius, vt patet ex caſibus & exemplis ibidem adductis, legere potuiſſet apud Francum ib. *quod, ſecundùm Baldum, hæc regula facit, vt ſi ſit commiſſa cauſa conſilio ſapientis, & Conſultor errauit, mutare non poſſit conſilium, quia ſicut arbiter functus eſt officio ſuo, & ſic æquiparatur delegato non ordinario.* Regula verò. *quod ſemel*: tot habet limitationes, vt videri poteſt apud Gloſſam. ib. vt pleræque faciant contra Pat. Romanum: & illi Theologi Iure mutare ſententiam potuerint. contentus ſum referre primam ex allatis à Gloſſa. *Fallit*, inquit, *interdum hæc regula ex cauſa ſuperueniente, vel de nouo ad notitiam perueniente*, qualis ſuperuenit tribus Theologis, de mutata mente & intentione Pontificis.

34. Ex his reijciuntur, quæ P. Romanus infert *Num. IX.* agnouiſſe ſcilicet Pontificem huiuſmodi Monaſteria ablata eſſe Ordini, ſeu Congregationi plurium Abbatum, & eidem eſſe reſtituenda. Vt enim diximus, agnouit poſtea contrarium, & de facto non pauca Monaſteria alijs pijs operibus addixit.

Num. X.

SVMMARIA.

35. *Imponitur P. Laymanno quod Hæreticis faueret.*
36. *Oſtenditur id fieri immeritò.*
37. *Reprehenditur eiuſdem ſyllogiſmus.*
38. *Defenditur. C. c. 30.*
39. *Imp. ſuo nobiliſſimo officio poteſt curare Monaſteriorum reſtitutionem.*
40. *Quilibet poteſt agere pro reſtitutione curanda.*

35. Parum P. Romano viſum fuit oſtendere, non fuiſſe à Pat. Laymanno Summum Pontificem iuſtè defenſum; grauiſsimè offenſum eſſe contendit & ipſum, & vniuerſalem Eccleſiã: quippè cùm per totum librum argumenta hæreticorum contra Catholicos in cauſa reſtitutionis Monaſteriorum confirmauerit, aſſerendo præſertim, *neminem hominum reperiri, qui ſibi Ius & Actionem ad Monaſteria deſolata vendicare poſſit.* Addit tamen, ſperare ſe P. Laymannum *agnito errore ſententiam malè conceptam, erroneam, & ſcandaloſam retractaturum.*

36. Excidit ſua ſpe P. Roman. etenim P. Laymannus, non ſolum non retractauit, quæ in *Iuſta Defenſione* ſcripſerat, ſed tanquam Veritati, Sacris Canonibus, Doctorum ſententiæ conſentanea, à calumnijs obtrectatorum, opuſculo Cẽſurarum ſolidiſsimè vindicauit. Quæ verò Pat. Romanus hîc habet, vaniſsima ſunt. licet enim in ſententia Pat. Laymanni *nemo ſit qui ſibi ac proprio nomine Ius, & Actionem ad Monaſteria recuperata vendicare poſſit, ſunt tamen*; qui poſsint id facere nomine Eccleſiæ Vniuerſalis: Romanus Pontifex tãquam Generalis omnium bonorum Adminiſtrator: ſuo modo Epiſcopi reſpectu bonorum ſuarum Diœceſeon, & nominatim Monaſteriorum non exemptorum: Imperator, vt ſupremus omnium Eccleſiarum Patronus &

Aduocatus, & Iurium Eccleſiaſticorũ Defenſor; imò quilibet Clericus & Laicus nomine Eccleſiæ Vniuerſalis ſpoliatæ. quo ergò Iure tam confidenter affirmat P. Romanus, à P. Laymanno, qui paſsim hæc omnia docet, confirmari toto libro Argumenta Hæreticorum? nonnè expreſsè pluribus locis affirmat, hoc quod dicimus? *At*, inquit, *ſyllogiſmus, quo probare intendit, Eccleſiam vniuerſalem ſpoliatam fuiſſe per Apoſtaſiam quorundam Monachorum, non eſt bonus.* Saltem P. Laymannus affirmat, Eccleſiam Vniuerſalem ſpoliatam fuiſſe, & conſequenter nomine ipſius poſſe peti reſtitutionem, & hæreticos iniquos detentores non eſſe tutos: cùm ſint tam multi, qui, ſi minus ſuo, ſaltem Eccleſiæ nomine reſtitutionem legitimè petere poſsint.

37. Verùm audiamus, quo vitio ſyllogiſmus laboret. Illius maiorem, quâ dicitur, eum, qui contumaciter recuſat ſoluere alicui Iura, ad quæ tenetur, cẽſeri ſpoliare ex *cap. querelam de elect. Innoc. Panorm. Bart. Menoch.* ait, intelligendam eſſe de Iuribus realibus, hoc eſt, annuis præſtationibus, cenſibus, penſionibus: non autem de Iuribus perſonalibus, qualia ſunt pręſtatio obedientię & ſubiectio. Negat ergò minorem, nam Monachi, qui defecerunt à fide, non debebant Eccleſiæ Vniuerſali annuas præſtationes, cenſus aut penſiones: ſed ad ſummum ſubiectionem & obedientiam; quæ cùm ſint onera perſonalia; cùm perſonis extinguuntur. quare, licet verum eſſet, hoc Argumento Pat. Laymanni probari Eccleſiam Vniuerſalem per illorum Monachorum apoſtaſiam fuiſſe ſpoliatam his Iuribus perſonalibus, non tamen probatur, contra hæreticos, poſſe peti reſtitutionem Monaſteriorum, quæ ſunt bona realia & temporalia.

38. Reſpondetur, Pat. Laymannum non aſſeruiſſe, per Apoſtaſiam, præcisè loquendo, Eccleſiam Vniuerſalem fuiſſe ſpoliatam: ſed per alia, quæ cum Apoſtaſia coniuncta fuerunt. hinc enim cæpta fuerunt ſperni decreta Eccleſiæ, reſpui viſitationes, chariratiua ſubſidia, annatæ ſeu primi fructus aliæque præſtationes debitæ denegari, & multò maximè, quia ipſa Monaſteria & Eccleſiæ cum omnibus bonis iniquis occupatoribus tradita ſunt, & conſequenter Eccleſia Vniuerſalis ſpoliata fuit etiam ipſis Monaſterijs & Iuribus realibus.

39. Eodem *Numer. verſu. Non releuat eum.* probar. Pat. Laymanni argumento non effici, ſecuturam eſſe Monaſteriorum reſtitutionem, eò quòd dicat Imperatorem ex *nobiliſſimo officio* Aduocati Eccleſiæ obligatum eſſe ad recuperanda bona Eccleſiaſtica etiam nemine petente & agente. *Quid enim*, inquit, *ſi Imperator adigeretur per inſolentiam aut potentiam hæreticorum, vt nulla poſthac Monaſteria repeteret, niſi per viam Iuris & Accuſationis, deputatis æquali numero Iudicibus Catholicis & Acatholicis, nam in eo caſu Cæſar Actor eſſe non poſſet, & Religioſi antiquorum Ordinum per Pat. Laymannum, non habent Ius agendi, nec quiſquam alius nomine Eccleſiæ, quia idem Eccleſiam eſſe ſpoliatam, aut hæredem ſpoliati, non probat.*

40. Reſpondeo breuiter, quemlibet etiam

etiam Laicum, nedum Clericum aut Prælatum, agere poſſe nomine ipſius Eccleſiæ, quæ reuera eſt domina omnium bonorum Eccleſiaſticorum, etiam in ſententia ipſius Patris Romani, ac ſpoliata, &c. vt ſuis locis docuimus, non eſt par ratio Eccleſiæ Vniuerſalis, & Ordinis Religioſi in communi in Religionibus, in quibus vouetur loci ſtabilitas, & ſingulorum Monaſteriorum Tituli ac Iura ſunt ſeparata.

Num. XI.

SVMMARIA.

41. *Sententia P. Rom. de Romani Pont. poteſtate.*

42. *In qua falſum vt, in Monaſterijs de quibus agitur, eſſe opus plenitudine poteſtatis, vt transferantur.*

41. Valdè magnificè declarat ſuam ſententiam de poteſtate Summi Pontificis in bona Eccleſiaſtica, aſſerens, ad illum Eccleſiarum plenariam diſpoſitionem pertinere: poſſe eundem etiam ceſſante negligentia Prælatorum conferre beneficia totius orbis, & concurrere in collatione beneficiorum cùm quolibet Ordinario; poſſe præuenire omnes collatores ordinarios, & per ſuum Decretum eis manus claudere: ſupprimere dignitates in Eccleſijs, imò integras Eccleſias, & Monaſteria: denique ſpecialiter in Monaſteria deſolata Germaniæ eandem omninò poteſtatem, quam in Monaſteria non deſolata habere.

42. In qua doctrina nihil habeo, quod improbem: niſi hoc vltimum. Summus enim Pontifex in Monaſteria non deſolata poteſt ea, quæ dixit Pat. Romanus, de *plenitudine poteſtatis abſoluta*: de Monaſterijs autem, de quibus diſputamus, quæ ita ſunt deſolata, vt ſint etiam *extincta*, poteſt liberè diſponere ex ſua *poteſtate Ordinaria*, prout magis expedire cenſuerit ad commune Catholicæ Religionis bonum. Vt vel hinc appareat, multò magis fauere Pat. Laymannum Authoritati Pontificiæ, quàm P. Romanus faueat, quando oſtendimus nihil Romano Pontifici à Pat. Laymanno detractum, nihil affictum. Quæ eſt ſumma eorum, quæ in Theorica huius Tertiæ Quæſtionis allata ſunt.

THEO-

THEORICA
QVARTÆ QVÆSTIONIS,

An à P. Laymanno iuſtè defenſus fuerit Auguſtiſſ. Cæſar Ferdinandus Secundus.

IN huius Quartæ Quæſtionis Examine conſilium eſt, Pat. Laymannum & Pat. Romanum pro Cæſare acriter inter ſe pugnantes ad concordiam, ſi quo modo poſſit, reuocare, atque inter eos pacis ſequeſtrem agere.

SVMMARIA.

1. *Duplex quæſtio diſtinguenda.*
2. *Ferdinand. II. nunquam intendit decidere quæſtionem Iuris, cui ſint Monaſteria reſtituenda.* 1. *quia eſt quæſt. Eccleſiaſtica.*
3. 2. *Quia non voluit ſibi ac Succeſſoribus præiudicare.*
4. 3. *Aut ſuos Anteceſſores damnare, qui Monaſteria curarunt transferre.*
5. 4. *Aut ſeipſum, qui tranſtulit de conſenſu Rom. Pont.*

1. Eſt autem principio duplex diſtinguenda quæſtio in hac cauſa reſtituendorum Monaſteriorum, Prima *Iuris*, Altera *Facti*. Quæſtio *Iuris* eſt, an Monaſteriorum recuperatorum Iura & bona temporalia ſint bona *Vacantia*, & nullius in particulari, nec quiſquam iam reperiatur, qui *Ius & Actionem vendicare* ſibi poſſit ad ea recuperanda: ſed ſint ſub libera Cæſaris, ac Romani Pontificis diſpoſitione, qui proinde non teneantur illa reſtituere antiquis Ordinibus, ſed poſſint etiam alijs pijs vſibus applicare ſine vllius iniuria. Quæſtio *Facti* eſt, an Auguſtiſſimus Cæſar FERDINANDVS Secundus Edicto ſuo generali de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, & literis datis Romam ad ſuum Oratorem, & ad Commiſſarios per Imperium, ac Reſcriptis ad poſtulata antiquorum Ordinum, primam Quæſtionem, quã diximus eſſe *Iuris*, deciderit, & ſententiam tulerit pro antiquis Ordinibus, ita vt de Iure ipſis ſolum reſtitui debeant Monaſteria, non autem conuerti in alios vſus etiam pios: an verò ſolũm aperuerit ſuam mẽtem & intentionem, vt ſcilicet iiſdẽ Religioſis reſtituerentur,

tur,

tur,non excludendo tamen alios pios vſus. Si P. Romanus aſſerat tantùm hoc vltimum in ſecunda quæſtione *Facti*, id eſt, Cæſarem intendiſſe ſeu voluiſſe recuperata Monaſteria ſuis quoque Ordinibus reſtitui; P. Laymannus non repugnat, & meo iudicio repugnare non poteſt: ſin autem affirmet, à FERDINANDO ſecundo, aut deciſam fuiſſe primam quæſtionem *Iuris*, aut in ſecunda quæſtione *Facti*, intendiſſe quaſi de Iure reſtituendo antiquis Ordinibus Monaſteria, & nullo modo alijs perſonis vel vſibus concedenda; P. Laymannus cenſet eſſe falſum,rationibus,quæ ſequuntur,potiſſimum permotus.

2. Prima. hæc quæſtio *Iuris* ex ſuo obiecto eſt ſpiritualis. agit enim de titulis ſpiritualibus Abbatiæ, Prælaturæ,&c.an ſint *extincti*, an ſolum *vacantes*. agit de vnionibus & incorporationibus bonorum Eccleſiaſticorum faciendis.Proindè non eſt exiſtimandum, pijſſimum Imperatorem, eiuſque ſapientiſſimum Conſilium voluiſſe immittere falcem in meſſem alienam, & tam grauiter Eccleſiaſticam immunitatem lędere,ac Summo Pontifici leges præſcribere, quid in hac re fieri poſſit,aut debeat.

3. Secunda. quia non eſt veriſimile, Cæſarem prudentiſſimum Principem ſibi ac Succeſſoribus voluiſſe inijcere vincula,& compedes,quò minus pro munere & Iure Supremi Patroni & Aduocati omnium Eccleſiarum de conſenſu & Authoritate Summi Pōtificis pro publico bono Germanicarum Eccleſiarum diſponere poſſit de aliquibus bonis Eccleſiaſticis, quæ tanto ſuo ſumptu ac periculo recuperauit: ſed teneatur omnia antiquis Ordinibus reſtituere; vt ſi aliter curet fieri,non faciat abſque iniuria.

4 Tertia. quia nefas eſt credere, modeſtiſſimum Imperatorem hac ſua declaratione damnare voluiſſe tot Anteceſſores Sereniſſimos Principes, quorum rogatu conſtat, crebrò fuiſſe factas Monaſteriorum ac bonorum Eccleſiaſticorum vniones & incorporationes ad Epiſcopatuum reditus augendos,ad aliorum Religioſorum Monaſteria fundanda, ad Collegia, Seminaria,Scholas,Academias,vel erigendas,vel amplificandas, & ab Apoſtolica Sede facilè hæc omnia impetrata eſſe,&per ipſius etiam Cæſaris Commiſſarios fuiſſe executioni mandata.

5. Quarta. quia Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDVS ſecundus tam ante, quàm poſt illa s literas ac mandata, Romam ad Oratorem Cæſareum miſſa, curauit attribui quædam Monaſteria Ordini Theutonico,alia concedi Illuſtriſſimo Comiti Ioanni Ludouico Naſſouio pro Seminario & Collegio fundando, nonnulla in Saxonia pro Seminarijs Anglorum & Scotorum deſignauerat. Quis verò credat,hoc facto tàm ſæpè repetito,voluiſſe Cæſarem ſuam ipſius ſententiam infringere? infregiſſet autem, ſi verè definiuiſſet alijs, quàm Antiquis Ordinibus recuperata Monaſteria attribui non poſſe.

Porrò quibus rationibus P. Romanus probet contrarium, & quomodo

modo adductis Argumentis P. Laymanni reſpondeat, hinc iam examinare exordiemur, vt appareat, ab eodem, Auguſtiſſimum Imperatorem FERDINANDVM ſecundum iuſtiſſimè defendi, & ne minimo quidem apice offendi.

Num. I.

SVMMARIA.

6. *P. Rom. contendit, Cæſarem in Edicto decreuiſſe, Monaſteria eſſe reſtituenda antiquis Ordinibus. P. Laym. negat.*

7. *Licet enim intenderit reſtituere, non tamen voluit eſſe neceſſariò reſtituenda.*

8. *Nec verba Edicti plus probant.*

6. Non ſolùm Sacræ Cæſareæ Maieſtati è diametro ſeipſum opponere P. Laymannum contendit, ſed etiam Edicto ab eodem publicato, quod eſt ſe quodammodò opponere etiã Succeſſoribus in Imperio. Probat; quia P. Laymannus fol. 28. affirmauit, *in Edicto Cæſareo nuſpiam reperiri Monaſteria ijs ipſis Ordinibus, pro quibus fundata ſunt reſtituenda eſſe*, & fol. 320. FERDINANDVM *ſecundum in Edicto ſuo non decreuiſſe, Monaſteria ſuis quaque Ordinibus reſtituenda eſſe.*

7. Meritò affirmauit. &, ſi P. Romanus mendacij vult illum coarguere; proferat Edicti verba. non poteſt. Producit verba literarum ad Oratorem Romam ſcriptarum: vbi inter cætera illa habentur. *quandoquidẽ, &c. noſtrum nuper publicatum Edictum reſtitutionem ipſis Ordinibus faciendam expreſsè ſtatuat.* Quid de hiſce literis ſentiendũ ſit, infra commodius dicetur; nunc dico, ex ipſis his verbis literarum nil aliud colligi, niſi Cæſaris intentionem fuiſſe, vt Monaſteria antiquis Ordinibus reſtituerentur: quod verò ipſis tantum reſtitui neceſſariò deberent, & non poſſent vllo modo alijs vſibus applicari; hęc verba non habent: & ex altera parte conſtat, etiam poſt Edictum publicatum, vt poſtea videbimus, eundem FERDINANDVM ſecundum dediſſe literas ad ſuos belliduces Fridlandum & Tyllium, quibus eos iubebat deſignare, ſibique proponere aliqua Monaſteria in Saxonia ad fundanda Collegia Societatis IESV & Seminaria.

8. Ibidem ergò P. Romanus iubet, nos legere verba ipſius Edicti in fine ſui Opuſculi extracta. Perlegimus diligentiſſimè, & quæ huc trahi poſſint ſolùm hæc reperimus. *Finaliter decreuimus, Monaſteria & Prælaturas aliaq; bona Eccleſiaſtica auocare, & ijſdem de perſonis iuxta fundationes idoneis legitimè vocatis & qualificatis prouideri curare: adeoq; cuilibet, quod ſibi debetur ſine ambagibus & dilatione reſtituere.* Cæterum, ſi animũ diligenter aduertamus; hæc verba Edicti non cõtinent terminos niſi valdè generales: Curaturum ſcilicet Cæſarem, vt non ſolùm Monaſterijs, ſed omnibus alijs Eccleſijs recuperatis prouideatur de perſonis idoneis, legitimè vocatis, & qualificatis. At, quod ſoli Religioſi eiuſdem Ordinis, & nulli alij ſint tales reſpectu Monaſteriorum; Cæſareum Edictum non

defi-

definit: & ob quatuor rationes ſupra allatas conſtat non voluiſſe definire; neque Cæſar prudenter aliud quicquam ſtatuere & edicere poterat, quàm ſuam mentem eſſe ac voluntatem, vt de bonis Eccleſiaſticis recuperatis diſponeretur tantum ad fauorem illarum perſonarum, quæ iuxta Fundationes, & iuxta Canones & Iura eſſent qualificatæ, adeoq; cuilibet, quod ſibi debetur reſtituere. Ex quibus omnibus propoſitionibus non infertur quicquam contra P. Laymannum, niſi ſubſumatur, reſpectu Monaſteriorum, de quibus agitur, ſolos Monachos eſſe qualificatos, & Monachis de Iure deberi, de quo Cæſar in Edicto nihil pronunciauit, nec P. Romanus hactenus probare potuit.

Num. II.

SVMMARIA.

9. *Conatur P. Rom. arguere mendacij P. Laymannum.*
10. *Abſoluitur P. Laymannus.*
11. *Accuſatur P. Laym. alio nomine.*
12. *Defenditur.*

9. Annotauerat P. Laymannus fol. 28. non ſolùm in Edicto Cæſareo nuſpiam reperiri Monaſteria in ipſis Ordinibus, pro quibus fundata ſunt reſtituenda eſſe; ſed neque in alijs ante menſem Octobrem anni præcedentis 1629. à Cæſare editis decretis tale quippiam oſtendi poſſe. P. Romanus ergò demonſtrare intendit, hoc eſſe falſiſſimum ex varijs reſcriptis Cæſareis, quorum exempla habentur in Appendice fol. 391. quorum vnum emanauit 17. Ian. 1629. aliud 15. Februa. alia alijs temporibus, & conſequenter ante 25. Octob. eiuſdē anni, ad quod tempus P. Laymannus alludit.

10. Si qua occaſione illud annotatum fuerit à P. Laymanno conſideretur; apparebit, verè ab eodem fuiſſe dictum, *nuſpiam reperiri in Edicto Cæſareo Monaſteria ijs ipſis Ordinibus, pro quibus fundata ſunt reſtituenda eſſe; ſed neque in alijs ante menſem Octobrem anni 1629. tale quidpiam oſtendi poſſe*, cum clauſula ſequenti, hoc eſt, *ne qua in antiquis fundationibus mutatio fiat.* totum enim hoc confutabat P. Laymannus, aſſertum ab illo Authore, qui ſcripſerat contra hos Theologos. itaque nunquam negauit in alijs Decretis Cæſareis & Reſcriptis reperiri Cœnobia ſuis quæq; Ordinibus reſtituenda: ſed negauit, habere illud additum, *ne qua in antiquis fundationibus mutatio fiat.* ex eo autem, quod P. Laymannus conceſſit, mentem Cæſaris fuiſſe, vt Cœnobia ſuis quæque Ordinibus reſtituerentur, nō ſequitur eundem, quaſi ſententiam pronunciaſſe, ſolis antiquis Ordinibus Ius competere ad ea Monaſteria recipienda: aut ita re vera eſſe. nam etiam mens Sum. Pontificis, vt oſtendimus, fuit, vt ex Monaſteriorum eorundem bonis, Seminaria, Collegia & Parochiæ fundarentur, nec tamen inde efficitur, vt Pontifex ita quaſi iudicialiter decreuerit: vt etiam P. Romanus contendit.

11. Ibidem, verſu. *ex quibus omnibus.* ait apparere ex dictis, antiquôs Ordines non inchoaſſe litem, cuinam Monaſteria ſint reſtituenda; ſed Edicti Generalis & Reſcriptorum Authoritate fultos ſententiam ex Officio Iudicis latam, ante litem ab Opponentibus intentatam acceptaſſe. Vndè etiam infert, immeritò à P. Laymanno ſugillari Monachos, dum in Præfatione *ſolida ac modeſta Diſceptationis* dixit, *nunquam Deo templum ædificari, quin malus genius Capellam iuxta illud erigere conetur.* quaſi Monachi malo genio inſtigati Capellam ſcandali conati fuiſſent erigere.

12. P. Laymannus, ſicut ingenuè fatetur, ſe eſſe Authorem *Diſceptationis ſolidæ ac modeſtæ*; ita ſeriò negat, illam præfatiunculam à ſe fuiſſe ſcriptam: ſed ab aliquo, qui *Diſceptationem* ipſam ſe inſcio typis euulgauit, neque verum eſt, eo loco Monachos carpi: ſed ſolum dicitur, malum Dæmonem tenuiſſe ſuum ſolemne, & feciſſe quod ſemper ſolet, etiam in Germania; vt iuxta templa recuperata ab hæreticis, in quibus ſperabatur, fore vt Deus antiqua Religione coleretur, poſtquam illa fuerant feliciſſimis armis FERDINANDI ſecundi recuperata; ædificauerit etiam Capellam ſcandalorum ac diſcordiæ, concirando ſcilicet nonnullos, vt diſceptarē atque inter ſe contendere inciperent cuinam de Iure Monaſteria recuperata deberentur.

Num. III.

SVMMARIA.

13. *Aſſerit P. Laym. PP. Societatis fore qualificatos, ſi ipſis Monaſteria aſſignentur.*

14. *Oppugnat hoc P. Rom. 1. quia Caſ. in Reſcriptis definit, eſſe reſtituenda ijs, quibus fundata ſunt.*

15. *Negatur id eſſe definitum à Cæſare, ſolum iuſſu reſtitui.*

16. *2. Quia PP. Societatis non ſunt qualificati, ſed qualificandi.*

16. *Reſp. Omnes eſſe qualificatos, quibus aſſignabuntur.*

18. *Etiam Pueros ac Puellas, etiam Miniſtros reuertentes ad Eccleſiam.*

19. *Aliud arg. Quia illi ſoli qualificati ſunt, qui poſſunt Monaſteria habere ſaluo Iure Ordinariorum.*

20. *Oſtenditur non lædi Ius Ordinariorum, ſi alijs vſibus applicentur.*

21. *Aliud arg. quia Edictum Caſ. vult, Monaſteria reſtitui. ſi alijs dentur, donabuntur, non reſtituentur.*

22. *Imò etiam donabuntur, ſi dentur Antiquis Ordinibus.*

13. Ac ſi demonſtraſſet, Edicto & Reſcriptis Cæſareis definitum fuiſſe, Monaſteria recuperata nulli alij tradenda eſſe, quàm antiquorum Ordinum Religioſis, confutare aggreditur, quod P. Laymannus dixerat Patres Societatis fateri, ſe non eſſe perſonas qualificatas ad Monaſteria extincta accipienda, prius quàm Canonicam ſuper ijs inſtitutionem vnionemque

nemque accipiant. ſi autem Sedes Apoſtolica Societati vnum, ſeu plura Monaſteria aſſignauerit, & Cæſaris voluntas acceſſerit; tum eoſdem iuxta fundationem legitimè vocatos & qualificatos fore. Expendamus iam ſingillatim, quibus hanc Aſſertionem argumentis conuellere nitatur.

14. Primum eſt. ipſe Imperator diſertè, vt vidimus, in diuerſis Reſcriptis verba Edicti explanat, vt Monaſteria illis Ordinibus quibus fundata & dicata ſunt, reſtituātur: ergò nemo iuxta fundationem vtilis eſt aut qualificatus & legitimè vocatus, niſi, qui illius fuerit Ordinis, cui fundatio quondam facta eſt.

15. Reſpondeo, in Edicto nuſpiam haberi, quod aſſeritur à Patre Romano. Decreta & Reſcripta ad ſummùm declarant, à mente Cæſaris non fuiſſe alienum, vt ijſdem Ordinibus Monaſteria reſtituerentur; non tamen de Iure deberi, in quo eſt punctus difficultatis.

16. Secundum Argumentum. Cæſareum Edictum pronunciat, Monaſteria eſſe reddenda perſonis iuxta fundationem qualificatis, ſi PP. Societatis per conceſſionem & acceſſum Pontificiæ & Cæſareæ Authoritatis erunt tales; non ſunt qualificati, ſed qualificandi. tametſi neque hoc modo Patres qualificarentur Monaſterio ſeu Fundationi, ſed Monaſterium Patribus Societatis. mutatio enim, quæ interuenerit, habet ſe ex parte Monaſterij, non Societatis.

17. Reſpondeo, aſſumi, quod eſt probandum. nā, cum bona Monaſteriorū ſint *Vacantia* & ſubiecta liberæ diſpoſitioni Pontificis, & Cæſaris; in his circumſtantijs omnes illi ſunt Qualificati iuxta Fundatorum intentionem principalem, & primariam, (cuius potiſſimum habenda ratio eſt) quos Cæſar & Pontifex iudicauerint, melius promouere poſſe Catholicæ Religionis bonum, animarum ſalutem, diuinam gloriam: & ſpectata hac Fundatorum intentione, in rigore Iuris non magis qualificati ſunt antiquorum Ordinum Religioſi, quàm Societatis, aut alij. Dum autem dico Patres Societatis eſſe qualificatos; non ſic intelligi volo, quaſi ante aſſignationem ſibi factā à Papa & Cæſare de Iure Monaſteriorum bona ſibi vendicate poſſint, ſed quod ſint idonei & qualificati ad hoc, vt illis iuſtè, & ſecundum Fundatorum mentem principalem Monaſteria aſſignentur. Pater Laymannus ergò negat, eſſe qualificatos Patres Societatis in primo ſenſu, non in ſecundo.

18. Ex quibus ſoluitur etiam Tertium Argumentum & Quartum. nam ſi iudicio Romani Pontificis, & Imperatoris putaretur eſſe è re Catholica, aſſignari aliqua Monaſteriorum bona pro educatione infantium, pro puerorum vtriuſque ſexus inſtitutione, pro hæreticorum Prædicantium ad Eccleſiam Catholicam redeuntium ſuſtentatione, pro Turcarum, & Iudæorum conuerſione; fatendum eſt; has omnes perſonas eſſe qualificatas iuxta fundatorum

rum mentem principalem, & non ſolùm iuxta fundationis mutationẽ, niſi minus principalis intentionis, & mutationem materialem.

19. Quintum Argumentum. Mens Imperatoris eſt, vt Monaſteria reſtituantur ijs qualificatis perſonis, quæ poſſunt ea percipere ſaluis Iuribus Ordinariorum. atqui, ſi Monaſteria non exempta, vel exempta mediata dentur Societati ad Collegia. &c. non manebunt ſalua Ordinariorum Iura: nam omnia erunt exempta, & Ordinarij, vel Superiores Ordinum priuabuntur ſuis Iuribus prouidendi, confirmandi, benedicendi, viſitandi, corrigendi, annatas accipiendi, &c.

20. Quod ad Ordinarios pertinet, fruſtra de ipſis ſollicitus eſt Pater Romanus. Norunt illi, per vniones per Sedem Apoſtolicam ab immemorabili fieri ſolitas, de ſuo Iure multum auferri: nec tamen vnquam feruntur, reclamaſſe, cùm in Summo Pontifice, vt ipſemet conceſſit, talis poteſtas non deſit: & ijdem Ordinarij in hoc noſtro caſu Monaſteriorum ſibi ſubiectorum aliquo modo, tantum abeſt vt contradicant; vt potiùs vltrò conſentiant, imò ob publicum Germaniæ & Religionis bonum Apoſtolicæ Sedi ſupplicent, vt huiuſmodi tranlationes fiant. Vbi hic Ordinariorum vlla iniuria? De ſui Ordinis Prælatis ſollicitus eſt Pater Romanus. ſed immeritò. Si enim in Monaſteria recuperata nullum Ius habent, quo Iure queri de iniuria poſſunt? certè Summus Pontifex in nonnullis Monaſteriorum Translationibus ad alios Ordines, ſuis Nuncijs ac Commiſſarijs Apoſtolicis mãdauit, vt in vnionibus & incorporationibus faciendis nullo modo vocarent Monachos: licet alioquin in vnionibus vocari ſoleant intereſſati. vt vel hinc intelligamus, Summi Pontificis ſententiam eſſe, Monachos in his Monaſterijs nullum habere Ius.

21. Sextũm Argumentum. generale reſtitutionis Edictum præcipit, Monaſteria quæque ſuis Ordinibus reſtitui, vt oſtenſum eſt in Reſcriptis; at ſi ea applicentur aliò, quàm pro antiquis Ordinibus; non reſtituentur, ſed donabuntur, idque contra mentem Sacræ Cæſareæ Maieſtatis, quæ proindè à Patre Laymanno non modò iuſtè non defenditur, ſed ne defenditur quidem, quin potiùs egregiè impugnatur, & Generali Decreto non abſque gloria hæreticorum vis infertur.

22. De Edicto & Decretis nimis multum iam dictum, porrò hæretici, ſi nil aliud habent, in quo glorientur; miſeri ſunt. quod autem dicit fututurum, (ſi Monaſteria alijs tradantur) vt donentur non reſtituantur; in quodam ſenſu verum eſt, ſed Pater Romanus meminiſſe deberet, Cæſareum Oratorem reſcripſiſſe Imperatori ex ſententia Miniſtrorum Summi Pontificis, *fore vt donentur* etiam antiquis Ordinibus, *non reſtituantur*, cùm neque ipſi plus Iuris habeant, quàm alij quilibet. in vno ſenſu verum eſſe poteſt, in omni caſu Monaſteria reſtitui,

tui, hoc eſt reſpectu hæreticorum ea occupantium; ſiquidem, qui rem non ſuam detinet, dicitur etiam illam debere reſtituere, etiamſi danda ſit alicui, qui nunquam eam poſſedit. Aliquo etiam ſenſu dici poteſt, Monaſteria reſtitui antiquis Ordinibus magis propriè, quam ſi dentur alijs, quia ſaltem illa poſſederunt Religioſi eiuſdem Ordinis.

Num. IV.

SVMMARIA.

23. *Ait P. Rom. Conſilium Cæſar. ſenſiſſe, Monaſteria non eſſe extincta, cùm decreuerint, eſſe reſtituenda antiquis Ordinibus.*

24. *Negatur id decreuiſſe.*

23. Eandem pellit chordam, aſſerens, Cæſaream Maieſtatem, eiuſque Conſilium Secretum & Aulicum non iuſtè defendi à P. Laym. quia ſi ſentirent iſti, Monaſteria eſſe *extincta*; non decernerent ea reſtitui debere antiquis Ordinibus.

24. Atqui, cùm neque Cæſarea Maieſtas, neque Conſilium Secretum & Aulicum vnquam decreuerint, Monaſteria recuperata antiquis Ordinibus de Iure ac neceſſariò eſſe reſtituenda; Patris Romani illatio, calumnia potiùs eſt: & Pater Laymannus iuſtè vtroſque defendit.

Num. V.

SVMMARIA.

25. *Si Monaſteria antiquis Ordinibus non debentur, immeritò à Cæſare fuiſſe laudatos Anteceſſores ſuos.*

26. *Oſtenditur meritiſſimo laudatos fuiſſe.*

25. Non ſolùm non defendi, ſed grauiter offendi contendit à P. Laymanno S. C. Maieſtatem, quæ ſuorum Anteceſſorum iuſtitiam in reſtituendis cuique Ordini Monaſterijs commendat in Edicto. §. Auß welchem bißhero. Si enim, vt P. Laym. vult, illi Principes id non *de Iure*, ſed *ſecundum æquitatem* duntaxat fecerunt; ſequitur à FERDINANDO II. laudatos fuiſſe immeritò ſuos Anteceſſores, qui admiſerint ad agendum iudicialiter Ordines, qui Ius agendi nullum habebant, & dederint Monaſteria *extincta*, cui voluerunt, quod in Cæſarum poteſtate non eſt, ſicque faciendo irrequiſito Pôtifice, inuaſerint Iura Prælatorum Eccleſiæ, & denique pro ſpoliatis habuerint eos, qui non erant.

26. Reſpondeo, Iure ac meritò fuiſſe à FERDINANDO II. commendatam ſuorum Anteceſſorum iuſtitiam; nec in verbis P. Laym. vllum eſſe verbum, quo vel leuiſſimè ijdem Cæſaris Anteceſſores perſtringantur. Nam quando aſſeruit, non *de Iure*, ſed *ſecundum æquitatẽ* duntaxat iuſſu Cæſarum reſtituta fuiſſe Monaſteria antiquis Ordinibus, locutus eſt de Monaſterijs *extinctis*, & quorum bona *Vacantia* erant;

Digitized by Google

erant, vt patet ex fol. 321. vbi hæc habentur. *aut ſi Monaſteria de Iure vacarunt & extincta fuerunt interdum ſecundum æquitatem, cùm alia diſpoſitio à Romano Pontifice non proponeretur; Generali eiuſdem Ordinis ad ordinandum data fuiſſe*, ſupple quæ habentur ſuperius, hoc eſt, *Ferdinandum Secundum dixiſſe rectè factum*. Cùm ergò in Monaſterijs *extinctis* Ordines antiqui nullum *Ius aut Actionem* prætendere poſſent; ſolùm petere poterant ab Imperatoribus, vt *ſecundum æquitatem* permittente ac rationabiliter conſentiente Romano Pontifice, ſibi reſtituerentur; adeoque ſi Cæſares fungentes *meri iudicis* officio mandarunt reſtitutionem; proceſſerunt *ſecundum æquitatem* duntaxat, quod ſi voluiſſent fungi *nobiliſſimo* ac libero officio ſuo Cæſareo; potuiſſent etiam procedere *ſecundum iuſtitiam*, etiamſi nemo peteret quicquam, & multò magis, ſi adeſſent, qui peterent eadem Monaſteria. Quod ſi ſupponamus inter Monaſteria Iuſſu Cæſarum reſtituta antiquorum Ordinum Religioſis, fuiſſe aliqua (vt eſſe potuerunt, præſertim annis proximioribus eorundem occupationi) in quibus illi Religioſi *Ius & Actionem* propriè dictam haberent, eò quod, verbi gratia, ipſimet fuiſſent ſpoliati, vel eſſent Succeſſores ſpoliatorum in Monaſterijs ſuis proprijs vnitis; tunc illi Imperatores mandando reſtitutionem non ſolùm proceſſerunt *ſecundum æquitatem*: ſed adminiſtrarunt partibus implorantibus *etiam iuſtitiam*. Proinde in nullo caſu ſequitur, à FERDINANDO ſecundo laudatos fuiſſe Anteceſſores, qui non erant laudandi. nam ſi Monaſteria, vt ſupponit Pater Laymannus, erant primi generis, hoc eſt *extincta* & eorum bona *vacantia*; reſtituerunt illa antiquis Ordinibus *ſecundum æquitatem* duntaxat, ſi verò erant ſecundi generis; proceſſerunt etiam *ſecundum iuſtitiam*, & in primo caſu potuerunt admittere antiquos Ordines ad petenda Monaſteria, non quaſi ſibi de Iure debita: ſed ſolùm *ex æquitate*, neque quaſi ſpoliatos; ſed ſolùm dignos: & Cæſares ex *nobiliſſimo officio* ſuo Cæſareo potuerunt eiſdem Monaſteria tradere *etiam ſecundum Iuſtitiam*, nullo modo lædentes Iura Prælatorum Eccleſiæ. quia illi vel expreſsè vel tacitè conſentiebant. In ſecundo verò caſu reipſa admiſerunt ad agendum habentes *Ius & Actionem*, & verè Spoliatos aut Spoliatorum ſucceſſores.

Num. VI.

SVMMARIA.

27. *Ob. Argui à P. Laym. Cæſarem negligentiæ vel imprudentiæ.*

28. *Neutrum verum eſt.*

27. Contendit, à Patre Laymanno Imperatorem argui vel *negligentiæ*, quaſi per Decretum ac tot Reſcripta nondum ſufficienter prouidiſſet, cui Monaſteria deberent reſtitui, vel *imprudentiæ*, quaſi malè, & hoc probat ex fol. 492.

28. Sa-

28. Satis eſt recitare ipſa verba, vt P. Romanus coarguatur manifeſtæ calumniæ. Author contra quem P. Laymannus ſcribebat, dixerat, niſi Monaſteria lapſa vel recuperata eiuſdem Ordinis Religioſis reſtituerentur, futurum fuiſſe, vt Monaſteria, præſertim pinguioris glebæ, perpetuos haberent competitores, vt ſibi aſſignarentur tanquam dignioribus, &c. P. Laym. reſpondet, inſcitè, nedum malitioſè hæc dicta; ac meliùs dicturum fuiſſe illum Authorem, ſi Monaſteria Germaniæ *extincta* eorumuè bona *Vacantia* ſint, ideoque nulli Ordini aut Congregationi Regularium debita; ad Eccleſiæ Prælatos, imprimis Romanum Pontificem & Supremum earum Aduocatum Cæſarem ſpectare, vt prouideat cui Ordini, vel alteri pio vſui pro maiore Dei gloria, Eccleſiæque eius augmento applicari debeant. Quid eſt in his verbis, quibus putat à P. Laym. Cæſarem vel *negligentia* vel *imprudentia* argui, quod hoc probet, ego ſanè non video. deinde, licet P. Laym. dicat, ad Cæſarē ſpectare, vt prouideat, &c. Vnde colligit, aſſeri ab eodem, non fuiſſe prouiſum? ſatis ſuperque prouiſum fuit per Edictū Generale, quo ſine vlla cunctatione imperatur reſtitutio bonorum Eccleſiaſticorum facienda ab hæreticis occupatoribus, & per leges & Canones, quidiſponūt, vt ſi bona ſint *Vacātia*; de ijs liberè Romanus Pontifex & Imperator ſtatuere poſſint, & applicare illi vſui pio, qui ipſis videbitur: ſi verò eadē bona non ſint *Vacantia*; illis debere reſtitui, quibus ſunt debita.

Num. VII.

SVMMARIA.

29. *Atrox dictum.*
30. *Sed iniuria Patri Laymanno aſſictum.*
31. *P. Laym. fatetur Cæſarem teneri Monaſteria ſuis Ordinibus reſtituere.*
32. *Exponitur, quo ſenſu id fateatur.*
33. *De Monaſterio Oenipoenti fundato.*
34. *Non eſt eadem ratio Beneficiatorum & Monachorum reſpectu Monaſteriorum de quibus agitur.*
35. *Canonicum quoddam reſponſum defenditur.*
36. *Imperator poteſt impedire ne Monaſteria extinguantur.*
37. *Sed hoc non habet hîc locum.*
38. *Ex dictis P. Laymanni infert abſurda P. Romanus.*
39. *Demonſtratur quàm malè inferat.*

29. *Atrox*, inquit, *dictum: quodque omnibus hæreticis non immeritò Iubilum, Religioſis autem lachrymas excutiat.* Deus bone! quodnam dictum? *Falſum eſſe ait Oppoſitor*, inquit P. Romanus, *& Eccleſiaſtica Conſuetudini repugnans, ſi alicubi Ordo Sanctorum Benedicti aut Franciſci inſtitutus ſit, Cæſarem iuramento obligatum eſſe ad eum defendendum, vt inuiolabiliter ibi permaneat.*

30. Afferamus integrum locum *ex Iuſt. Defenſ. fol* 490. & omnis atrocitas procul erit *Reſpondetur*, inquit Pater Laymannus, *falſum eſt, & Eccleſiaſtica Conſuetudi repugnans, ſi alicubi Ordo Sancti Benedicti aut Sancti Franciſci inſtitutus* Ee *ſit,*

ſit, Cæſarem iuramento obligatum eſſe ad eũ defendendum, vt inuiolabiliter ibi permaneat. cùm plures cauſæ occurrere poſſint, cur mutatio & tranſlatio per legitimam Eccleſiaſticam Authoritatem inſtituatur, prout ſæpiſſimè factum eſſe conſtat Cæſare alijſuè Principibus nequaquam ſe opponentibus, ſed quandoque etiam tranſlationem procurantibus. An hoc negat Pater Romanus? vultne ſemper, & in omni caſu Cæſarem vi iuramenti teneri procurare, vt inuiolabiliter Ordo Religioſus ibi permaneat, vbi eſt inſtitutus? Quid ſi integrum Monaſterium deficiat à fide? quid ſi totus Ordo noxius ſit Eccleſiæ, vt fuit Templariorum &. Humiliatorum? tenebiturne Imperator ſeſe opponere Pontifici, ne ſuum violet Iuramentum? Apage ſis cum iſtis cauillis. Iuſiurandum obligat, niſi ſuperueniat caſus, in quo ſeruari non debeat. Miror profectò, Patrem Romanum non animaduertiſſe, fuiſſe à ſe omnes illos Principes damnatos periurij, qui Monaſteriorum Tranſlationes, aut non impediuerunt, aut procurarunt.

31. Ibidem verſu. *at ſeipſum neſcius.* addit Patrem Laymannum ſe emendaſſe, & falſum eſſe fol. 135. 414. & 8. Cæſarem ex officio ſuo & vi iuramenti debere Monaſteria ſuis Ordinibus reſtituere.

32. Expendamus ſingula. folio centeſimo trigeſimo quinto, ſic dicitur. *At verò hic verſamur in caſu quando ſpoliati omnes mortui ſunt, & nullus in bonis ac Iuribus Monaſterij ſucceſſor adeſt, ſed alterius Monaſterij ac Tituli Abbas petitionem ac libellum format. De hoc dictum eſt quæſtione prima, folio decimo ſexto. ſecundum quandam æquitatem ex tacita voluntate Eccleſiaſticorum Prælatorum reſtitutionem eiuſdem Ordinis Religioſi factam fuiſſe per Cæſaris Supremi Aduocati officium, quod ſi Monaſteria tanquam de Iure debita exigantur, ita vt tranſlatio & applicatio ad alium vſum pium de iniuſtitia crimine arguatur; tunc exactiore huius rei examine opus erit.* Ex his liquet, Patrem Laymannum ſentire, poſſe quidem Cæſarem ex ſuo officio Aduocatiæ Supremæ de conſenſu Eccleſiaſticorum Prælatorum Monaſteria antiquis Ordinibus reſtituere; non tamen illis eſſe debita: &, ſi alio transferat, non facere contra iuſtitiam, nec contra Iuramentum.

33. Folio verò 414. agitur de Monaſterio fundato Beatæ Virginis admonitu, pro Monialibus Ordinis Seruorum eiuſdem Beatæ Virginis, quod Monaſterium poſſidebatur ab illis Virginibus, pro quibus fundatum erat, nec erat *Vacans*, nec *extinctum*. Quid ergò mirum, ſi Pater Laymannus dicat, illud non poſſe abſque iniuria tradi Patribus Societatis aut Præmonſtratenſibus; & Sereniſſimum Leopoldum teneri ſe opponere Tranſlationem procurantibus. Eodem loco Pater Laymannus diuerſum eſſe ait noſtrum caſum, quia Monachi reſpectu Monaſteriorum, de quibus agimus, nullum Ius habent, vt toties dictum eſt.

34. Multò minus eſt ad rem, quod

afſertur ex folio octauo, vbi dicitur. Sicut Beneficiarij ſæculares non poſſunt cogi ad relinquenda beneficia ſua abſque culpa ipſorum, ita Regulares non poſſe auelli à Iure Monaſterij in quo profeſſi ſunt, & alimentis inde debitis. Oſtendat prius Pater Romanus, Monachos modernos habere Ius in Monaſterijs recuperatis, in ijſdem fuiſſe profeſſos, ex ijſdem alimenta ſibi deberi; tunc cauſam obtinebit; ſed cùm nil horum poſſit; neque etiam oſtendit, P. Laymannum ſe emendaſſe, & falſum eſſe, Cæſarem teneri ex vi Iuramenti Monachos modernos in ſuis Monaſterijs inuiolabiliter conſeruare in omni caſu.

35. Eodem §. ab illis verbis. *quæ ſi vera ſunt*. incidenter ex occaſione, quod Pater Laymannus dixerit, Regulares non poſſe auelli à Monaſterijs, in quibus profeſſi ſunt, infimulatur à Patre Romano proptèrea, quia affirmauit eſſe *Canonicum reſponſum* illius Theologi, qui iudicauerat, aliqua Virginum Cœnobia, quæ pauperes habent Religioſas, & quibus in alijs Monaſterijs prouideri commodè poſſet, aſſignanda eſſe Catholicæ Religionis propugnatoribus (ipſe addit de ſuo ad Societatis inuidiam, *Ieſuitis*.) ſed ſi locum integrum recitaſſet; accuſationis vanitas appareret. ſic habet. *Ecce quam benignus ſit Theologus iſte. ex ijs tantum Virginum Monaſterijs aliqua in eum vſum applicanda eſſe cenſet, quæ vel deſerta ſunt, vel à tam paucis inhabitantur; vt ijs in prouincijs reformari commodè non poſſint, tunc Sanctimonialibus conſultius eſſe cenſet, ſi in alijs Monaſterijs collocentur, vbi Regularis Obſeruantia & diſciplina viget. Canonicum hoc eſt reſponſum, in quo nihil eſt, quod reprehenſionem aliquam mereatur.* Hactenus P. Laym. & ſapienter. quia cùm eiuſmodi Monaſteria ſint penè deſerta, in prouincijs ferè totis hæreticis, exiguos habeant reditus, pleraque ſint extra ciuitates, ædificia plerumque ruinoſa, nec adeò ſit facilè reperire Moniales aliquo numero ex alijs Monaſterijs educendas, quæ ad hæc deſerta mitti facilè poſſint, & conſequenter eadem Monaſteria per eiuſdem Ordinis Moniales ordinari nequeant; quid poteſt eſſe magis conſentaneum ſacris Canonibus, quàm vt illæ paucula, quę ſuperſunt, ad eiuſdem Ordinis Monaſteria transferantur?

36. Eodem §. ab illis verbis. *ſed iam ad propoſitum*. repetit, Imperatorem tanquam Patronum omnium Eccleſiarum Regularium poſſe optimo Iure ſe opponere, ne Monaſteria recuperanda *extinguantur*; & contra Fundatorum diſpoſitionem & Ius gentiũ & Canonicum mutentur in Collegia, Academias, &c.

37. Verum cùm ſubſumere non poſſit, hæc fieri in noſtro caſu, quæ dicta ſunt; non ſatis ad propoſitum inferuntur.

38. Eodem §. ab illis verbis. *at hic diutius*. affert duo loca ex *Iuſta Defenſione*. Primum fol. 261. Secundum 469. in primo P. Laymannus ait Cæſarem ratione Iuramenti ſui & Imperatoriæ dignitatis officio, tanquã Eccleſiarum Aduocatum teneri illas defendere,

& Iura ac bona earundem conſeruare. in ſecundo affert Argumentum illius Authoris, quem confutabat, eique reſpondens ſubiungit, Ordines Religioſos titulo Gratitudinis, eo quod Monaſteria ab ipſo Cæſare recuperata ſint, permiſſuros libenter eidem, vt Monaſteria recuperata ad alios pios vſus transferat. Hæc igitur rep ehendit P. Rom. dicens, hoc nil aliud eſſe, quàm aſſerere, Ordines Religioſos conceſſuros Cæſari, ne ſit fidelis Aduocatus Eccleſiarum, ne obligetur ex officio eis, & per eos reſtaurandæ Germaniæ benefacere, eoſque defendere ac tueri.

39. Quam vafrè adducantur hæc duo teſtimonia, conſtabit, ſi expoſuero ad quod propoſitum à P. Laym. prolata ſint. Refutabat ijs locis Diſceptationem Anonymi, & examinabat, quàm benè reſpondiſſet Argumento à Theologis illis propoſito, quod erat huiuſmodi. *Imperator Auguſtus ob tanto ſumptu vindicatas ab Hæreticis Eccleſias & Monaſteria, Iure poteſt repetere Summam pecuniæ, quàm omnia illa bona vix fortaſſe conſtituerent. Hanc ergò Summam, ſi Imperator liberaliter condonet; Iure meritò tanquam nouus fundator & dotator earum Eccleſiarum & Patronus cenſeri & agnoſci poteſt; ergò Summo conſentiente Pontifice, maiorem Dei gloriam ſpectando, alijs applicare poteſt.* Huic Argumento Diſceptator ille reſpondit, Imperatorem eam Authoritatem ſibi non vindicare, vt propter recuperationem velit eſſe nouus Fundator, aut dotator: ſcire enim ſuam Maieſtatem, ſe vi iuramenti arma ſumpſiſſe, vt Eccleſia ſua bona recuperaret. Replicat ergò P. Layman. hoc verum eſſe, ſicut etiam fol. 261. dixerat; tamen argumẽtum illius Theologi procedere ex maxima quadam æquitate; non quod ob eam rationem Cæſar ſit nouus & verus Fundator; ſed quod cenſeri & agnoſci debeat quodammodò talis: atque adeò Eccleſia & Monaſteria non poſſint rationabiliter contradicere Cæſari, ſi velit aliqua ex recuperatis Monaſterijs ad alios pios vſus applicare. Ex quibus omnibus appatet, P. Laymannum non negare, Cæſarem ex vi iuramenti & officio Aduocati teneri defendere Iura Monaſteriorum, neque velle Eccleſiam obligari ad illum recognoſcendum pro nouo fundatore & dotatore; ſed ſolùm hoc velle, non teneri Cæſarem in omni caſu ad conſeruandum inuiolabiliter Monaſteria in eodem ſtatu; & ipſa Monaſteria in eodem ſtatu; & ipſa Monaſteria & Ordines Religioſos ex maxima æquitate obligari, gratitudinis ergò, ad permittendum, vt poſſit aliqua Monaſteria ad alios pios vſus transferre. Quod Argumentum habet vim, etiãſi agatur de illis Monaſterijs, in quæ aliqui Religioſi habent verum Ius. nã ſi agamus de illis, quæ ſunt *extincta*, & quorum bona ſunt *Vacantia*; antiqui Ordines non ſolùm tenentur ex æquitate Cæſari conſentire, vt aliqua ad alios pios vſus tranſcribat; ſed nullo Iure contradicere poſſunt, quia in his Monaſterijs *nullum Ius* habent.

Num

Num. VIII.

SVMMARIA.

40. *In Monaſterijs recuperatis poſt victoriam Pragenſem.*

41. *Minus Iuris habuit Cæſar; quàm in his de quibus agitur.*

40. Nouæ iniuſtitiæ inſimulat *Defenſionem* P. Laymanni, ac nouæ iniuriæ contra Cæſarem ac tres Theologos Societatis Conſilij Bergenſis Authores, quando ſcripſit fol. 468. Imperatorem plus Iuris habere in hæc Monaſteria recuperata, quàm per Pragenſem victoriam in Monaſteria & bona Eccleſiaſtica Archiepiſcopatus Pragenſis, acquiſierat, ex dictis namque in quæſt. 1. ait, conſtare, hoc aſſertum non ſubſiſtere, & vnicam Differentiam eſſe, quod poſt Pragenſem victoriam reſtitutio facta fuerit inueſtitis & prouiſis; hic autem inueſtiendis & prouidendis.

41. Iniurius fuiſſet P. Laymannus contra Cæſarem, ſi ei plus Iuris non conceſſiſſet in hæc Monaſteria: cùm hæc ſint *vacantia*, nō verò fuerint talia Eccleſiaſtica bona Pragenſia. Tres illi autem Theologi Societatis tunc fuerunt in ea ſententia, vt ſupra explicatum eſt. propter reſolutionem miſſam à Nuncio Apoſtolico P. Becano, cùm autem poſtea ſententiam mutauerint; neque illis iniurius eſt P. Laymannus.

Num. IX.

SVMMARIVM.

42. *Vindicatur* P. *Laym. à calumnia, quaſi Cæſarem ſuſpectum de Simonia feciſſet.* C. c. 30.

42. Grauiſſimum crimen P. Laymanno affingit, quod Cæſarē Simonię ſuſpectum feceiit. Sed ſi vel ſolùm inſpiciatur locus, quem citat; ipſe coarguitur calumniæ. P Laymannus fol. 270. oſtendebat, nullam fuiſſe ab eo Theologo, quem defendebat, illatam iniuriam illis, quos dixerat, fore intruſos, ſi propria Authoritate Monaſteria, aut eorum bona occuparent, vel occupata retinerent: neque licere Imperatori, aut pſius Commiſſarijs permittere, vt Religoſi vlla Monaſteria, aut bona Eccleſiaſtica propria Authoritate inuaderent, aut retinerēt: neq; tales, vtpotè intruſos, defendere. Et ratio erat. quia in caſu, quo Monaſteria ſunt ſoluta per omnium mortem, & nemini Iura ac Tituli debentur, ſi quis ſine Canonica Prælati Eccleſiaſtici inſtitutione poſſeſſionē capiat; intruſionis vitium incurrit. *cap. ad aures de Exceſſ. Prælat. cap. relatum de Iur. Patron.* Cùm ergò ille Theologus veram hanc doctrinam attuliſſet; nemini iniuriam feciſſe cenſendus erat. Addiderat verò P. Laymannus, ſi putetur, eſſe iniurioſum proferre propriam ſententiā; fore, vt nemo Theologorum audeat veritatem aperire; quo fiet, vt Edicti Cæſarei occaſione

(quod tamen ſumma cum prudentia, iuſtitiaq; conceptum, atq; à Romana Sede omnibusq; intelligentibus Catholicis laudatū fuit) plurimæ in Imperio confuſiones, *Simoniacæ pactiones*, aliaque mala prouenire poſſint. Quid enim? ex vi Edicti Cæſarei bonis Eccleſiaſticis recuperatis prouideri debet de vtilibus, & iuxta fundationem legitimè vocatis & qualificatis perſonis: proinde, ſi propria Authoritate liceret ea bona occupare independenter à Prælatis Eccleſiaſticis & Cæſare; quis non videt, quanta inde perturbatio oriri poſſet, quàm latus aperiretur aditus dolis, fraudibus, *Simoniacis pactionibus*, quæ inter ſe inire poſſent cōpetitores? Hæc in Summa dixit P. Laymannus. Quis niſi malignus poteſt ex his venire in ſuſpicionem, quod voluerit reddere Religioſiſſimū Cæſarem FERDINANDVM *Simonia* ſuſpectum?

Num. X.

SVMMARIVM.

43. *Aut notarit de iniquo proceſſu.* C. c. 32.

43. Non leuior calumnia eſt, quòd ab eodem voluerit Cæſarem notari de Iniuſtitia, & iniuſto proceſſu contra hæreticos iniquos detētores Monaſteriorum. Licet enim P. Laymannus negauerit, totam Cæſarei Edicti diſpoſitionem niti ſpolio, & eſſe vllū hoc tempore qui habeat *Actionem* ad recuperationē Monaſteriorum, quia nemo eſt ex ſpoliatis vel eorum hæres, ſeu Succeſſor, non tamen inde fit, vt non poſſit ex vi Edicti Cęſarei peti reſtitutio ab iniquis detentoribus, ſi minus nomine proprio, at nomine Eccleſiæ vniuerſalis, quam ſatis eſt oſtēdere, fuiſſe in poſſeſſione bonorū Eccleſiaſticorum tempore, vel poſt Paſſauienſem tranſactionem, vt dictum eſt quæſt. 1. num. 245. vbi ex ſententia Maſcardi *de probat. vol. 3. cōcluſione* 1321. *num.* 4. admiſſa etiam à P. Romano, probaui, etiamſi de ſpolio agatur, dici probatū eſſe de ſpolio, eo ipſo quòd appareat probatū de antiquiore poſſeſſione. Hinc infertur, malas eſſe illas conſequentias, quas P. Romanus facit, ſic argumentando. nemo Actionem habet per P. Laymannum, ergò nemo ante omnia reſtituendus eſt. Falſa inquam, eſt conſequentia. quia, vt Monaſteriorum detentores cogantur reſtituere, ſatis eſt conſtare de poſſeſſione bonorū Eccleſiaſticorū tempore vel poſt Paſſauienſem Tranſactionē ab ipſis occupatorū. Altera eſt. Edictum Cæſareū non nititur ſpolio, ergò antequam fiat reſtitutio, audiendi ſunt detentores, quos extra caſum ſpolij inauditos damnare iniuſtū eſt. Mala etiam eſt hæc cōſequentia. nam, præterquam quod ſæpè Hæretici in comitijs Imperialibus auditi ſunt, in quibus Catholici expoſuerūt ſua grauamina circa bona Eccleſiaſtica, & vi Edicti Cęſarei reſtituenda ſunt omnia bona iniuſtè occupata poſt tranſactionem Paſſauicam, vt diximus, ideoq; ſatis eſt docere de poſſeſſione illo tēpore, vel poſt habita. Quod autē hoc eodem num. decimo addit P. Romanus, extra caſum ſpolij inauditos damnare iuſtum non eſſe, falſum eſt, vt docet P. Laymannus Cenſur. 32. quia neque

neque in caſu ſpolij Iure conceſſum eſt damnare inauditos, prçterquam ſi cauſa adeò manifeſta ſit, vt euidenter appareat, etiam ſi audiatur Reus, nullam prorſus defenſionem ipſi competere poſſe. ex qua doctrina quoque conuincitur falſitatis illa conſequentia. nam adeò euidens eſt multa bona Eccleſiaſtica contra Pacẽ Religionis occupata fuiſſe, vt manifeſto conſtet, etiam ſi audirentur, nullã ab ijs afferri poſſe idoneam defenſionem.

Num. XI.

SVMMARIA.

44. *Aut Cæſarem obligarit ad faciendum contra proprium Edictum.*
45. *In quo tamen non dicitur, Monaſteria deberi antiquis Ordinibus.*

44. Approbauerat P. Laymannus fol. 29. primi eiuſdem Theologi ſententiam aſſerentis, Cæſarem hoc rerum ſtatu non tantum ſine vlla iniuſtitia aut peccato, ſed cum ſumma etiam laude, maximo apud Deum merito poſſe: & quia aliundè commoda & ſufficientia media non adſunt; teneri ſub graui obligatione ex bonis Eccleſiaſticis recuperatis cũ Authoritate Sedis Apoſtolicæ, fundare Collegia, Seminaria, &c. Hinc P. Romanus nouam accuſationẽ adornat contra P. Laymannum, quaſi dum hanc doctrinam approbat, obliget Cæſarẽ in conſcientia nuncium remittere ſuo Edicto, & quæ legitimè decreuerat reſtituere antiquis Ordinibus, alijs donare, imò eundem inſinuare ait, etiam alios præter antiquos Ordines habere Ius agendi reſpectu horum Monaſteriorum. quia ſi Cæſar etiam alijs tenetur illa dare; illi habent Ius perſequendi quod ſibi debetur.

45. Iam docui ſæpiùs, in Edicto nullum eſſe verbũ, quo ſtatuatur, Monaſteria recuperata eſſe tantum antiquis Ordinibus reſtituenda: & alibi reſpõdi, falſum eſſe obligationi dandi, ſi debitum non ſit iuſtitiæ, correſpondere Ius petendi; vt patet in Diuite, qui obligatur ex Charitate dare Eleëmoſynam pauperi. in quo caſu pauper nullum habet Ius petendi in iudicio, ſibi debitam Eleëmoſynam.

Num. XII. XIII. XIV. XV.

SVMMARIA.

46. *Aut eundem obliget ad impoſſibilia.*
47. *Quæ tamen inferuntur ex vi dictorum à P. Romano.*

46. Nouum iniuriæ genus illatæ à P. Romano Cæſari. obligat enim illũ ad impoſſibilia. patet: quia ex vna parte omnia Monaſteria debent reſtitui illis Ordinibus, pro quibus olim fundata fuerunt, & hoc tenetur præſtare Cæſar vi ſui Iuramenti, & quia eſt veluti fidei Commiſſarius, qui Iure diuino ac naturali & *Concordatorum* Germaniæ tenetur voluntati fundatorum inſiſtere. Ex altera verò ex P. Laymanno tenetur aſſignare aliqua Monaſteria pro Collegijs, Seminarijs, &c. ergò obli-

obligatur ad impoſſibile, quia dare omnia, & non dare omnia contradictoria ſunt. Item obligatur ad non adminiſtrandam iuſtitiam Ordinibus repetentibus ſua Monaſteria. Item obligari ad id, quod non eſt in ipſius poteſtate; ſed ſolius Romani Pontificis, & alia ſimilia non pauca.

47. Hæc omnia impoſſibilia non manāt ex principijs P. Laymanni; ſed ſi ſimul cum illis, quæ ſunt veriſſima, admittantur principia P. Romani, quæ falſiſſima ſunt.

Num. XVI.

SVMMARIA.

48. *Aut quod debeat Partibus implorantibus denegare Iuſtitiam.*

49. *Quod malè infertur.*

50. *Aut antiquis Ordinibus concedat Ius agendi P. Laym.*

51. *Quod nullatenus concedit P. Laym. neque implicitè.*

48. Telum, quod P. Romanus iam intorquet, ſatis dudum repulſum fuit à P. Laymanno in *Iuſta Defenſ.* pag. 357. & 358. ponit, inquit, P. Laymann. duas propoſitiones, quarum prima eſt. *Cæſar debet procedere, vt merus Iudex à Partibus imploratus, atque imploratus non poteſt aliter quàm hactenus ſecundum Iura conſtitutum eſt, ordinare*, id eſt, de bonis Eccleſiaſticis diſponere; & altera. *Cæſar etiam alijs, qui ſpoliati non ſunt, neque officium Iudicis implorant, Monaſteria cum Romani Pontificis Authoritate aſſignare poteſt*, ſunt ſine dubio inter ſe repugnantes, & qui ſecundam affirmat tenetur negare primam, ex quo infert P. Romanus, quod cum P. Laymannus paſſim in Iuſta Defenſ. tueatur ſecūdam, ei neganda ſit prima, hoc eſt, Cęſarem debere procedere vt Iudicem, atque partibus implorantibus prout ſecundum Iura conſtitutum eſt, iuſtitiam adminiſtrare.

49. Reſpondit inquam, dudum P. Laymannus huic ſophiſmati *Iuſt. Defenſ. fol.* 357. neq; ſe, neq; illum Theologum, quem defendebat, aſſeruiſſe vnquam primā ex illis duabus Propoſitionibus, eo modo, quo P. Roman. refert, qui eā facit abſolutā, & accipit in ſenſu abſoluto cùm tamē hypothetica ſit. ita vt ſit ſenſus, Cæſarē, vt merum Iudicem, non poſſe niſi imploratum, atque imploratum non poſſe aliter, quam ſecundum Iura conſtitutum eſt, iuſtitiam adminiſtrare: non autem vt abſolute Cæſar in hoc caſu noſtro debeat procedere vt Iudex, atq; partibus implorantibus ſecundū Iura Iuſtitiā adminiſtrare: hinc fit P. Laymāno, qui tuetur ſecundam Propoſitionem, non eſſe neceſſariò negandam primam, & affirmandum, quod Cęſar in præſenti caſu noſtro nō debet procedere vt Iudex, neque partibus implorantibus, prout ſecundum Iura cōſtitutum eſt, iuſtitiam adminiſtrare. quis enim neſcit, nō eſſe contradictorias duas Propoſitiones, quarum altera ſit abſoluta, altera hypothetica?

50. Eodem numero in fine aduertit, P. Laymannum in præfata Propoſitione implicitè & per neceſſariā ſequelam concedere antiquis Ordinibus

bus Ius agendi & implorandi, ſecundum Iura, officium Iudicis, quod tamen alias negare ſolet.

51. Reſpondeo, nullatenus id ſequi. tametſi enim P. Laymannus cõcedat, Cæſarem imploratum à partibus poſſe procedere in hoc negotio, vt iudicem; nihilominus hinc non ſequitur, Ordines antiquos habere Ius ad implorandum, & illa Aſſertio eſt accipienda accommodè, hoc eſt, vt, ſi qui ſunt, qui habeant *Ius agendi* ad recuperationem bonorum Eccleſiaſticorum ab hæreticis occupatorum; Cæſar, ſi imploretur, poſſit ac debeat, vt Iudex procedere, eiſque ſecundum Iura adminiſtrare iuſtitiam. P. Romanus hactenus non oſtendit, antiquos Ordines *habere hoc Ius.*

Num. XVII.

SVMMARIA.

52. *Aut quod Cæſar ſit violator Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis.*

53. *Quod nullo modo infertur ex dictis P. Laym.*

52. *Sacratiſſimus*, inquit, *Imperator Monaſteria p Edictũ & Reſcripta Cæſarea ſolis antiquis Ordinibus adiudicando, primus ac præcipuus aſſeritur violator Sacrorum Canonum & Eccleſiaſticæ poteſtatis.* quia ex ſententia P. Laymanni ad Pontificem, non ad Cæſarem pertinet Eccleſias transferre, diuidere, vnire, &c.

53. Licet P. Laymannus aſſeruerit, ab Authoribus Diſceptationis & Suſceptæ defenſionis Sacros Canones & poteſtatem Eccleſiaſticam nõ parum labefactari; non tamen id dixit gratuitò, legantur caput 4. & 5. Synopſeos præpoſitę *Iuſtæ Defenſioni* P. Laymanni, & intelligetur, quoties illi Authores lapſi ſint, at Edicto & Reſcriptis Cæſareis nullo modo labefactantur Canones, vel Pontificia poteſtas læditur. quia, dato etiã & non conceſſo, quòd Edicto aſſignarentur Monaſteria ſolis antiquis Ordinibus & non alijs: ac proindè, ſi aliquod Monaſteriũ transferretur ad alium pium vſum, læderetur ex ſuppoſitione Ius Tertij; in eo caſu non læderetur à Cæſare Ius Canonicum, nec Põtificia poteſtas, quia ſi quicquam fieret, fieret Authoritate Summi Pontificis. Sed vtrumque falſum eſt, vt probauimus. nã neq; Edicto illud ſtatuitur, nec in Trãſlatione ad alios Ordines aufertur Ius vllius.

Num. XVIII.

SVMMARIA

54. *Ob. Aſſerens omnia Monaſt. deberi antiquis Ordinibus, conſtringit Cæſarem.*

55. *Falſum eſt autem deberi.*

54. Qui aſſerunt, omnia Monaſteria recuperata de Iure eſſe debita antiquis Ordinibus, non eſt dubium quin arctiſſimo vinculo conſtringant Cæſarem, ne de aliquo pro ſuo arbitratu Authoritate Põtificis diſponere queat, etiam ad maius Eccleſiæ bonum. P. Laymannus ergò hanc etiã ob cauſam, ne hæc obligatio fruſtra Cæſari inijceretur, ſuſcepit *Iuſtam Defenſionẽ.*

Digitized by Google

ridetur ergò à P. Roman. *quia*, inquit, *hoc non eſt defendere Cæſarem, ſed offendere, & rebus contraria nomina imponere.*

55. Falſum eſt, ab illo demonſtratum eſſe, omnia Monaſteria de Iure antiquorum Ordinum Religioſis deberi, adeoque defendendus fuit Cæſar, ne fruſtra à P. Romano in hoc vinculum inijceretur.

Num. XIX.

SVMMARIA.

56. *Accuſatur P. Laym. quaſi dixerit, à Cæſare imminuta Iura Eccleſiaſtica.*

57. *Vindicatur ab iniuria.*

56. Quæ ſequitur, intoleranda impoſtura eſt. audet affirmare. à P. Laymanno dici, pijſſimum Cæſarem FERDINANDVM Secundum, mandando reſtitutionem pro antiquis Ordinibus *Sedis Apoſtolicæ Authoritatē eiuſdemq́; Iura imminuere, Eccleſiaſticas cauſas ad forum ſuum trahere, & Romano Pontifici leges in ea re præſcribere, Eccleſiaſticamq́; immunitatem lædere videri.* niſi ipſum ſuo calamo defenderet.

57. Audiatur ipſe P. Laymannus in proœmio *Num. XXVII. Secundo ne pijſſimus Cæſar* FERDINANDVS *ſecundus Sedis Apoſtolicæ Authoritatem, &c.* lædere videatur. *veruntamen ab his omnibus Auguſtiſſimi noſtri Cæſaris mens ac voluntas alieniſſima eſt. quia vti ſupra dictum. rationes eas, itemq́; Argumenta Epiſtolæ ad Oratorem Maieſtas ſua nunquam vidit aut legit, & cumprimum de ijs intellexit, examinari præcepit, &c.* Itaque P. Laymannus contendit, nō Edicto, ſed illis ſeptem Rationibus *violari Sedis Apoſtolicæ Authoritatem, eiuſdemq́; Iura imminui &c.* Ac propterea neceſſarium P. Laym. fuit *Defenſionē* ſcribere, & demonſtrare, vt fecit, Rationes illas eſſe ſuppoſititias. Quid ad hęc P. Romanus? *hoc nō eſſe Cæſarem defendere, quia non eſt violare Iura Apoſtolicæ Sedis, ſpoliatum reſtituere, Ius ſuū cuiq́; reddere, implorantibus adminiſtrare iuſtitiam,* & talia multa ſemper ab ipſo ſuppoſita, nunquam probata.

Num. XX.

SVMMARIA.

58. *Item quaſi aſſeruerit Mandata Cæſarea & Edictum eſſe à Iure aliena.*

59. *Defenditur quoad mandata.*

60. *Et quoad Edictum.*

61. *Nunquam P. Laym. reprehendit Cæſaris Mandata.*

62. *Nec Hæretici triumphare poſſunt.*

58. Pauciſſimis verbis plurimum fallaciarum, errorum, & criminationum repræſentatur. hoc nō eſt multorum, eſt tamen eorum qui è Scoppij diſciplina prodierunt. Ex eo, quòd P. Laymannus affirmauerit, mādata Cæſaris ad Oratorem Romæ (quæ alibi fatetur eſſe ipſiuſmet Cæſaris) eſſe à Iure prorſus aliena, & contraria ijs, quæ à Cæſarea Maieſtate ſæpiùs ſcripta ſūt; ait P. Romanus, ſequi, ipſum quoque Generale reſtitutionis Decretum, & conformia Reſcripta, & pleraſque epiſtolas ad Oratorem & Cæſareos Commiſſarios, à Iure communi aberrare. Vnde eſt, quod iterum triumphum parent Hæretici, quando audiunt

diunt ab Opponente ſuum Cæſarem pro Iuris violatore proclamari.

59. Primò falſum eſt, vſpiam P. Laymannum faſſum eſſe, illa eſſe *mandata Cæſaris*. dixit enim ſemper, eſſe *Mandata Subreptitia* illa, quibus inſeruntur ſeptem illæ Rationes: & conſequenter vult, non eſſe Cæſaris Mandata. itaq; P. Layman. eodē prorſus modo faſſus eſt illa eſſe mandata Cæſaris, ſicut fateretur eſſe hominē, qui diceret hanc picturam eſſe hominē pictum.

60. Secundò falſum eſt, ex dictis P. Laymanni ſequi, ipſum quoque reſtitutionis Edictū, Reſcripta, & pleraſq; epiſtolas à Iure communi aberrare. quia in Edicto nihil eſt tale, neque in Reſcriptis neq; in Epiſtolis, in quibus nō ſunt inſertæ ſeptem illæ Rationes, illæ enim ſolæ ſunt, quæ omnia corrumpunt, & quæ maximè alienæ ſunt à Iure commini. Si quæ igitur Reſcripta, aut Epiſtolæ à Cæſare ſcriptæ iubeant, reſtitui Monaſteria antiquis Ordinibus; non ſunt cenſenda ſubreptitia, vtpote quæ nihil contineant à Iure, vel æquitate alienum.

61. Tertiò falſum eſt, à P. Laymanno fuiſſe vnquam reprehenſa Mandata, Reſcripta, & Epiſtolas Cæſareas, quâ habebāt præcisè, ne Monaſteria alijs; quam ſuis quoque Ordinibus aſſignarentur; ſed ſolum in ſenſu compoſito, quâ ſcilicet prohibebatur, & illicitum eſſe aſſerebatur ob intruſas illas Rationes falſas & Eccleſiaſticæ immunitati repugnantes, aliter fieri atque de ijs diſponere.

62. Denique vanum eſt, quod ex dictis P. Laymanni Hęretici Iure triumphum parare poſſint. tātum enim abeſt, vt *Cæſar pro Iuris violatore proclametur*, vt potius, ne talis exiſtimetur, demonſtrare voluerit P. Layman. Mandata & Epiſtolas cum adiunctis ſeptē illis Rationibus omni Iure contrarijs, eſſe ſuppoſititia.

Num. XXI. vſque ad XXVII.

SVMMARIA.

63. *Grauis expoſtulatio contra P. Laym.*
64. *Retorquetur crimen, ſi quod.*
65. *Nuſquam P. Laym. accuſauit Cæſ. Conliarios.*
66. *Principibus ob occupationes poteſt aliquando illudi.*
67. *Cæſar cultor Eccleſiaſticæ poteſtatis.*

63. Acriter inuehitur in P. Laymannum, quod tam ſupinæ negligentiæ atque incuriæ Prudentiſſimum Imperatorem FERDINANDVM ſecundum accuſet; vt ſeptem illas Rationes litteris ad Oratorem ſuum Romæ, aliosque Principes & Epiſcopos in Imperio, ipſo neſciente, non iubente cōſcriptas & inſertas, nunquam à ſe viſas, lectas, conſideratas ſubſcripſerit: ac proinde in Aula ſua ſolitus fuerit habere, amare, remunerari, Conſiliarios peſſimos, qui contra Maieſtatis ſuæ voluntatem epiſtolas eiuſmodi conceperint, qui Cæſari infideliter referant falſa, qui ſecreti vel Aulici Senatus concluſis contra venerint, porrexerint ſubſcribendos errores, falſa, ſcandaloſa, &c. qui ſigillo Cęſaris abuſi ſint, & inſtar falſariorū Cæſarem, Imperij Principes fallere temerariè præſumpſerint. Hanc expoſtulationem iniquiſſimam eſſe ex pluribus capitibus demonſtrabo.

 64. Pri-

64 Primò, ſi tamen graue crimen eſt P. Romano accuſare Cæſarem tantæ oſcitantiæ atque incuriæ; cur ille quoque accuſat quæſt. hac *Num. LI.* Non dubitans aſſerere literas ad Duces Fridlandum & Tyllium, & ad tres Prouinciales Societat. IESV per Germaniam, quibus literis iubebantur notare Monaſteria Societati & Seminarijs applicanda *Opreptitias* eſſe? Cur quæſt. 6. fol. 245. col. 1. verſ. *an verò vel quantum.* accuſat Oſcitantiæ & incuriæ Eminentiſſimorum Cardinalium Cōgregationem Palatinatus propter illud Decretum Caſſatorium, contra Conuentum Ratiſbonenſem? An ſibi accuſare Cæſarem ſupinæ negligentię & Sacram Congregationem incuriæ licere putat? P. Laymanno non putat?

65. Secundò, iniquiſſima eſt expoſtulatio. quia P. Laymannus nūquam, nec per ſomniū, ſuſpicatus eſt, multò minùs affirmauit, ſeptem illas Rationes, aut conceptas, aut ſcriptas, aut intruſas fuiſſe epiſtolis Cæſareis à ſuæ Maieſtatis Conſiliarijs: imò expreſsè affirmauit ab *aliquo Conſcipiſta* id factum eſſe, & *à non nemine* intruſas.

66. Tertiò iniquiſſima eſt, quis enim eſt, qui neſciat magnos Principes tāta multitudine negotiorum oppreſſos, quiq; tam multorum opera indigent, & Secretariorum & Cancellariorum & Amanuenſium, neq; vno, aut altero opus habent ſigillo, non poſſe ad ſingula attēdere, nō poſſe verbatim quęcunque ſubſcribenda porriguntur, legere, conſiderare, ita vt nihil vnquam irrepat ab ipſorum mente alienum?

67. Quartò. quia cùm ab Auguſtiſſimo Imperatore FERDINANDO lōgiſſimè ſemper abfuerit, vt vel minimū Sacros Canones, Pontificiā Poteſtatē, Eccleſiarū Iura violari vellet; aut pateretur; cumq; illæ Rationes hûc tendant; neceſſariò debuit P. Laymannus à Cæſare tam Religioſo Principe negare illas litteras fuiſſe viſas, lectas, probatas, ac proinde fraudem totam reijciendam eſſe affirmauit in *non neminem.* Conſiliarios autem carpere, nulla ratione P. Laymanno in mentem venit; ſed de his Rationibus infra pluribus.

Num. XXVII. vſque ad XLI.

SVMMARIA.

68. *P. Rom. iterum expoſtulat, quod ex dictis P. Laym. ſequatur egiſſe contra Canones Cæſarem.*
69. *Demonſtratur id non ſequi.*
70. *Obijcitur dolus P. Laym. in vertendis litteris Oratoris Cæſarei.*
71. *Clarè oſtenditur nullum interceſſiſſe dolum.*
72. *P. Rom. eleuat authoritatem Officialium Pontificis Summi.*
73. *Contra aſſeritur eadem authoritas.*
74. *P. Rom. miratur, cur P. Laym. non laudet quendam Theologum improbantem Commendas & Penſiones.*
75. *Redditur huius rei ratio.*
76. *In quo ſenſu dixerit, Mandata Cæſaris eſſe ſubreptitia.*

68. Iterum expoſtulat, quòd P. Laymannus aſſerere non dubitauerit, in Epiſtolas FERDINANDI ſecundi ad Oratorem Romæ & quoſdā Epiſcopos irrepſiſſe, *ne Monaſteria Epiſcoporum menſis*

menſis vnirentur, aut *darentur in Commendam*. quod nulla ratione ait fieri veriſimile; cum toties neceſsè fuerit Cæſarem ſubſcripſiſſe contra Iura & Canones.

69. Primùm, ſi perpendantur, quæ proximè dicta ſunt; non apparebit verò abſimile, quod negat P. Romanus. Deinde, ſi fallacia Argumentationis detegatur; conſtabit ſimul de expoſtulationis iniquitate. Fraus ergò in eo eſt, quòd P. Romanus è ſenſu compoſito fecerit diuiſum. Non dixit P. Laymannus abſolutè, Mandatum illud Cæſaris, *ne monaſteria menſis Epiſcoporum vnirentur, vel darentur in Commendam*, eſſe ſubreptitium, imò in proœmio num. 30. eiuſmodi Mandatum non improbauit. *Si in Rationibus* inquiens, *aut Mandatis inhibitum tantum fuiſſet, ne vniones, Penſiones, aut Commendæ in his ab Acatholicis recuperandis Monaſterijs peterentur aut impetrarentur abſque Cæſaris ſcientia & conſenſu, propterea quòd ſua Cæſarea Maieſt. in iſto caſu conueniret attendere ac proſpicere, & ſuis curis, ſumptibus maximis, recuperata bona Eccleſiaſtica, non ſuperuacaneè, ſed pro Eccleſiarum vtilitatibus. prout maior Dei gloria poſtulat applicarentur; nullam ea cẽſuram meruiſſent.* Ex quibus apparet, non aſſeruiſſe, eſſe Sacris Canonibus & immunitati Eccleſiaſticæ repugnans, ſi Monaſteria vnirentur Epiſcoporum menſis, aut darentur in Commendam, aut negaſſe, à Cæſare, hoc fuiſſe ſcriptum: ſed damnauit tanquam falſam & obreptitiam ſequentem propoſitionem compoſitam ſiue hypotheticam, vt ipſemet numero trigeſimo primo, in proœmio immediatè ſubiungit, ſic dicens: *Sed* (hoc eſt, meretur cenſuram, & eſt ſubreptitium) *quod coram Deo vix, ac difficulter excuſari poſſit; ſi in Iure diuino fundata diſpoſitiones contra fundatorum voluntatem immutarentur, ſcandala quoque & inconuenientia euentura eſſent, ſi eiuſmodi incorporationes, penſiones, Commendæ impetrarentur; ideoque ab ijs prorſus abſtinendum eſſe; hæc, inquam, quæ & literis ad DD. Epiſcopos datis præter & contra Cæſareæ Maieſtatis ſcientiam ac voluntatem inſerta, cum Veritati, Sacris Canonibus, Eccleſiaſticæ immunitati repugnent; neceſſè eſt refellere.*

70. Poſt hæc P. Romanus §. *quo in loco, ſub numero 33. fol. 186. col. 2.* obijcit P. Laymanno dolum & impoſturam, quòd in vertendis ex Italico in Latinum ſermonem literis Principis Sabelli ad Cæſarem ſcriptis, omiſerit ea, quæ de reiectis & negatis Romæ Commendis & penſionibus ibidem habentur. Interpretatur autẽ P. Romanus, ideò omiſiſſe, quòd eſſet contra ipſius ſtomachum: & addit §. *ſequenti. ſed ecce præ foribus adeſt.* non rectè excuſari hanc impoſturam à P. Forero, *non data opera id factum eſſe, ſed caſu, cum P. Laymannus ignarus eſſet idiomatis Italici, vel contigiſſe incuria typographorum.* contendit ergò P. Rom. dolum ſubeſſe, ſtudio ea omiſſa fuiſſe à P. Laymanno; ne ſcilicet eo reſponſo Oratoris Cæſarei, cauſam ſuam tanquam telo vulneraret.

71. At quam quæſo cauſam vulneraret? nonne, vt paulò ante vidimus clarè edixit *num. 30. in proœmio*

Iuſt. Defenſ. ſi Rationibus aut Mandatis Cæſareis inhibitum tantum fuiſſet, ne vniones, penſiones, aut Commendæ in his Monaſterijs peterentur aut impetrarentur abſque Cæſaris ipſius ſcientia & conſenſu; eas literas & mãdata non fuiſſe meritura vllam Cenſuram? ergò nullam habuit cauſam omittendi ea verba, quia non aduerſantur ipſius ſententiæ damnantis ſolùm inhibitiones vnionum, penſionum & Commendarum, quaſi repugnent Sacris Canonibus & Eccleſiaſticæ immunitati, nec coram Deo ſaluari poſſit ſi concedantur. Præterea, ſi Pater Laymannus fraudulenter ea verba ex epiſtola Principis Sabelli omiſiſſet, ipſa hæc fraus eum, niſi planè ſtupidus ac ſtultus eſſet, admonuiſſet, & ſollicitum reddidiſſet, vt inquireret in verba Italica ijs reſpondentia vt & ipſa omitterentur in exemplo Italico, quod ſimul cum ſua verſione Latina vulgabat.

72. Eodem *Numero* XXXIII. fol. 187. col 1. verſu. *quod autem in eadem epiſtola.* ex literis Principis Sabelli, in quibus ad Cæſarem ſcribebat, ſibi à Summi Pontificis Officialibus reſponſum fuiſſe, *poſſe eſſe dubium, an non futuræ eſſent in contrarium difficultates; quòd dicerent, ſe reperiſſe multa illorum Monaſteriorum, prius quàm eſſent occupata ab hæreticis, non fuiſſe vnita & incorporata cuiquam Religioſorum Ordini; ſed gubernata per ſe: in quo caſu, ſi applicarentur Ordinibus qui ea prætendebant; non reſtituerentur, ſed donarentur*; ex his inquam literis animaduertens P. Romanus, maximum ſuæ cauſæ præiudicium generari; conatur horum Officialium Authoritati reſpondere. Sed quid? *hanc Obiectionem ſibi ex aliorum potiùs, dubium hoc mouentium, quàm Miniſtrorum Papalium pharetra deſumptam videri.* Confirmat hanc ſuam perſuaſionem: quia Miniſtri illi, cùm non ſint Iuris ignari; poſſunt etiam ſcire, ſeparatam bonorum gubernationem poſſe ſtare cum incorporatione eorundem ad vniuerſalius corpus, vt patet in omnibus bonis Eccleſiaſticis, quæ hoc ipſo, quòd attribuuntur alicui Eccleſiæ particulari, vniuntur & incorporantur Ordini Sacerdotali ſeu Eccleſiæ Vniuerſali. Cur ergò bona vnius Monaſterij, v. g. S. Benedicti non debeant cenſeri eo ipſo, quod ei Monaſterio particulari donata fuerunt, vnita & incorporata toti Ordini?

73. Immò, quia illi Miniſtri Pontificij ſunt Iuris peritiſſimi; propterea, quòd multa ex Monaſterijs recuperatis per ſe gubernantur, nec ante occupationem, nec poſt, vnita eſſent & incorporata cuiquam Ordini; etiam ex propria ſententia aſſeruerunt, *poſſe eſſe dubium, an de Iure deberent reſtitui ſolis antiquis Ordinibus, quibus ſi aſſignarentur, non tam reſtituerentur quàm donarentur.* Neque eſt par ratio bonorum, quæ donantur alicui Eccleſiæ particulari, reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis, & reſpectu Ordinis Religioſi, cuius caput nullam habet Prælationem in Ordine ad bona ſingulorum Monaſteriorum; nam omnia bona, quæ donantur quibuſcunque Eccleſijs particularibus, principalius cenſentur donari Chriſto & Deo, & conſequenter Chriſti

Digitized by Google

Chriſti Vicarius eſt Supremus omnium eiuſmodi bonorum adminiſtrator. In Ordinibus autem Religioſis, de quorum Monaſterijs hic agitur, non eſt talis Adminiſtrator, vt alibi etiam fuſius explicatum eſt. Idem accidit in Eccleſijs Collegiatis ſæcularium Clericorum alicuius Diœceſeos, quæ per ſe gubernantur, & in omnium ſententia, non habent communionem bonorum. Sicut ergò bona vnius particularis Collegiatæ ſunt in Dominio immediatè eiuſdem Eccleſiæ particularis, & mediatè Eccleſiæ Vniuerſalis, & nullo modo pertinent ad Clerum illius Diœceſeos; ita bona alicuius Monaſterij, particularis quoad Dominiũ immediatum ſpectant ad idem Monaſteriũ & quoad mediatum, ad Eccleſiam vniuerſalem, & nullo modo ad Ordinem in communi.

74. Eodem folio 187. §. *vnum etiam hic.* miratur, quòd cùm Pater Laymannus prioris ex illis duobus Theologis, quos defendit, ſuper Tranſlationem Monaſteriorum Iudicium per omnia laudet & confirmet; in hac ſolùm materia de Commendis & penſionibus ab eo diſſentiat. Theologus enim ille cenſebat, non eſſe concedendas in his Monaſterijs, idque ſupponebat, eſſe ſecundum intentionem Cæſareæ Maieſtatis in literis ad Epiſcopos datis: P. Laymannus dicit poſſe concedi, neque contrarium, Cæſarem intẽdiſſe. Ille Theologus ait penſiones & Commendas ab Imperatore ex vi iuramenti præſtiti non poſſe facilè tolerari; P. Laymannus hoc dictum Sacris Canonibus & Eccleſiaſticæ immunitati repugnare. Ille, eam intentionem non concedendi penſiones & Commendas eſſe bonam & laudandam; hic, neceſſariò refellendam. Ille, huiuſmodi Commendas nullo modo eſſe neceſſarias, & ſine confuſione & mutilatione Imperij introduci non poſſe; hic rurſum contendit, hoc dictum aduerſari veritati.

75. Si fallacia detegatur; procul etiã omnis admiratio, nulla apparebit inter P. Laym. & Theologum illum diſſenſio. In eo autem fraus eſt, quod P. Romanus propoſitionem, quæ eſſet accipiẽda in ſenſu compoſito, & quatenus eſt Hypothetica, accipiat in ſenſu diuiſo & abſoluto. Non dixit P. Laym. illo num. 31. repugnare veritati, Sacris Canonibus & Eccleſiaſticæ immunitati, ideoq; refellendas denegationes vnionum, penſionum, & Cõmendarum: ſed dixit, repugnare, ſi dicatur ideò eſſe denegandas, *quòd coram Deo vix ac difficulter excuſari poſſet, ſi in Iure diuino fundatæ diſpoſitiones contra Fundatorum voluntatem immutarentur: ſcandala quoque & inconuenientia certò euentura eſſent, ſi eiuſmodi incorporationes, penſiones, Commenda impetrarentur: ideoque ab ijs prorſus abſtinendum eſſe.* Cæterum Vniones & Commendæ ſimpliciter per Patrem Laymannum non negarentur contra Sacros Canones, &c.

76. Atque ex his patet, nil eſſe aſſertum à P. Laym. vnde deducatur in ipſius ſententia eſſe ſubreptitia omnia aliter ſcripta ab Imperatore,

quæ

quæ P. Romanus recenſet numeris ſequentibus vſque ad 41. de Monaſterijs reſtituendis antiquis Ordinibus, nam, vt toties dixi, P. Laymannus nunquam negauit, per varia Mandata & Reſcripta Cæſarem declaraſſe intentionem ſuam de Monaſterijs reſtituendis Ordinibus antiquis: duo tãtum negauit. Primum, eſſe Cæſaris ſenſum, quòd ſi alijs Monaſteria concederentur; *fieret contra voluntatem Fũdatorũ, nec facilè poſſet coram Deo excuſari*: Alterum, non voluiſſe eundem Cæſarem aliqua Monaſteria alijs pijs vſibus aſſignare. Neque damnandus eſt Cæſar, quòd Monaſteria adiudicarit antiquis Ordinibus, non examinato Iure, quo illa peterent. quia poterat putare, eos non fuiſſe perituros niſi Iure aliquo poſſent, vel præſumere cõſenſum Papæ, vel quia certum erat, nulli fieri iniuriam, ſi illis Ordinibus reſtituerentur.

Num. XLI. vſque ad LI.

SVMMARIA.

77. *Obijciuntur Conſtitutiones Imperij.*
78. *Sed illa non fauent cauſæ Patris Romani.*
79. *Sicut nec Tranſactio Paſſauienſis.*
80. *Nec concordata Germaniæ.*
81. *Accuſantur PP. Laym. & Forerus.*
82. *Defenduntur.*

77. Quia P. Laymannus in *Iuſt. Defenſ.* fol. 368 negauit contra illum Anonymum, Monachorum Patronum, quicquam haberi in Conſtitutionibus Imperij, in *Tranſactione Paſſauienſi*, in *Pace Religionis*, in *Concordatis Germaniæ*, in *Comitijs Auguſtanis* anni 1530. quod antiquorum Ordinum cauſæ fauere poſſit; aſſerit P. Rom. hoc dicto Epiſtolam Cæſaream argui falſitatis, & erroris multiplicis, vtpote quæ habebat, quod Imperij Cõſtitutiones &c. reſtitutionem ipſis Ordinibus faciẽdam expreſsè ſtatuant, & conſequenter reijci à P. Laym. omnia motiua quibus Imperator permotus mandauerat reſtitutionem.

78. Sed nos huic querelæ ſatis reſpondimus ſupra, atque hic iterum reſpõdemus cum P. Laym. in reſolutione FERDINANDI Primi Regis Romanorum data in Comitijs Auguſtanis anno 1555. 30. Auguſt. §: Dieweil nun aber, decerni ſolùm, cùm primũ Eccleſiarum Prælati aut Beneficiarij à fide Catholica defecerunt, ipſo Iure, titulis Beneficiorum priuatos eſſe: propterea quod Eccleſiæ Prælaturæ & beneficia per eos regi & adminiſtrari debeant, qui iuxta Fundationẽ, & Fundatoris voluntatem ad id habiles ſint. conſtat autem, apoſtatas à fide ipſo Iure inhabiles factos eſſe. Hoc aũt nil prodeſt cauſæ antiquorũ Ordinũ, nam P. Rom. nunquã probauit fieri voluntatem Fundatorũ, ſi aliqua Monaſteria in his circumſtantijs applicentur alteri pio vſui.

79. In *Tranſactione* autem *Paſſauienſi*, quam reſpicit *Pax Religionis* ſtatuitur, vt ij Imperij Ordines, quibus per Germaniam hoſtiliter graſſante Mauritio Electore Saxone, & Alberto Brandeburgico Marchione, territoria, ciuitates & pagi. &c. occupata fuerunt, in in-

in integrum reſtituantur. hoc autem ad rem non facit. quia ibi nihil decernitur de bonis Eccleſiaſticis. & licet decerneretur, modernos Religioſos habere Ius vt reſtituantur in illis, non eſt probatum à P. Romano.

80. De *Concordatis* Germaniæ nihil eſt, quod addamus ad ea quæ ſupra diximus. In *Comitÿs* autem *Auguſtanis* ſtatutum fuit ſolùm, vt Epiſcopatus, Monaſteria, Sacra Collegia, &c. ijs, ad quos de Iure pertinent reſtituantur. Si nunc ſubſumatur à P. Romano, Monaſteria pertinent ad Monachos, qui nunc ſunt, neganda eſt ſubſumptio, vtpote nullo Iure vnquam oſtenſa. Sed ex his Pat. Romanus colligit num. 45. rurſus à P. Laymanno falſitatis argui Epiſtolam Cęſaream miſſam ad Oratorem. Quid nî cùm illa epiſtola non ſit Cęſaris ſed ſurreptitia, vt toties dictum eſt? Quod verò dicitur Ferdinandum I. in ſua reſolutione publicata in Comitijs Auguſtanis, conſtituiſſe Eccleſias Prælaturas & beneficia per eos regi, & adminiſtrari oportere, qui vigore fundationum & ſecundum volūtatem fundatorum ad id habiles exiſtūt, & poſtea ſubſumit, ipſo P. Laymanno teſte, Patres Societ. fatere, ſe iuxta fundationem habiles atque qualificatos nō eſſe, hoc inquam, non eget noua reſponſione, ſupra oſtenſum eſt, quomodo Patres ſint qualificati, & quomodo negent ſe tales eſſe.

81. Poſt *Num. XXXXX. §. præterea Sceptrum Imperatorium.* Rhetoricè perorat. & nititur Lectorem concitare cōtra PP. Laymannum & Forerum, quaſi tentauerint *Sceptrū Imperatorium è manibus Sacræ Maieſtatis excutere*, quando negant, Imperatorem eſſe legitimum Iudicem in hac reſtitutionis Religioſorum cauſa, eumque aiunt non poſſe declarare, quòd in Monaſteria dudum per hæreticorum violentiam deſolata eiuſdem Ordinis alij Religioſi de Iuris neceſsitate introduci debeant. quia hęc ſit quæſtio non *Facti* ſed *Iuris*: adeoque pertineat non ad Cæſarem, ſed ad Prælatos Eccleſiæ. tum verò fuſiſsimè ſequentibus §§. demonſtrat, Cæſarem potuiſſe adminiſtrare iuſtitiam Abbatibus petentibus reſtitutionem in tribunali Cæſareo contra Acatholicos, qui in alio foro conueniri nō poſſunt, repellendo eorundem exceptiones, & conſequenter iudicādo Monachis deberi Monaſteria occupata. & addit, ſiue Cæſar voluiſſet procedere tanquam *merus Iudex*, ſiue *ex ſuo nobiliſſimo officio* Imperatorio, non debuiſſe nec potuiſſe aliter ſententiam ferre, quàm velint Sacri Canones: volunt autem, Monaſteria eſſe reſtituenda perſonis eiuſdem Ordinis quamdiu reperiri poſſunt.

82. Reſpondeo breuiſsimè, Imperatorem in hoc iudicio, in quo ſupponitur tuliſſe ſententiam ad fauorem antiquorum Ordinum repetentium Monaſteria, nō determinaſſe vllo modo quæſtionem Iuris, an ſcilicet ſolum ipſis debeantur: ſed ſuppoſito quod iam Cæſar habuiſſet intentionem vt Monaſteria antiquis Ordinibus redderentur, & ipſi comparuerint, & ſuā petitionem obtulerint, Iure optimo potuiſſe reijci exceptiones hæreticorū detrectantium reſtitutionem. quia eo

Gg ipſo,

ipſo, quod Monachi admiſſi fuerint, illis debebantur Monaſteria, ſi non *ſecundum iuſtitiæ rigorem*, ſaltem *ex æquitate*: & conſequenter potuit etiam ferre ſententiam reſtitutionis, & Monachis executionem concedere. Idem penitus potuiſſet fieri à Cæſare, ſi Societati aſsignaſſet aliquod Monaſterium, ex occupatis ab hæreticis. potuiſſet enim in Camera Spirenſi, ſiue Aula Cæſarea, offerre ſuum libellum, quem Iudices debuiſſent recipere, & reiectis omnibus exceptionibus hæreticorum, adiudicare illud Societati, & executionem imperare, & hoc ipſum potuiſſet fieri etiam, & poſſet ad fauorem cuiuſcunque priuatæ perſonæ, quæ nomine Eccleſiæ peteret reſtitutionem bonorum Eccleſiaſticorum. Et, ſi Cæſar eiuſque tribunalia has cauſas ſuſciperent vt *meri Iudices*, ſemper deberent procedere ſecundum Iura: ſicut etiam Cæſar volens procedere ex *ſuo nobiliſsimo officio*: quæ Iura falſum tamen eſt, vt prima quæſtione vidimus, velle Monaſteria iam *extincta*, & eorum bona *Vacantia* reſtitui ſolum perſonis eiuſdem Ordinis, quamdiu inueniri poſſunt.

Num. LI.

SVMMARIA.

83. *Sed obiectiones, quibus probatur ſeptem rationes inſertas litteris Cæſareis ad ſuum Oratorem, eſſe ſubreptitias ſeu ſuppoſititias.*

1. Quod aduerſentur alijs litteris.
2. Quod contineant errores. ibid.
3. Quia Cæſari viſa ſunt noua. ibid.
4. Quia in eas Theologi non fuiſſent inuecti. ibid.
5. Quia contraria ſunt communi Doctorum ſententia. ibid.
6. Quia Cæſaris acta ijs contraria ſunt. ibid.

84. *P. Rom. reſponſio ad 1.*
85. *Refutatur.*
86. *Ad ſecundam reſponſio.*
87. *Improbatur.*
88. *Tertia confutatio reijcitur.*
89. *Obijcit Pat. Rom. ex dictis ſequi, eſſe ſcandaloſas & temerarias multas Theologorum ſententias.*
90. *Oſtenditur non ſequi, altero diſcrimine.*
91. *Reprehenditur Cæſ. Confeſſarius immeritò.*
92. *Et rurſus P. Laymannus.*
93. *Sed iure Autor ſeptem rationum.*
94. *Argutia P. Romani.*
95. *Verè elenchus. C.c.35.*
96. *Quod exemplo demonſtratur.*
97. *Contendit P. Rom. ex ratiocinatione P. Laymanni ſequi, etiam mandata Cæſaris eſſe erronea.*
98. *Probatur id non ſequi.*
99. *Reſponſio Pat. Roman. ad 3. obiectionem.*
100. *Conatur arguere mendacij Pat. Laymannum, quod dixerit à Cæſ. Conſiliarijs declaratum fuiſſe ſe à Iudicijs Theologorum non diſſentire.*
102. *Sed omnino fruſtra. nam vnus ex Deputatis id aſſerit.*
103. *Obijcitur contra P. Forneri teſtimonium.*

104. Oſten-

104. *Oſtenditur non repugnare dicto Pat. Laymanni.*
105. *Inanis coniectura P. Romani. Ratio cur Conſiliarij Caeſ. illas ſeptem rationes non examinarint. ibid.*
106. *Reſponſio ad 4. obiectionem.*
107. *Improbatur.*
108. *Refellitur reſponſ. ad 5. obiectionem.*
109. *Argumentatio P. Foreri vt probet ſeptem illas eſſe ſuppoſititias.*
110. *Improbatur à P. Rom. quia P. Forerus agnoſcit pro ſuis Caeſ. mandata.*
111. *Falſum eſt, agnoſcere cum ipſis rationibus inſertis pro veris Mandata Caeſ.*
112. *Verum eſt Impetrantes Reſcripta, debere iuſtificare narrata.*
113. *Sed impetrantes Monaſteriorũ tranſlationes, nil niſi verum expoſuere.*
114. *Obijcit. Si ſeptem rationes ſuppoſititiae ſint, fore etiam obreptitium Edictum.*
115. *Negatur.*
116. *Obijcit, etiam per Monaſteriorum tranſlationem lædi ius Epiſcoporum, ad quos facta eſt deuolutio.*
117. *Nulla hic eſt deuolutio.*

83. Profitetur, velle ſe breuiter ſatiſfacere ſex obiectionibus, quibus probatur ſeptem illas Rationes literis Cæſareis ad Oratorem & Epiſcopos datis inſertas, eſſe ſuppoſititias. At ſi vſpiam eſt prolixus, hic profectò omnem modum excedit, curabo vt quàm pauciſſimis omnia complectar.

Prima autem obiectio erat, quia illæ Rationes è diametro aduerſantur literis ac mandatis menſe Maio, atque adeò, prius ſcriptis ad Ducem Fridlandię, D. Tyllium & ad tres Prouinciales Societatis.

Secunda, quia in iiſdem rationibus continentur errores & contraria, & falſa eiuſmodi, vt ſine temeritate & ſcandalo pronunciari non poſsint, cùm non cohæreant cum fidei Catholicæ principijs, Eccleſiaſtica traditione, & Authoritate Pontificia.

Tertia, quia illas Rationes poſt menſem Octobrem 1629. examinari curauit Cæſar per Conſiliarios ſuos ac tres Theologos, tanquam ſibi nouas nec prius viſas.

Quarta, quia ſi illæ Rationes fuiſſent Cæſaris, duo Theologi non fuiſſent in eas inuecti cenſendo ac reprehendendo verbis tam explicatis.

Quinta, quia aduerſantur communi omnium Doctorum ſententiæ.

Sexta denique, quia conſtat Cæſaream Maieſtatem nõ modò prius quã memoratæ rationes prodirent, ſed etiam poſt, aliquas fundationes Collegiorum & Seminariorum cooperante Sede Apoſtolica feciſſe ex bonis Monaſteriorum, quas tamen nunquam retractauit.

84. Ad primam ergò obiectionem reſpondet P. Romanus, ſi illa habeat vim, probari etiam, literas & mandata ad Fridlandum, Tyllium, & Societatis Prouinciales, eſſe ſubreptitia. quia aduerſantur Decretis ac Reſcriptis datis prius, hoc eſt, menſibus Ianuario & Martio eiuſdem anni 1629. & Nouembri ſuperioris.

85. Reſpondeo, diſparem eſſe rationem horum Reſcriptorum & Mandatorum ex vna, & ſeptem Rationum ex altera parte. quia Mandata & Reſcripta ante menſem Maium data, nil

continent falſi, temerarij, ſcandaloſi, & Sacris Canonibus contrarij, ſicut Rationes: & ideò neceſſe eſt dicere, illas eſſe ſubreptitias. Cum ergò P. Laymannus concedat P. Roman. Mandata & Reſcripta illa data pro facienda reſtitutione antiquis Ordinibus, vera eſſe, cur negat ipſe P. Laymāno eſſe vera Mandata & literas ſcriptas ad Fridlandum, Tyllium & Prouinciales? Quia, inquit, iſtæ literæ aduerſantur Mandatis & Reſcriptis prius datis. Nego, aduerſari. Ille idem Cæſar, qui menſe Ianuario & Martio mandauit, Monaſteria ſuis Ordinibus reſtitui, mandauit etiam menſe Maio, vt prędicti Duces ſuæ S. Maieſtati perſcriberent quæ Monaſteria Monialium in Circulis Saxoniç & VVeſtphaliç eſſent accipienda & applicanda pro fundandis Societatis Collegijs & Seminarijs. Sed faciamus, Cæſarem initio intendiſſe, omnia omninò Monaſteria antiquis Ordinibus reſtituere, fieri potuit, vt re melius conſiderata, poſtea ſtatuerit aliqua applicare pro Catholicę Religionis bono alijs pijs operibus, præſertim obſcuriora & Monialium, quæ difficulter iterum ordinari poſſent. Iſtæ autem duæ ac diuerſæ Cæſaris voluntates non repugnant inter ſe pro diuerſis temporibus. At ſi dicamus Cæſarem ſemel iudicaſſe, *quod coram Deo vix ac difficulter excuſari queat, ſi in Iure diuino ſtabilitæ Fundationes contra fundatorum mentem aliò conuertantur, &cæt.* quod volunt illæ ſeptem Rationes, nullo modo fieri poteſt, vt Cæſar ſtante illo iudicio, voluerit vnquam aliqua Monaſteria aliò conuertere, niſi Pater Romanus integerrimum Principem contra iudicium ſuum & conſcientiam flagitioſiſsimè peccaſſe velit. Ex his infertur, non benè retorqueri à P. Romano Argumentum, quia licet literæ datæ ad Fridlandum & Tyllium, pro Societate, in ſpeciem videantur aduerſari Reſcriptis prius datis; reuera tamen non aduerſantur, ſicut repugnant ſeptem Rationes iiſdem literis, quæ prius ſcriptæ fuerunt.

86. Ad Secundam obiectionem *fol.* 198. *col.* 1. miratur, impugnari ſeptem Rationes tanquam erroneas, falſas, & ſcandaloſas, cùm tamen prima tantum talium errorum, falſitatum, & ſcandalorum inſimuletur, addit autem, ſi reliquæ ſex non ſunt reæ, cur refelluntur & exploduntur?

87. Primum reſpondeo, vt verè Pat. Laymannus aſſerere potuerit, illas Rationes non eſſe Cæſaris, ſatis fuiſſe, vt *vel vnica* eſſet erronea, falſa, & ſcandaloſa. Bonum enim ex integra cauſa, malum ex ſingulis defectibus. Deinde dico, reliquas non admitti & explodi, vel quia etiam ipſæ aliquid falſi contineant, vel quia inefficaces ſint, nec probent, quod P. Romanus cupit, quemadmodum partim demonſtratum eſt hactenus, partim infra oſtendetur.

88. Eodem folio col. 2. verſu *inprimis ergò quærimus*, interrogat, quænam ſint illa fidei principia, quibuſcum non cohærent verba Imperatoris. Sunt in promptu. Traditio perpetua Eccleſię, vt Chriſti Vicarius plenariè diſponat de bonis Eccleſiaſticis: Vt idem cum

cauſa

cauſa poſſit commutare vltimas voluntates, quod praxis in Eccleſia vniuerſali introducta & perpetuò ſeruata, ſit irreprehenſibilis.

89. Folio 199. col. 1. verſ. *quærimus autem ex iſtis*. Contendit ex diſcurſu P. Foreri immediatè ante relato, in quo dicebat, illas Rationes continere falſa & ſcandaloſa, quia per illas à Chriſto domino ſuo in terris Vicario relicta poteſtas non tantum in dubium vocatur, ſed etiam Summorum Pontificum, Imperatorum, Regum & Principum Catholicorum, etiam Sanctorum facta & Actiones publicè taxantur; & pro iniuſtitijs coram Deo non excuſabilibus refutantur; ex hoc inquam, diſcurſu contendit probari etiam, eſſe falſas, temerarias & ſcandaloſas doctrinas Theologorum, nominatim verò Patris ipſius Laymanni, Reginaldi, & Filliucij, quando docent eſſe grauia peccata, ſi quis cum Sanctimoniali nuptias contrahat, aut Religioſus & Sacerdos vxorem ducat, aut ſi quis in tertio vel ſecundo conſanguinitatis gradu de facto matrimonium ineat, aut ſacerdos non ieiunus, vel etiam multò poſt meridiem celebret, & talia huiuſmodi ſexcenta. Argumentatur autem hoc modo: ideò prima illa ex ſeptem Rationibus, eſt falſa, temeraria & ſcandaloſa, quia per eam iniicitur Vinculum Cæſareæ Maieſtati & Pontifici Maximo, vt teneantur ſolum antiquis Ordinibus Monaſteria recuperata reſtituere, Atqui iniicitur etiam per doctrinas illas ne poſſit diſpenſare in caſibus indicatis, ergo &c.

90. Reſpondeo, magnum eſſe diſcrimen inter doctrinam illorum Theologorum, & Authoris harum ſeptem Rationum. illa tractant quæſtionem generatim, abſtrahendo à circumſtantijs, quæ efficere poſſunt, vt Summus Pontifex prudenter diſpenſet in voto ſolemni Caſtitatis, & in gradibus conſanguinitatis prohibitis. Hic verò Author non decidit quæſtionem generatim acceptam, *An liceat pias fundatorum voluntates cõmutare*: ſed loquitur in hoc caſu particulari, & ſupponit, ſi Monaſteria non reſtituantur ſuis Ordinibus, ſed aliò conuertantur, aut vniantur Epiſcoporum menſis, aut dentur in Commendam; fieri contra Ius diuinum & contra fundatorum voluntatem: ideoq; concludit, ab his omninò abſtinendum eſſe. Tunc Argumentum P. Romani procederet, ſi illi Theologi docuiſſent, grauia peccata commiſſa fuiſſe à Rom. Pontificibus, quando diſpenſarunt, vt Henricus Sextus cum Conſtantia Regis Siciliæ filia Moniali profeſſa nuptias contraheret, vt habet Platina in Celeſtino 3. vel cum Nicolao Iuſtiniano Monacho profeſſo, vt Matrimonium contraheret, ne familia tam illuſtris penitus interiret, vt legitur in vita B. Laurentij Iuſtiniani, vel cum Potentiſsimo Poloniæ Rege Ladislào, vt cum Sereniſsima Renata Cecilia FERDINANDI Tertij Imperatoris ſorore ſibi in Secundo Cõſanguinitatis gradu coniuncta, nuptias celebraret. Verum, cum illi Doctores, vt dicebam, ſolùm docuerint in cõmuni, graue peccatum eſſe, ſi Sacerdos, vel profeſſus, vel Monialis matrimonium ineant,

cant, non poteſt P. Romanus Iure aſſerere, ipſorum doctrinam eſſe falſam, temerariam & ſcandaloſam, quaſi inijciat vinculum Pontifici Maximo, ne diſpenſet, quãdo adſunt legitimæ cauſæ. Contra verò, Author ſeptem Rationum, cùm in his circumſtantijs, in quibus ſumus, expreſsè dicat *coram Deo vix ac difficulter excuſari poſſe, ſi Monaſteria, de quibus agimus, ſuis quaque Ordinibus non reſtituantur*; grauem omnino obligationem imponit Cæſari & Pontifici, vt aliter facere nequeant ſine graui peccato, & conſequenter videtur damnare facta Cæſarum & Pontificũ, qui crebrò tales Translationes fecerũt in ſimilibus circumſtantijs, imò etiam non concurrentibus tam legitimis cauſis: ideoque illa doctrina meritò dicitur falſa, temeraria, & ſcandaloſa.

91. Atque ex his euaneſcunt, quæ afferuntur §. *atque ex iſtis lector.* fol. 201. col. 1. vbi dicitur, P. Confeſſarium Imperatoris *non rectè egiſſe*, *monendo Cæſarem de illis Rationibus continentibus errores, doctrinas falſas*, &c. Re enim vera tales ſunt.

92. Et quod dicitur §. *his addo* eod. fol. col. 2. hoc eſt per P. Laymannum, ipſos etiam Sacros Canones continere falſa, temeraria, & ſcandaloſa, propterea quod præſcribunt, quid fieri poſſit, aut non poſſit, & conſequenter inijciunt vincula Summ. Pontifici, falſum eſt. Nam Sacri Canones loquuntur generaliter, & ſemper relinquitur locus conſiderandi, an propter circumſtantias poſſint, vel debeant obſeruari, nec ſacri Canones alligant Summum Pontificem ita vt, ſi legitima occurrat cauſa, aliter, quam illi ſtatuant, facere non poſſit, illæ ſeptem Rationes, vt diximus, decidunt malè caſum particularem.

93. Et quod dicitur §. *inſuper aduertendum* fol. 202. col. 2. hoc eſt, doctrinam Generalem traditam ab Authore ſeptem Rationum de conſeruandis in ſuo vigore Monaſteriorum fundationibus, non ideò eſſe iudicandam falſam & ſcandaloſam, quòd propter euentus Caſuales fuerit in quibuſdam aliquando facta translatio Monaſteriorum, vel nunc etiam per Pontificem Maximum ex *plenitudine poteſtatis* exigente neceſsitate, fieri poſsit: alias enim ex eo quod nulla regula Generalis eſt ſine exceptione: ſequeretur omnes regulas generales eſſe falſas, & erroneas. Hoc, inquam, ex dictis euaneſcit. quia ille Author ſeptem Rationum non tradidit regulam generalem, ſed loquendo in caſu particulari in quo ſumus dixit, Monaſteriorum Translationes, vniones &c. non poſſe fieri, *& coram Deo excuſari*: quod eſt falſiſsimum: & Pontifex Maximus ad eas Translationes faciendas non indiget vſu *poteſtatis abſolutæ*, cùm ſatis ſit *Ordinaria*. quoniam bona Monaſteriorum ſunt *Vacantia*, & ſub libera ipſius poteſtate.

94. Fol. 200. col. 2. §. *deinde ſi hoc dictum*. P. Romanus argutatur hoc modo: *Si hoc dictum repugnat veritati, adeoq; falſum eſt, quòd coram Deo vix ac difficulter excuſari poſſit, ſi in Iure diuino ſtabilita fundationes contra Fundatorum volũtatem immutentur, conſequẽter eius oppoſitum erit verum. de quolibet enim vera eſt vel affirmatio,*

matio, vel negatio, verum igitur erit, quòd coram Deo non vix, nec difficulter, ſed facilè poſsit excuſari, ſi in Iure diuino ſtabilita fũdationes cõtra fundatorum voluntatem immutentur. Simili modo §. ſequenti *eadem eſt ratio. Si*, inquit, *hæc propoſitio. nulla Monaſteria in aliorum præiudicium ad alios vſus transferenda ſunt, eſt falſa, ſcandaloſa & temeraria, illius contradictoria erit vera, videlicet aliqua Monaſteria in aliorum præiudicium ad alios vſus transferri poſſunt.*

95. Reſpondeo, manifeſtiſsimum Elenchum eſſe. nam verum quidem eſt, Enũciationes ſimplices & Categoricas ita eſſe comparatas, vt ſi vna negetur, altera concedi debeat: ſed alia eſt ratio in Enunciationibus, quæ ab aliquibus vocantur *ex coniuncto Extremo*, & virtute ſunt duplices & compoſitæ, in quibus ad earum veritatem requiritur, vt vtraque pars Enunciationis ſit vera, ſi concedi debeat, & ſatis eſſe vt alterutra ſit falſa, ad hoc vt negari poſsit. quocirca ſi vna pars enunciationis ſit falſa, vtraque propoſitio negari debet. quia non ſunt contradictoriæ P. Laym. affert hoc exemplũ. *Diabolus Lucifer qui in cœlo nunc eſt, Deũ videt. & Diabolus Lucifer qui in cœlo nunc eſt Deum non videt*, videntur eſſe contradictoriæ, & tamen vtraque negari debet. quia in ſecunda Enunciatione falſum eſt *Diabolum Luciferum in cœlo nunc eſſe*, & in prima vtraque pars eſt falſa. cùm *neque in cœlo ſit*, neque *Deum videat*, & licet in 2. Enunciatione vna pars vera ſit, tamen tota euadit falſa: quia effectus ſequitur deteriorem partem ſuæ cauſæ. Ita ſe habent Enunciationes productæ in medium à Pat. Romano. quando enim dicit: *Coram Deo vix ac difficulter excuſari poteſt, ſi in Iure diuino ſtabilita fundationes contra voluntatem fundatorum immutentur*. duo dicit, primò quod fundationes ſint ſtabilitæ in Iure diuino. & hoc eſt verum; alterum *quod in noſtro raſu fundationes contra fundatorum voluntatem immutentur*, & hoc eſt falſum, & ideò tota hæc Enunciatio, quæ eſt duplex in virtute & compoſita, eſt falſa, & falſa etiam ipſius oppoſita, videlicet *coram Deo non vix nec difficulter poteſt excuſari, ſi in Iure diuino ſtabilita fundationes contra Fundatorum voluntatem immutentur.* Simili modo illa alia Enunciatio: *nulla Monaſteria in aliorum præiudicium ad alios vſus transferenda ſunt.* Virtute duplex eſt & Compoſita, nam dicit *eſſe in aliorum præiudicium*, & ideò *non eſſe Monaſteria transferenda.* Prior autem pars iſtius Enunciationis eſt falſa: & ideò ſimpliciter tota neganda eſt, pariterque eius oppoſita. *Aliqua Monaſteria in aliorum præiudicium transferri poſſunt.*

96. Iam in gratiam P. Romani hanc ſolutionem alio exemplo illuſtrare placet, & pono hanc Enunciationem: *Aſtri Inextincti doctrina malè ſtabilita in Iure Canonico, Concordatis Germaniæ, Pace Religionis, Conſtitutionibus Imperij, & Edicto Cæſareo vix ac difficulter refutari poteſt*, huic Enunciationi oppoſita eſt hæc alia: *Aſtri Inextincti doctrina malè ſtabilita in Iure Canonico, Concordatis Germaniæ, Pace Religionis, Conſtitutionibus Imperij, & Edicto Cæſareo non vix nec difficulter, ſed facilè refutari poteſt.* Do ſpacium cogitandi P. Romano, vtram ex

his

his propoſitionibus concedere, vel negare velit. non fatebitur, opinor, *ſuum Aſtrum Inextinctum, non vix, nec difficulter, ſed facilè refutari poſſe.* Tenebitur ergo concedere contradictoriam & conſequenter *Aſtri Inextincti doctrinam malè ſtabilitam eſſe in Iure Canonico*, & cæt. quod etiam neceſſario concedere debet, ſi alteram partem affirmare velit.

97. Folio 203. *§. porrò ſi iſti.* quia dicebatur, ſeptem illas Rationes continere errores, eſſe temerarias, & ſcandaloſas; vult P. Roman. hoc nihil aliud eſſe, quam omnia Decreta & Reſcripta Cæſarea tãtoperè ab Apoſtolica Sede, Cardinalibus & omnibus bonis, cum applauſu lecta & approbata, eſſe plena erroribus & ſcandalis.

98. Nil tale ſequitur. Cæſaris Decreta & Reſcripta de ſimpliciter reſtituendis Monaſterijs ſuis Ordinibus, nil continent erroneum, temerarium, aut ſcandaloſum, & iſta ſunt cum applauſu lecta & comprobata. Rationes illas nullus vir doctus aut probus, ſi rectè illas conſiderauerit, approbare poterit, quatenus contendunt, in his circumſtantijs *non poſſe coram Deo excuſari, & eſſe contra mentem fundatorum, ſi eadem Monaſteria aliò transferantur:* &, ſi Apoſtolica Sedes & Cardinal. & boni omnes idem affirmarent, eàdem opera condemnarent & Cæſarem & Pontificem, qui & ante, & poſt illas Rationes productas, non pauca Monaſteria tranſtulerunt.

99. Ad Tertiam obiectionẽ fol. 204. col. 1. dicit tria: primò non eſſe mirum, ſi Cæſar nouam deliberationem ſuper illis ſeptem Rationibus inſtitui mãdauerit, quia id non fecit proprio motu, neque ob remorſum Decretorum, aut Epiſtolarum ſuarum, ſed quia à P. Cõfeſſario fuit ille iniectus ſcrupulus, ac ſi ſua Maieſtas ſubſcripſiſſet ijs, quæ ſine temeritate, ſcandalo, & errore pronunciari non poſſent.

100. Inanis Coniectura, & merum ſomnium. Si Cæſar illas Septem Rationes priuſquàm Romam mitterentur vidiſſet, cõſideraſſet, eaſque, vt ſolebat facere in ſimilibus occaſionibus, à ſuis Conſiliarijs diſcuti iuſsiſſet, in promptu erat reſponſum, quod daret Pat. Confeſſario: illas Rationes à ſuis Conſiliarijs, & Theologis fuiſſe conſideratas, & probatas: poſſe ſe eorundem doctrinæ atque integritati fidere: nõ eſſe, cur iterum reuocarentur ad incudem. Nihil horum, ſed rei nouitate attentus, & conſiderans, ſe contra quam illę Rationes ſuadebant, aliqua Monaſteria tranſtuliſſe, aliaque transferre in animo habere, mandauit, iterum ſubijci examini, deque ijs ſeriò à Conſiliarijs & Theologis deliberari.

101. Secundò tantùm non mentiri, ait P. Laymannum, qui dixit à Cæſarea Maieſtate tam ex Secretiori Conſilio, quã ex Imperiali aula Deputatos, poſtquam legiſſent ſcripturas ſeu conceptiones Theologorum, quibus hæ Rationes damnabantur, tanquam Sacris Canonibus, traditioni & immunitati Eccleſiaſticæ aduerſantes, declaraſſe, mentem ſuam non diſcrepare à Iudicijs Theologorum. Aſſerit ergò, hoc non dici abſque illorũ DD. Deputatorum iniuria. *Quia*, inquit, *à perſona in dignitate conſtituta Nos ex ipſa Aula Cæſa-*

rea 18. Iunij anni 1631. ſic rem narrari accepimus : quæ ſcribuntur in proæmio libri (Iuſtæ Defenſionis num 34.) *de Deputatorum à Cæſare declaratione tam fabuloſa ſunt, quàm verum eſt, illos olim Deputatos nunquam conueniſſe in aliquam Conſultationem, ita teſtantur qui ex numero Deputatorum fuerunt.*

102. In hac reſponſione primum habemus apertam confeſſionem eius qui ſcripſit ex Aula Cæſarea, & illorum qui ex numero Deputatorum fuerunt, Cæſarem mandaſſe, vt illæ Rationes iterum examinarentur. Secundò non nominat perſonã in dignitate conſtitutam, à qua illa narrari acceperit, neque à quonã fuerint illæ literæ ſcriptæ, proinde cũ hæc ſit res quæ conſiſtit in facto, & quæ non poteſt rectè iudicari, niſi inſpectis & examinatis literis, & cognitis perſonis atteſtantibus & promulgantibus eas : æquo animo ferre debet P. Romanus, ſi illi fidem non adhibeamus. Nneque enim iniuriam facere debemus P. Laymanno, quem cognitum probè habemus, qui contrarium affirmat.

103. Tertio ait, ſibi inſtar omniũ eſſe teſtimoniũ P. Foreri, qui in *Antim Lanéro* publicato anno 1633. part 2. c. 2. num. 45 hæc habet. *Quod ſi proinde hac Cæſarea iuſſio* (de conſultatione inſtituenda circa ſeptem Rationes) *mox executioni mandata fuiſſet, prout Confeſſarius in ſuo memoriali petiuit, ſummè deſiderauit, & inſtanter poſtmodum vrſit; tota huius Controuerſiæ occaſio præciſa fuiſſet. Quis autem huc vſq; (vſq; ad annum ſupradictum 1633) Conſultationem impediuerit, Deus nouit.* Subdit P. Romanus: *Fatetur igitur Forerus, DD. Conſiliarios nihil hactenus declaraſſe : cũ dicat eos impeditos huc vſq; nõ conueniſſe, hac autem directè aduerſantur aſſertioni P. Laymanni, qui dixit DD. Conſiliarios deputatos declaraſſe mentem ſuam non diſcrepare à iudicijs Theologorum.*

104. Nuſquam aſſeruit P. Laymannus DD. Conſiliarios in vnum conueniſſe, & re in Conſultationem poſitã de communi conſenſu, &, vt dicitur, Collegialiter, illas ſeptem Rationes damnaſſe, & eoſdem Conſiliarios non diſcrepare à Iudicijs Theologorum. Dixit ſolùm DD. Conſiliarios, cùm legiſſent ſcripturas ſeu conceptiones Theologorum, declaraſſe mentem ſuam, non diſcrepare ab eorundem iudicijs. Fieri ergo potuit, vt inter cæteros, P. Confeſſarius, qui vrgebat Conſultationem, modò hunc, modò illum ex Conſiliarijs alloqueretur, rogaret, vt tandem aliquando conueniretur: illi autem reſponderint, ſe à iudicijs Theologorũ non diſcrepare, certè idem P. Confeſſarius, dum Aula Cæſarea eſſet Ratisbonæ, teſtatur, Illuſtriſſimũ quendam è ſecretiore conſilio Cæſari vrgenti Conſultationem, reſpondiſſe, Conſiliarios à ſententia Theologorum non diſſentire.

105. Nec prudenter coniectatur P. Romanus pag. 105 col. 1 in fine dum ait, Conſiliarios non voluiſſe conuenire, quia videbant, illam Conſultationem reipſa tendere, & credi poſſe inſtitutam ad eneruandum generale reſtitutionis Edictum, neque de-

cere Cæſareã Maieſt. retractare iuſtiſſimam latam ſententiam & ſanctionem. Nam tametſi Conſiliarii decreuiſſent illas Rationes repugnare ſacris Canonibus, &c. Nihilominus Edictũ generale ſuam vim obtinuiſſet, quia nõ innititur hoc fundamento, quòd bona Eccleſiaſtica ab Hæreticis occupata poſt Paſſauienſẽ tranſactionẽ ſint antiquis Ordinibus de iure reſtituenda: ſed quia ab illis iniuſtè contra pacem Religionis & fidem datã occupata fuerunt & iniuſtè detineantur. Videat P Rom. nũ melior ſit coniectura mea. Impeditiſſima fuerunt illa tempora, debacchabatur in Imperio Suecus: ardebat in Italia bellũ: Aula Cæſarea erat in perpetuo motu: eundum Ratiſbonam ad Comitia: redeundum Viennam componenda pax cum Dano, retinendus in fide, vel reducendus Saxo & Brandenburgicus: exauthorandus Fridlandus: itẽ authorandus: noui ſẽper conſcribendi exercitus: pax in Italia concilianda: Legationes crebræ, vel mittendæ, vel accipiendæ: vno verbo, moles negotiorũ oppreſſit potius, quã diſtinuit Cæſarem & Conſiliarios. Et, cùm reſtitutioni bonorum Eccleſiaſticorum faciẽdæ ab Hæreticis ſatis prouiſum fuiſſet per Edictũ, totque Mandata ad Cõmiſſarios executionis, quis potuit eſſe locus, aut neceſſariò debuit tã ſpinoſæ Conſultationi ſuper ſeptẽ Rationib. Ineſcio cuius, quæ per ſe ſatis abſurdæ etiã prima facie intuẽtib. apparebant? Sed vtinã eſſe potuiſſet. Oẽs Diſcordiæ & contentiones, quæ poſtea ſecutæ ſũt, eliſæ fuiſſẽt in ſemine, non vidiſſemus tot *Iudicia*, tot *Animaduerſiones*, tot *tractationes*, tot *Cõſiderationes*, tot *Quæſtiones*, tot *Diſceptationes*, tot *Defenſiones*, quibus res ipſa dẽſiorib. tenebris inuoluta eſt: ſed Cæſarei Conſilij Deliberatione prodeunte, ad illam tanq̃ ad Cynoſuram quandã Scriptores omnes ſuarũ lucubrationũ curſũ direxiſſent: omnes illuſtriſſimã illam Sapientiæ ac Iuſtitiæ lucem vſurpaſſemus: nemo vllius *aſtri*, ne dicam Cometæ, fœneratitio ac maligno lumine ſideratus eſſet.

106. Ad 4. Obiect. Nemini mediocriter prudenti perſuaderi poterit futurũ fuiſſe, vt duo illi Theologi tam apertè, tàm acriter inueherentur in illas ſeptẽ Rationes, quæ circumferebãtur, niſi palã fuiſſet in Imperio, nõ eſſe Cæſaris ſed ſuppoſititias Hoc tamẽ Argumentũ P. Rom. videtur nullũ. Nimirũ illi ſoli cor ſapit: oẽs alij betæ ſunt ac fungi. Audiamus tamen quid dicat. *Etiam*, inquit, *Opponens paſſim fatetur expreſſè, mandata eſſe Cæſarea, quæ in literis ad Principem Sabellum 25. Octob. 1629. datis emanarunt, & tamen num. 10. proœmij ait eiuſmodi mandata & Rationes à Iure & à Cæſarũ Catholicorũ, ipſius quoque Auguſtiß. Imperatoris noſtri Ferdinãdi II. conſuetudine atq; Eccleſiaſtica immunitate prorſus alienas eſſe.*

107. Iam ſupra dixi: P. Laym. vbicũq; nominat Mandata Cæſarea, quibus illæ Rationes inſertæ erãt, vocare Mãdata Cæſarea obreptitia, ideoque nõ dubitat illa palã oppugnare Si ergò, quia nominat Mandata Cæſarea obreptitia, illa agnoſcit pro Cæſareis: P. Rom. homo pictus erit verus homo.

108. Ad 5. obiectionẽ vix quicquam

nouj

noui affert. Paucis Reſp. falſum eſſe, Monaſteria *extincta* debere ex eodem Ordine reformari, fieri contra Voluntatẽ Fundatorũ primariã, quę ſpectãda eſt, ſi bona ab ipſis relicta, cùm iuſtæ ſubſunt cauſæ, transferuntur ad diuerſum pium vſum, quæ omnia fusè ſupra demonſtrata ſunt.

109. Ad 6. Obiect. negat, illã argumentationẽ P. Foreri in *Antimelandro, part. 2. c. 2. num. 36. & 37* quicquã concludere. Argumẽtatio autem illa erat. *Cùm conſtet, quòd Cæſarea Maieſt. non modò prius quàm ſ. pra ſæpè memorata literæ emanarent, ſed etiam poſteà aliquas huiuſmodi fundationes, cooperante ſede Apoſtolica, ad alias pias cauſas transtulerit, quas à ſe factas translationes in hanc horã nunquam retractauit, caſſauit, aut annullauit: ſed ſẽper in ſuo vigore Cæſarea Authoritate conſeruauit: infallibili conſequentia concluditur, Rationes & Propoſitiones à Confeſſario in ſuo memoriali poſitas veraciter absq; præſcitu & Voluntate Cæſareæ Maieſt. in ſuas literas irrepſiſſe, & per hoc literas deprauatas & falſificatas fuiſſe.* Varias huic Argumento P. Rom. adfert reſponſiones: vna fuiſſet ſatis, ſi idoneam reperire potuiſſet Sed infœlix euiſcerat ſe ipſe tanquam araneus, vt muſcas venetur. Audiamus tamen.

110. Primò reſpondet fol. 207. col. 1. negando conſequentiã. Nam etiã ante, & poſt factas aliquas Translationes Monaſteriorũ ad alios pios vſus, Cæſarea Maieſt. dedit Mandata, ne alijs quàm antiquis Ordinibus Monaſteria reſtituerẽtur, & tamen P. Forer. agnoſcit pro veris eiuſmodi Mandata, ergò pariter veræ ſunt Cæſaris Rationes, licet ante & poſt aliquæ translationes fuerint factæ.

111. Falſum eſt, à P. Forer. agnoſci pro veris Mandata cum inſertis Rationibus. Sicubi pro veris agnoſcere videatur; imitatur P. Laym. qui, vt ſupra vidimus, non negat, intentionẽ ac Mãdata Cæſaris aliquando fuiſſe, vt Monaſteria ſuis quæque Ordinibus redderentur, aſſerit autẽ eſſe obreptitia, quoties illis inſertæ reperiuntur iiſdẽ falſæ illæ & ſcandaloſæ Rationes.

112. Secundò reſpondet fol. 208. col. 1. Si poſt Edictũ Reſtitutionis Cæſareũ à ſummo Pontifice approbatum, factæ fuerunt aliquæ Monaſteriorum translationes; videre debere impetrantes, ne forte aliqua *Sub & Obreptio* in impetratione interuenerit, nã ſi allegatio cauſæ factæ Translationis non ſubſiſtat, clarum eſt, Reſcripta Principũ ſuper ea fundata, eſſe *Subreptitia*: neque purgabit *ſubreptitionem*, quòd pro motiuo Translationum facilius impetrãdarum, expoſitum fuerit, Monaſteria penitus eſſe *extincta*: Germaniam aliter ad fidem reduci non poſſe, vel ſecuturam maximam vtilitatem, ſi Monaſteria transferantur, quia hæc ipſa motiua falſa ſunt.

113. Impetrantes Monaſteriorum Translationes nil aliud expoſuerunt, niſi quod & Cæſari, & ſummo Pontifici conſtabat, & cuius intuitu ipſimet priusquã quiſquam Monaſteria peteret, decreuerant cũ bonorũ omniũ approbatione ad promouendã Hæreticorũ Conuerſionẽ, &c. aliqua bona Monaſteriorũ, Collegijs, Seminarijs &c. applicare. Neque erãt docẽdi, Monaſteria eſſe *extincta* vel *vacantia*: ne, quanta eſſet vtilitas, aut neceſſitas eiuſce-

 modi

modi Tranſlationum ipſi probè nouerant hæc omnia. Sciebant præterea quando omnino diſſoluitur aliquod Collegium, quod ſua bona gubernat per ſe, qualia ſunt monaſteria, de quibus agimus, eorundem bona eſſe *Vacantia* & ad liberam ſuam diſpoſitionem pertinere: nec vlli particulari homini, vel collegio in ijſdem eſſe *Ius quæſitum*. Nominatim autem Cæſarea Maieſtas optimè norat, à ſe factas tranſlationes non repugnare Edicto ſuo generali, neque vllis Reſcriptis, aut cōſtitutionibus Imperij, aut Germaniæ concordatis: vt propterea fruſtra P. Romanus oſtentauerit ſuā eruditionem per tres ferè integras paginas, vt demonſtraret, non poſſe auferri *Ius quæſitū*, neque contraueniri *Concordatis*, neque vllam clauſulam appoſitam in Reſcriptis, ſiue *ex certa ſcientia*, ſiue *ex motu proprio* habere poſſe hanc vim.

114. Tertiò reſpondet, conceſſo antecedente, negando iterū conſequentiam, quia eodem diſcurſu, quo P. Forerus probat, Rationes eas literis inſertas non eſſe Cæſaris, concluditur, id omne *ſub-* & *Obreptitiū* cenſeri debere, quod contrariatur huc vſque factis ab Imperatore Monaſteriorum Tranſlationibus ad alias pias cauſas, & conſequenter eſſe *Obreptitium* Edictum generale Reſtitutionis, Decreta & literas Cæſareas, Concordata Germaniæ, imo ipſos ſacros Canones, cum hæc omnia contrarientur, vt ipſe loquitur, eiuſmodi Tranſlationibus factis, aut faciendis.

115. Manifeſtiſſima eſt petitio principij: cùm toties iam docuerimus, Edictum Cōcordata, Reſcripta, Literas, Sacros Canones nullatenus repugnare Tranſlationibus: Sed ſolùm ſeptem illas Rationes.

116. Huic tertiæ reſponſioni fol. 215. col. 2. verſ. *Sanè per præfatam translationem* in medio annectitur quiddam, quod breuiter examinandum eſt, diſſimulatis Sarcaſmis, Ironijs, cæteriſque Scioppianis artificijs, quibus non ſemel P. Laymanni famam & Societatis totius exiſtimationem grauiſſimè lædit. Ait ergò per præfatā tranſlationem Monaſteriorum non exemptorum perdere Epiſcopos Ius deuolutum eligendi, Confirmandi, & benedicendi Electum, viſitandi, corrigendi annatarum, & quidquid tandē in Monaſteria ſibi ſubiecta Iuriſdictionis, vel vtilitatis habebant. Et quoniam P. Laymannus fol 363. dixerat, non fuiſſe opus, vt ille Author, quem confutabat, de hoc admoneret Epiſcopos: calumniatur, id dolo feciſſe, ne Epiſcopi ſua iura defenderent, & Ieſuitæ facilius monaſteria inuertere poſſent, & eiuſcemodi non pauca, quæ ibidem legi poſſunt.

117 Totum hoc ſæpius confutatum eſt. Cùm enim Monaſteria ſint *extincta*, Epiſcopi non iure deuoluto, ſed proprio, cum conſenſu Romani Pontificis de ijs diſponere poſſunt: quod ſi nolint vel non poſſint facere: non poſſunt iure conqueri, quia hæc eſt natura Eccleſiarum & Monaſteriorū, vt, ſi *extinguantur*, imo etiam ſi vniantur: non ſit amplius locus collationibus, Electionibus, Confirmationibus,

In-

Digitized by Google

Inſtitutionibus, vt bene docet *Gloſſa in cap. Et temporis 16. quæſt. 1. verbo Vnire.* Lambertinus *de Iur. Patron. quæſt. 7. principali. a. 7.* Accedit quod, vt benè dicit P. Laymannus loco citato, ſi Monaſteriorum huiusmodi Translationes permittendæ non ſint ad conſeruanda iura Epiſcoporum, hoc non eſt aliud, quam improbare omnes Vniones & incorporationes factas, & fieri ſolitas à ſede Apoſtolicâ, & conſequenter damnare etiam antiquos Ordines, & maximè Præmonſtratenſium qui plurimas parochias & beneficia habent vnita & incorporata. Et ſi Sedi Apoſtolicæ conceditur, poſſe eximere à Iuriſdictione Epiſcoporum integros Ordines, & Religiones: cur tam difficilè conceditur, vt poſſint transferre aliquot Monaſteria, ne non Epiſcoporum iura ſalua ſint? Accedit etiam, quod ipſimet Epiſcopi non ſolum eiuſmodi Translationibus non repugnent, ſed vltrò conſentiant, eaſque ob publicum Catholicæ Religionis bonum, fieri exoptent ac petant. Et, ſi ad fundanda non pauca Societatis collegia antiqui Ordines in Germania, pulchrum ſibi eſſe duxerunt, ſubtrahere ſibi non exiguam pecuniarum vim, quanta ſcilicet neceſſaria erat ad eiuſmodi fundationes: quis ſanæ mentis ſuſpicari poteſt, eos tam ægrè laturos, quã P. Romanus putat, ſi aliqua Monaſteria ex obſcurioribus & tenuioribus eidem Societati adiudicantur?

Num. LII. LIII. LIV.

SVMMARIA.

118. *Indigniſſima querela & calumnia.*

119. *Refutantur ſola facti relatione.*

120. *Nil P. Laym. approbauit non approbandum.*

121. *Non ſunt offenſi à P. Laym. Cæſ. Imper. Iudices.*

122. *Defenditur Cæſaris Edictum.*

123. *Acatholici nullam habent cauſam conquerendi.*

124. *Non fuit à P. Laym. offenſus Pont. nec Card.*

125. *Exponitur, quid actum fuerit in Conſiſtorio, vbi literæ Cæſaris lectæ fuerunt.*

118. Ventum eſt ad finem quartæ huius Quæſtionis. Et vetus, & verum verbum eſt, in imo vaſe non deſidère ſolum quod vltimum eſt, ſed etiam quod peſſimum. Sic prorſus hic experior. Cæterum pro comperto habeo id totum ab alio eſſe, quam à P. Romani hominis religioſi calamo. Apparebit, ſi vel tantũ delibauero, quæ impotentiſſime hac extrema quæſtione perorantur ad concitandos Lectores in P. Laymannum, à quo num. 52 contendit hic Rhetor, Cæſaris Conſiliarios per ſummam iniuriam appellari Hoſtes Romani Pontificis, Eccleſiaſticæ immunitatis violatores, erga Pontificiam ſedem peſſimè affectos, Excuſſores totius iugi Apoſtolici Iuriſdictionis, Proculcatores, Papali Poteſtati, & (quod intolerabile eſt) Impios, & aliquos etiam laruatos

 Ca-

Digitized by Google

Catholicos, qui ſcilicet in ſpeciem, Catholicam Religionem profiteantur, in pectore autem hæreſin foueant. Num. verò 53 eundem Spirenſis Cameræ Iudices arguere iniuſtitiæ, quòd antiquos Ordines ad agendum pro ſuis Monaſterijs admiſerint, eiſdem cauſam adiudicauerint per iniuſtiſſimam vſurpationem Iuriſdictionis: quæ Flagitia ab Eccleſię Prælatis ſolùm per patientiam tolerari poſſint, ac debeant: Hæc autem omnia redundare in maximam Cæſaris iniuriam, qui eiuſmodi Conſiliariorũ, ac Iudicum operâ vtatur, & qui generale Edictum promulgauerit, vi cuius antiquis Ordinibus aſſeritur Ius agendi: Cameræ autem Spirenſi iniungitur iuſtitiæ executio. Vnde primò colligit, quicunque ille ſit, qui hæc ſcripſit, P. Laymannum plecti debere eâdem pœnâ quâ libellorum famoſorum vel Auctores vel Approbatores puniuntur. Secundò eundem patrocinari cauſæ Hæreticorum, dum Cæſarem, & Cameram Spirenſem negat, poſſe quicquam in hac cauſa monaſteriorum, quod tamen ſolum Tribunal Hæretici agnoſcunt, e iuratâ iam dudum omnium Eccleſiaſticorum, maximè Romani Pontificis, poteſtate, & cuius fulmina tanquam bruta aſpernantur ac rident. Tertiò offendi ab eodem grauiſſimè Pontificem Maximum & Eminentiſſimorum Cardinalium Senatum, qui tantoperè Edictum Cæſareum collaudarunt, ac proinde quæcunque ex illo conſecuta ſunt. Ex quibus omnibus ad extremum infert, Patrem Laymannum transgreſſum fuiſſe vltra quàm Chriſtianum & Catholicum, nedum Theologum, & Canonum Profeſſorem & Religioſum deceat, dignum profectò, qui tanquam alienæ famæ arroſor, libellorum famoſorum approbator, Seminator diſcordiarum inter ſuprema Chriſtianæ Reipublicę capita, incentor omnium diſſenſionum inter Principes, Schiſmatum Fundator, Patrocinator Hæreticorum luat, quas commeritus eſt, pœnas grauiſſimas: & omninò eſſe dignum ipſius Tractatum, vt, ſi publicè non reuocetur: Sacra Maieſtas iuſtam habeat cauſam illum prohibendi, confiſcandi & ſupprimẽdi, veluti S. R. I. Conſtitutionibus, ipſimet Imperatorio ſupremo Muneri ac Tribunalibus aduerſantem, nociuum, ſcandaloſum, Hæreticorum iniquę cauſæ patrocinantem, Iuri Canonico, Decreto Reſtitutionis, Priuilegijs & Concordatis Nationis Germanicæ contrarium & repugnantem, litium ac periculoſorum in Imperio tumultuum prouocatiuum & exorbitantem.

119. Mihi mens eſt, vt ſignificaui, hęc omnia ſilentio diſſimulare. Satis Pœnarum dedit huius tantæ intemperantię infeliciſſimus Auctor, qui Apoſtolicę Sedis (hoc eſt Diuino) Iudicio proſcriptus, Cęſari inuiſus, à Religioſis Ordinibus deſertus, profugus, exul, exſpes, patrię, laris, rerum omniũ indigus, infelicẽ animã trahit, ſi tamen illam in aliquo Noſocomio non exſpuit. Satis ergò habebo, ſi breuiſſimè aperuero, vnde ſumpta fu-

fuerit occaſio tantarum Calumniarum, & quidē verbis ipſius P. Laym. ex duobus locis quos ad libri marginē à Patre Rom. indicatos video. Num. ergò 37. Procemij *Octauo inquit, ratio ſuadet, vt defendatur vera, & in vtroque Iure optimè fundata Doctrina Romanorum Iureconſultorum, qui contra Rationes illas mandato ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum Dominum Oratorem Cæſareum inſertas, reſponderunt. Quale Conſilium ſeu Reſolutionem* (Titulus erat Animaduerſiones in cauſa bonorum Eccleſiaſticorum & Monaſteriorum extinctorum Germaniæ) *obtulit etiam Clariſſimus quidam & rerum Germanicarum peritiſſimus Theologus, in quem famoſi libelli Author calumnioſè inuehitur in ſuo Epilogo, num 1.* Huius libelli Author eſt ille, quem P Laymannus refutat in Iuſta Defenſione, qui Author aiebat hunc Theologum *erraſſe, qui Sua Sanctitati ſuadere conatus eſt, vt bona Eccleſiaſtica in Sequeſtrum accipi mandaret, donec Sua Beatitudo de ijs diſponeret.* P. ergò Laymannus defendere cupiens hunc Theologum, ita ſcripſit fol 442. *Vir ille, quem dixi, Clariſſimus, cùm intellexiſſet S. D. N. ex paterna Cura & Amore Germaniæ Eccleſias adiuuandi, intentionem ſuam declaraſſe, & ad Nuntium ſuum deſtinaſſe de Monaſterijs in Sequeſtrum accipiendis, donec Sua Sanctit. ex Cæſaris aſſenſu diſponeret ita, vt Ordinibus reſtituerentur; aliqua tamen eorum ad Collegia, Gymnaſia Clericorum, Seminaria, Parochias applicentur: at verò huic iuſtiſſimæ & ſaluberrimæ intentioni, quam omnes Catholici approbaturi eſſent, non niſi paucos aliquos remoram iniicere videret, proprij animi Zelo ac deſiderio adiuuandæ Germaniæ, cuius ſtatum ipſe optimè cognitum habet, Scripto aliquo breui, cuius titulus,* Animaduerſiones in cauſa bonorū Eccleſiaſticorum, & Monaſteriorum extinctorum in Germania. *Suggeſſit vt Sanctitas Sua in propoſito permaneret, & ad exitum perducere non deſiſteret. Quandoquidem etiam Cæſarea Maieſtas pro ſua pietate & Eccleſiā adiuuandi deuotione, ad hoc ipſum (prout ex Sereniſſ. Neoburgici Principis ad Pontificem deſtinato Legato intellexiſſe refert) penitus incliner. Si itaq; iſte D. conſulēs Sanctit. Suæ ſuggeſſit, vt in intentione qua Sequeſtrum fieri placuit, permaneret: quomodo verum eſſe poteſt, quod Aduerſarius ait,* erraſſe eum qui nuper ſcripto quodam Suæ *Sanctitati ſuadere conatus eſt, vt bona Eccleſiaſtica in Sequeſtrū accipi mandaret? cùm tamē conſtet Sanctiſſimum id declaraſſe antequā conſulens de hac re cogitaſſet?* Hactenus verba P Laym. ſuper quibus ſtructa eſt tanta moles calumniarū: vt aſſeratur eū tanquā Approbatorem libelli famoſi contra Cæſareos conſiliarios eâdem pœna puniri debere, quâ ipſi Auctores plecti ſolēt, & propter quę dicatur ita fuiſſe trāſgreſſus boni Chriſtiani & catholici, nedū, Theologi, fines: vt ab omnibus haberi debeat pro Seminatore diſcordiarum & ſcandalorū: eiuſque Tractatus ſit proſcribendus &c. Quod ſi quęramus ex P. Romano, cur tandem Pater Laymannus tot pœnas commeritus ſit? Reſpondet, *quia callidè defendit, plurimumque commendat Authorem illarum Animaduer-*

ſionum

ſionum, *aſſerens eſſe virum Clariſſimum*. Primùm non agnoſco in verbis P. Laymanni tantũ *Calorem* defenſionis, dixit ſolum eum non *ſuaſiſſe* Pontifici Maximo, vt bona Eccleſiaſtica in ſequeſtrum accipi mandaret, ſed ſolum ſuggeſſiſſe, vt Sanctitas ſua in propoſito *permaneret*, nihil aliud addidit P. Laymannus. Deinde non video, quomodo plurimum eiuſdem Theologi *Animaduerſiones* commendarit, vel ipſarum Auctorẽ. Vocauit *Virum Clariſſimum*, qui titulus hiſce temporibus nulli Iurisconſulto, nulli Theologo denegari ſolet, egoque ſi de ipſo Scioppio loquendum eſſet, non dubitarem illum appellare *virum Clariſſimum*, imò *Famoſiſſimum*.

120. Quæro præterea à P. Romano, vnde probet, à P. Laymanno fuiſſe approbatas illas *Animaduerſiones tanquam libellum famoſum*. Id vnum dixit: *Cùm Author ille iuſtiſſimæ & ſaluberrimæ intentioni Pontificis videret, non niſi paucos aliquos remoram inijcere, ſuggeſſiſſe, vt in propoſito permaneret*. Omnium prudentium appello iudicium, an hæc verba de cuiuſquam fama vel hilum detrahant. *At*, inquit P. Romanus, *pauci iſti, qui remoram inijciebant, erat totum Cæſareum Conſilium*. Niſi ergo dixiſſet: nos omnes ignoraremus. Quanto modeſtius egit P. Laymannus, qui *paucos tantum aliquos* fuiſſe aſſeruit? *At* inſtat rurſus P. Romanus, *ſub nomine iſtorum paucorum totum Conſilium Cæſareum notabatur*. In quo notabatur? nam P. Laymannus ſolum ait, *paucos aliquos remoram inijcere*. Reſpondet P. Romanus, *notabatur Conſilium Cæſareum ab Authore illarum Animaduerſionum impietatis, hæreſeos, odij & obtrectationis aduerſus Apoſtolicã Sedem*, & eorum omnium, quæ ipſe Pater Romanus hoc numero quinquageſimo ſecundo, folio ducenteſimo decimo ſexto, cum prius eſſent incognita, ad hominum deduxit notitiam. Quocirca non poteſt Pater Laymannus puniri, non ſolum tanquam Approbator, cum Iura præter Auctorem non puniant niſi eos, qui crimina eiuſcemodi mandent, aut ſuadeant, ſed neque tanquam publicator criminum, quorum iudicio P. Romani Cæſareum conſilium inſimulatur, qui enim ipſius P. Laymanni verba legerit, ne in ſuſpicionem quidem venire poteſt, ab Authore *Animaduerſionum*, Cæſareum Conſilium alicuius infamiæ notatum fuiſſe. Itaque tota vis Argumenti iure ac merito retorqueri poteſt in ipſum P. Romanum, qui ea ipſa verba ex libello *Animaduerſionum* excepta, & quæ ad maximam iniuriam Conſilij Cæſarei ſpectare contendit, ipſe primus, vt dixi, in publicam notitiam proferre non dubitauit, deſinat propterea Iuris pœnam P. Laymanno intentare, & ſibi deberi agnoſcat, non ſolùm hoc nomine, quod videri poſſit Approbator, ac Diſſeminator libelli, vt ipſe ſentit, famoſi, ſed etiam quia in P. Laymannum hominem Religioſum, Sacerdotem, publicum

Cano-

Canonum Profeſſorem, de Germania tota ac Republ. literaria optimè meritum, probitatis eximiæ, famæ inculpatæ tam atrociter, quàm vidimus, inuectus eſt.

121. Reconciliauimus hactenus, niſi ego valdè fallor, P. Laymanno Cæſaris Conſiliarios, ſi tamen ab eo ob tam iniuſtas criminationes (quod non credo) abalienati vnquam fuerunt. Facilius reconciliabimus Eminentiſſ. Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Iudices Imperialis Cameræ Spirenſis, de quibus P. Laymannus pronunciauit, quando pro diuerſis Ordinibus actiones ſuper ſpolio admiſerunt, & ſententias decreuerunt in caſu, quo omnes de Monaſterio fuerunt mortui, ex tacita Prælatorum Eccleſiaſticorum voluntate *ſecundum quandam æquitatem*, reſtitutionem eiuſdem Ordinis Religioſis factam fuiſſe per Cæſaris Supremi Aduocati officium. nam ex his nullo pacto ſequitur, (quod tamen calumniatur P. Romanus) Pat. Laymannum ſenſiſſe, Iudices Cameræ Spirenſis vſurpaſſe ſibi Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & contra iuſtitiam adiudicaſſe Monaſteria antiquis Ordinibus, ſed ſolum ſequitur (quod P. Laymannus expreſsè proteſtatus eſt) ſi de Iure antiqui Ordines contendere velint, & tanquam debita ſibi Monaſteria vendicare; tunc ipſis hoc Ius denegari, & non competere. quia tamen æquitas poſtulare videbatur, vt quandoquidem Cæſar non grauatè eadem Monaſteria ipſis Ordinibus reſtituebat, Iure potuerunt à Camera Spirenſi admitti ad agendū: Iure potuit illis cauſa adiudicari. quia, ſuppoſita aſsignatione, & conceſsione iam facta à Cæſare iiſdem antiquis Ordinibus, & cum Monaſteria tanquam bona Chriſti eſſent alicui pio vſui applicanda; omnia, quæ facta ſunt à Iudicibus, Iure facta ſunt. itaq; nullo modo Pat. Laymannus aſſeruit, Iudices in Imperiali Camera Spirenſi feciſſe aliquid contra iuſtitiam. Quando verò idem Pat. Laymann. dixit allegans capitulum. *cum iam dudum. de prębendis*, multa per patientiam tolerari, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia tolerari non debent, non voluit inferre (vt perperam putat P. Romanus) Prælatos Eccleſiaſticos & Romanum Pontificem toleraſſe in Iudicibus Cameræ Spirenſis, quod in hac materia Monaſteriorum iudicia exercuerint: ſed, vt ipſemet P. Laym. ſe explicat fol. 16. voluit tantum quòd, ſi de Iure antiqui Ordines contendere vellent, & tanquam debita ſibi Monaſteria vendicare, ita vt Romanus Pontifex cum Cæſare aliud decernere non poſſent; tunc ipſis hoc Ius eſſet negandum, atque locum hic habere, quod Innocentius Tertius reſpondit *in cap. citato, multa per patientiam tolerantur, quæ ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia*, hoc eſt, quaſi de Iure, illa deducentibus debeantur, *non tolerantur*.

122. Ex his duo ſequuntur. Primum, ex doctrina P. Laymanni nullo modo inferri, grauiter erraſſe Cæſarem, quādo in Edicto generali pronunciauit, Proteſtantes nullam habere cauſam conquærendi occaſione prætenſi grauaminis, quod Generales Ordinum

Abbates &c. admiſsi fuerint ad agendum, & inſtituendos proceſſus &cæt. quia P. Laymannus omnia, quæ recenſentur à P. Romano, concedit, facta *ſecundum æquitatem*, ſi conſiderentur Abbates & Generales pro tempore, quo à Cæſare nulla ijs facta fuerat Monaſteriorum aſsignatio. nam ſi conſiderentur poſt eiuſmodi aſsignationem ſibi factam, admitti potuerunt tanquam habentes Ius, & de Iuris vigore. Sicut, ſi Cæſar aliquod Monaſteriorum detentum ab hæreticis aſsignaſſet Societatis Collegio, Societas potuiſſet agere apud Imperialem Cameram Spirenſem, & ipſa iuſtè potuiſſet eiuſmodi Monaſterium Societati adiudicare, in quod tamen eidem nullum Ius competebat abſtrahendo à Cæſaris conceſsione: Pari ratione actum eſſe potuit cum antiquis Ordinibus.

123. Atque ex his etiam reſponderi facilè poteſt ad illam ſequelam, quæ habetur in *Aſtro*, *fol.* 218 *col.* 2. *in fine*, §. *ſequitur*, nec Acatholicos iuſtam habere cauſam conquerendi, quia ſi Cæſar & Camera Spirenſis admiſerunt Abbates ad agendum contra Monaſteriorum detentores, admiſerunt eos, qui poſt factam ſibi à Cæſare aſsignationem Ius habebant, ſicut & quilibet alij habuiſſent, ſi illis ab eodem Cæſare Monaſteria extincta attributa fuiſſet, vel ſi ante aſsignationem Cæſar Abbatibus conceſsit Monaſteria quæ petebant, Iure fecit, cùm ex præſumpta Summ. Pontificis voluntate id faceret, vt ſupremus Coll. Aduocatus, & ex ſuo nobiliſsimo officio, ſecundum quod ſi procedatur, proceditur ex quadam æquitate, & nullo modo contra Iuſtitiam, nec ex vſurpata poteſtate. Secundò ſequitur, à Pat. Laymanno ne minima quidem iniuria affectam fuiſſe Sacram Cæſaream Maieſtatem in perſonis Iudicum Imperialis Cameræ Spirenſis, ſicut neque in perſona, vt vidimus, Conſiliariorum.

124. Vnum reſtat, an à P. Laymanno offenſus fuerit Rom. Pontifex & Purpuratorum Patrum Senatus propter ea, quæ relata proximè ſunt, & profectò grauiſsima calumnia eſt ea, quæ impingitur P. Laymanno, quaſi dixerit, ea minimè tolerari debere exigente iuſtitia, quæ ab illis iuſtiſsima ſunt iudicata, quibus paucisſimis verbis dupliciter grauiſsimè delinquit P. Romanus. Primum quia falſum eſt Pat. Laymannum vnquam aſſeruiſſe quæ à Iudicibus Cameræ Spirenſis geſta ſunt, exigente iuſtitia minimè tolerari debere. dixit enim ſolum, adiudicata fuiſſe Monaſteria antiquis Ordinibus *ex æquitate quadam*, non autem de Iuris rigore. Deinde commentitium prorſus eſt, quod ait Pat. Romanus, à Pontifice Maximo & Eminentiſsimorum Cardinalium Senatu fuiſſe approbata, & commendata, & cum plauſu excepta quæcunque ipſe putidè recenſet. Sunt autem ferè hæc: quod Cæſar pronunciauerit, Proteſtantes nullam habere cauſam conquerendi, quòd Generales Ordinum admiſsi fuiſſent & admitterentur ad agendum. Secundò, quod Sacra Maieſtas Cæſarea declarauerit, eoſdem Ordines rectè & Iure inſtituiſſe proceſſus. Tertiò, quod Ordinis Religioſi Ius habeant agendi & vin-

vindicandi Monaſteria. Quartò, quod Cæſar Iudicibus Cameræ Spirenſis mandauerit, quid in ſimilibus poſthac iudicare deberent. Poſtremò, quod iniuſtæ fuerint omnes cauſæ à Proteſtantibus allatæ, ad declinandum iudicium ſuper reſtitutione Monaſteriorum, quæ etiam cauſæ putidius extrema hac quæſtione fol.222. & 23. enumerantur: nec dubitat ſubiungere, *hec omnia eſſe illa, quæ inter alia mira iucunditate animum ſuæ Sanctitatis repleuerunt, & per quæ Sacra Cæſarea Maieſtas arctè Pontificis animum ſibi obſtrinxit, & quibus S.D.N. Vrbanus Octauus applaudente Sacro Conſiſtorio Apoſtolicam benedictionem tam paternè impertiuit.*

125. Mera ſunt ſomnia, haud ſcio, an dormientis an vigilantis. In Sacro Conſiſtorio, vt teſtari poſſunt, qui interfuerunt, lectæ ſunt tantum literæ Auguſtiſsimi Cæſaris, quibus Rom. Pontifici ſignificabat, *à ſe promulgatum fuiſſe Edictum in Imperio, cuius vi iuberentur Sectarij veterem poſſeſsionem dimittere Eccleſiaſticorum bonorum Ordini Sacerdotali.* quibus literis plauſum dedit Apoſtolicus Senatus. Cæterum ſi quis putat, in Sacro illo Cõſiſtorio minutatim fuiſſe relatum de Monaſterijs in particulari, de Antiquorum Ordinum Iure, & ſingillatim de cauſis omnibus, propter quas conqueri non poſſent Proteſtantes, vehementer errat. Sanctiſsimus Pontifex laudauit Cæſareæ Maieſtatis Edictum: benedixit ijs, quæ in Edicto continentur, in genere, & gratulatus eſt Religioſiſsimo Principi tam eximia virtutum exempla, tantam pietatem, tantum denique propagandæ Catholicæ Religionis zelum. Sed faciamus tamen, Summum Pontificem & Apoſtolicum Senatum approbaſſe & collaudaſſe diſtinctè ac ſingillatim, quæcunque vult P. Romanus, non tamen ex hoc infertur, vllam à P. Laymanno Sanctiſsimo Pontifici, & Eminentiſsimorum Cardinalium Collegio iniuriam irrogatam fuiſſe, cùm falſiſsimũ ſit, vt dixi, Pat. Laymannum aſſeruiſſe, minimè tolerari debere exigente iuſtitia, quæ ab illis iuſtiſsima ſunt iudicata. Solum enim dixit, antiquos Ordines *ſecundum æquitatem*, non ex iuſtitia Monaſteria hæreticis erepta recuperaſſe: aut recuperare poſſe in Iudicio, quandoquidem, vt toties demonſtratum eſt, ***nullum agendi Ius*** habent.

THEORICA
QVINTÆ QVÆSTIONIS,

An à P. Laymanno iuſtè defenſi fuerint S. R. E. Cardinales, ac Nuncij Apoſtolici.

SI hac eſſet vltima Quæſtionum à Pat. Romano in cauſa Monaſteriorum inſtituutarum, dicerem illũ, qui in quatuor primis actibus tam malè ſtetit, in hoc Quinto turpiter corruiſſe: adeò quicquid hic eſt, frigus eſt. contẽdit, à Pat. Laymanno non ſolùm non eſſe iuſtè defenſos Eminentiſſimos Cardinal. Sacræ Congregationis de fide propaganda, neq; Apoſtolicos Nuncios in Germaniam deſtinatos, quod ſe facturum ait proœmio num. 29. Sed neq; Cardinales Sacri Concilij Tridentini Interpretes, non ipſum Totum Senatum Purpuratorum Patrum, nõ Legatos Cardinales & Nuncios, & nominatim offenſos potius ab eodem fuiſſe Eminentiſſimum Cardinal Richelieu, & Illuſtriſſimum Nuncium Caraffam. In hoc tantum eſt laudandus, quòd contra morem ſuum, rem totam paucis, hoc eſt, vix integro folio, abſoluit. Paucioribus oſtendam, eſſe ſui ſimilem, hoc eſt, nihil probare.

SVMMARIA.

1. *Colleg. Cardinalium laudauit Cæſaris conſilium in reſtituendis Eccleſiæ bonis ademptis, non examinauit cauſam, An Monaſteria Iure Monachis debeantur.*
2. *Sac. Congregatio de Fide propag. contrarium ſenſit.*
3. *Sac. Congr. Concil fauet Societati.*
4. *Card. Richelieu fecit quod quiſque feciſſet.*
5. *Legati & Nuncij Apoſtolici immeritò quererentur, de Monaſteriorum tranſlationibus.*
6. *Illuſtriſſ. Caraffa nil egit quod Monaſteriorum translationi obſtet.*

1. Quod pertinet ad Collegium Cardinalium, licet ij plauſum dederint in Sacro Conſiſtorio Edicto Cæſareo de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum, non tamen propterea cenſendi ſunt

ſunt in ea fuiſſe ſententia, vt exiſtimarent Monaſteria antiquis ſolum Ordinibus de Iure eſſe reſtituenda. id ſcilicet tunc curæ fuit ampliſsimis Patribus, vt in Sacro Senatu ſpinoſas eiuſmodi quæſtiones examinarent ac deciderent: collaudarunt illi pietatem ac Religionem Auguſtiſsimi FERDINANDI Secundi, qui decreuiſſet Eccleſiarum bona hæreticis erepta non interuertere, ſed Eccleſijs reſtituere.

2. Sacra verò Congregatio de propaganda Fide tantum abeſt, vt ſenſerit, ſolis antiquis Ordinibus Monaſteria reſtituenda eſſe, vt potius, quemadmodum alibi monui, magnoperè collaudauerit Summi Pontificis cõſilium de illis ad Collegia, Seminaria, Academias, Parochias applicandis. Et hæc eſt illa *declarata ſententia*, quam P. Romanus tantoperè auerſatur, non voluit P. Laymannus, ab illa Sacra Congregatione inſtitutum fuiſſe quodammodò Iudicium, ac iuridicè pronunciatam ſententiam de bonis Monaſteriorum ad Collegia, Scholas, & Parochias applicandis; voluit ſolum oſtendere, dum Cardinales Pontificis conſilium atque intentionem collaudarũt, ſatis etiam ipſos *declaraſſe*, quid eadem de re *ſentirent*. ideoque appellauit eorundem *declaratam ſententiam atque conſilium, Germanicæ Nationis Eccleſias adiuuandi.*

3. Quod ait, ab eodem P. Laymanno non iuſtè defendi Sacram Congregationem Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, quam allegauit, ac ſi vniuerſim de Magiſtris Seminariorum loqueretur, dum dixit, *ſi reperiantur Ieſuitæ, cæteris anteponendos eſſe*, cũ tamẽ loquatur ſolummodo de Grammatico & Muſico, hoc inquam ridiculum eſt. Sat eſt Pat. Laymanno, ab illa Sacra Congregatione haberi omnium aptiſsimos Ieſuitas in Seminariorũ diſciplina promouenda, nec tamen laborat de eo an Ieſuitæ Muſicam quoque calleant.

4. De Eminentiſsimo Cardinali Richelieu excluſo à P. Laymanno è numero Sapientum, eò quod dicat fol. 443. *Omnes Sapientes ita ſentire, quod Monaſteria iſta extincta ſint, ideoque de Iure nemini debita*, non eſt neceſſe quicquam à me reſponderi. Eminentiſsimus ille Princeps in epiſtola, quam P. Romanus affert, tanquam Caput & generalis Adminiſtrator totius Ordinis Cluniacenſis, commendauit Sacræ Cardinalium Congregationi cauſam Monaſterij ad illum Ordinem ſpectantis, ſicut Generales aliorum omnium Ordinum feciſſent ac facerent. cæterùm quòd Pat. Laymannus intenderit vllo modo cuiuſquam ſapientiæ vel tantillum derogare, ac nominatim ſupremis Capitibus, nemini perſuadebit P. Romanus.

5. Superſunt Legati & Nuncij Apoſtolici, quos non iuſtè defendi affirmat, quia ſi Monaſteria Collegijs ac Seminarijs applicentur, carebunt in prouiſionibus ad Apoſtolicam Sedem deuolutis, Authoritate beneficia conferendi. Hæc ratio ſi valeret, nunquam poſſet Summus Pontifex vlla beneficia Religioſis Ordinibus vnire, quia cedit hoc in præiudicium Legatorũ ac Nun-

Nunciorum. Verum ſi Apoſtolica Sedes per huiuſmodi vniones ſe priuat hac Authoritate, cur cõquerantur Legati ac Nuncij, qui ſolum eiuſdem ſedis nomine beneficia conferre poſſunt? Perinde facit P. Romanus, ac ſi quis diceret Regem rem ſuam donare non poſſe, quia Oeconomus priuabitur Iure illam adminiſtrandi.

6. Reſtat Illuſtriſsimus Nuncius Caraffa, contra quem directè loqui contendit P. Laymannum, ſed cur tãdem? quia tranſmiſit ad P. Martinum Becanum reſponſum Summi Pontificis, in quo habebatur, bona Monaſteriorum vnitorum in aliqua Congregatione, illi particulari Religioni reſtitui debere, vt ſupra vidimus, adeoque idem Illuſtriſsimus Nuncius in eadem fuit ſententia. Primum hoc eſt vaticinari, nil aliud ille egit, niſi quòd, prout Romæ perſcribebatur, anno 1624. ſignificauit P. Becano quæ mens eſſet Summi Pontificis, quid ipſe ſentiret, non addidit. Et cum eundem ipſum Rom. Pontificem conſtet, conſequentibus annis non ſolùm ſuam intentionem declaraſſe, ſed etiam ma[illegible] executioni, aſsignando non pauca Monaſteria pro fundatione Collegiorum &c. & non ſemel ipſum Illuſtriſsimum Caraffam in hoc negotio optimam operam nauaſſe, quis credet P. Romano aſſerenti, Prudentiſsimum hunc Prælatum non ſolùm non fuiſſe iuſtè defenſum, ſed offenſum grauiter? Credat qui volet; non ego.

THEORICA
SEXTÆ QVÆSTIONIS,
An à P. Laymanno juſtè defenſi fuerint Epiſcopi S. R. I. Principes.

Pauciſſima ſunt, in quibus contendit Pat. Romanus, non iuſtè defendi à P. Laymanno Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. DD. Epiſcopos S. R. I. Principes, plurima quibus nititur excuſare ſuos Monachos, quos ſuſpicio erat, procurare totius Ordinis exemptionem ab Ordinarijs locorum per quendam Conuentum Ratisbonæ inſtitutum, & nonnullos Abbates ad Roman. Curiam deſtinatos. Nos quam pauciſſimis vtramque partem examinabimus, quia quod ad primam ſpectat, nil affertur, quod leuiſſimum non ſit: Secunda verò nil attinet ad Pat. Laymannum, quem defendendum ſuſcepimus.

SVM-

SVMMARIA.

1. *Obijcit P. Romanus P. Layman. quod nō agnoſcat deuolutionem in Monaſt.*
2. *Non agnoſcit quam P. Rom. nullo Iure fundatam ponit.* C.c.38.
3. *Quod plus tribuat Epiſcopis, quam ipſis Iure concedatur.*
4. *Oſtenditur non ita eſſe.* C.c.38.
5. *Ob. P. Rom. non omnes ſapientes ſentire Monaſteria eſſe extincta, vt P. Laym. dixit.*
6. *Defenditur P. Laym. dictum.*
7. *P. Rom. poſtulat ſibi indulgeri, vt queri poſſit.*
8. *Agit per Satyram.*

1. Numero ergò Primo non rectè defendi, ait DD. Epiſcopos à P. Laymanno, eo quòd ſentiat, mortuis omnibus de Monaſterio, *extingui* omnes titulos: ac proinde non agnoſcit in iiſdem Monaſterijs vllā Electionis propriè dictam *deuolutionem* fieri ad proximum Superiorem. qua in re tum ordinarijs omnibus, tum communi Canoniſtarum ſententiæ aduerſatur, ita vt eius error tanquam Iuri & rationi contrarius atque hactenus in Eccleſia inauditus ſuſtineri non poſsit.

2. Meritò negat hanc *Deuolutionem* P. Layman. in caſu, quo omnes de Monaſterio mortui ſint. quia, vt initio primæ quæſtionis demonſtraui, Sacri Canones huiuſmodi *deuolutionem* nullo modo agnoſcūt: ſed ſolum in duplici caſu, quando ſcil. Electio non eſt facta intra legitimum tempus, aut ſciēter eſt electus indignus, & in electione debita forma non ſeruata, & intolerabile eſt, tam fidenter à P. Romano aſſeri *huiuſmodi deuolutionem*, quam ne vno quidē textu probare potuerit, & immeritò quærerentur Ordinarij de P. Laymanno, quaſi ipſis hoc *Ius deuolutionis* denegaſſet. cum, quemadmodum alibi docui, in Monaſterijs non exemptis *Iure ſuo proprio* habeant poteſtatem illa Ordinandi, ſi Collegium Monachorum per omnium mortem fuerit diſſolutum ex eiuſdem doctrina.

3. *Num.* 2. ideò ait, non iuſtè defendi Epiſcopos, quia plus illis videtur Pat. Layman. tribuere quām debeat. cùm enim aſſerat, Epiſcopū in Monaſterijs iā *vacantibus* non poſſe inſtituere Clericos ſæculares abſq; cōſenſu, & Authoritate Summi Pontificis, videtur inſinuare, Epiſcopum in Monaſteria iā *vacantia* poſſe inſtituere Clericos Regulares abſque Sūmi Pontificis conſenſu: quod tamen verum non eſt. cum Epiſcopus titulos Abbatiarum & Monaſteriorum ſupprimere non poſsit.

4. Reſpondeo primò, nō ſequi ex eo, quod dicat P. Laymannus, Epiſcopum non poſſe inſtituere Clericos ſæculares in Monaſterijs *vacantibus* abſq; authoritate Summi Pontificis, vt poſsit inſtituere Regulares abſque eiuſdem conſenſu. quia potius deberet inferri, quòd de Pontificis conſenſu inſtituere poſsit eoſdem adeò, vt exceptio quam Pat. Romanus ait firmare regulam, hic locum habeat reſpectu Authoritatis Summi Pontificis, non autem reſpectu Clericorum ſæcularium & Regulariū. Fortè voluit idem P. Rom. dicere, hic habere locum aliam regulam quæ appellatur *Argumentū à ſenſu cōtrario*. & eſt illa. *Qui de vno affirmat, de oppoſito negare, & quæ*

& qui de vno negat, de oppoſito affirmare cenſetur c. nonne, de præſumptionibus, adeoque, ſi per P. Laymannum Epiſcopus in Monaſterijs *Vacantibus* non poteſt inſtituere Clericos *Sæculares* abſque authoritate Papæ, poterit *Regulares*, qui ſæcularibus opponuntur. Sed meminiſſe debuerat P. Romanus hanc regulam pati multas exceptiones, quarum illa præcipua eſt: ſi ratio afferri poſsit, cur de vno ſpeciatim affirmatum aut negatum fuerit aliquid, non item de altero oppoſito, quæ exceptio habet locum in noſtro caſu. nam Sacri Canones allegati à P. Laymanno *in Iuſt. Defenſ.* c.4. memb.3. apertè indicant, quòd *Clericorum Sæcularium* inſtitutio in Monaſterijs etiam *Vacantibus*, Epiſcopalem excedant poteſtatem: vtrum autem excedat inſtitutio *Clericorũ Regularium* in caſu, quo Monaſterium nullos habeat iam Monachos, Canones non decidunt: & ideò potiori iure potuit P. Laymannus aſſerere, non poſſe Epiſcopum in Monaſterijs *Vacantibus* inſtituere *Clericos Sæculares* abſque conſenſu Papæ, de *Regularibus* verò nihil in particulari determinauit, nec ſequitur, per *Argumentum à contrario ſenſu*, vt affirmauerit. quia ad expreſsè negandum de *Sæcularibus Clericis* habuit ſpecialem rationem, hoc eſt, Sacrorum Canonum Authoritatem: non de *Regularibus*.

5. *Num. III.* iterum exprobrat Patri Laym. quòd alicubi dixerit, *omnes ſapientes ſentire Monaſteria eſſe extincta*, ac propterea iuxta ipſius mentem nullum Epiſcopum eſſe ſapientem, qui contrarium ſentiens ſua Iura tueri voluerit.

6. Primum quæro de quibus Iuribus loquatur, deinde, licet fortè ſint aliqui Epiſcopi, qui pugnent pro Monaſterijs ſuis Ordinibus reſtituendis, non tamen ſequitur, hos à P. Layman. haberi pro inſipiẽtibus, tuetur ille doctrinam in optimo Iure & ratione fundatam, &, quod caput eſt, quam ſua Authoritate non pauci Epiſcopi, Cæſar, & Summus Pontifex ſæpius confirmarunt, dum vel poſtularunt, vel conſenſerunt, vel ſua Authoritate non pauca ex Monaſterijs recuperatis non ſuis Ordinibus reſtituerunt. Romanus Pontifex & Cæſar hac in re Pat. Laymanno omnium ſapientum inſtar eſſe poſſunt.

7. Atque hæc pauca ſunt illa, in quibus non iuſtè defendi Epiſcopos S. R. I. Principes negabat P. Romanus. Iam verò *Num. IV.* & ſequentibus ad finem vſque quæſtionis veniam petit, vt tantiſper iuſtiſsimis querelis indulgere poſsit, quando ita fert natura, vt apeuiſſe dolorem, pro ſolatio reputetur. Per me licebit, exordiatur.

8. *Num. V.* repetit originem Religioſi ſtatus inde vſque à temporibus Apoſtolorum. *Num. VI.* intepuiſſe quidem concedit Religionum feruorem, at per inſtitutas ſubinde reformationes ſuſcitatum fuiſſe, addens huic rei plurimum profuiſſe Capitula Prouincialia, quæ decreta fuerunt, vt ait *Nu. VII.* ab Innocentio tertio, & confirmata poſtea *Nu. VIII.* ab Innocentio quarto, Honorio tertio, Clemente quinto, Benedicto duodecimo, Martino V. alijſque, & hæc Capitula Prouincialia *Nu. IX.* inducta fuiſſe in mores ab Ord.

S. Bene-

S. Benedicti varijs locis ac téporibus: tum multò maximum ornamentum allatum fuiſſe. n. 10. per inſtitutionem Congregationum, quarum tres præcipuè laudãtur, Mellicenſis in Auſtria, Caſtellenſis in Palatinatu Superiori, ac Burſteldéſis, cui initium dedit Abbas Monaſterij S. Thomæ in Burſfeldia, quæ Cõgregationes n. 11 magnoperè laudãtur & approbãtur à Pio II. & earum eximij fructus n. 12. narrantur, quo factum eſt, vt idem Pius II. n. 13. ſtatuerit, omnia Monaſteria Germaniæ in vnam Congregationem redigere: & comprobatur ex ipſo diplomate relato n. 14. Nec aliter viſũ DD. Abbatibus; nã anno 1483. vt dicitur n. 15. Burſfeldenſes celebrarunt Capitulum Erfordiæ, ac rurſus Herbipoli 1518. cæterũ interueniſſe optimis Conſilijs hæreſin à Luthero ſuſcitatam, vt dicitur n. 16. quæ tamen non potuit impedire, quo minus reſidui Abbates conuenerint ad Capitulum celebrandum Auguſtæ Vindelicorum n. 17. Ac tametſi ſecuta *Pace Religionis*, Acatholici prohibiti fuerint, occupare bona Eccleſiaſtica; nil tamen obſeruatum fuiſſe queritur n. 18. ac proinde etiam ex eo tempore plurima Monaſteria amiſſa fuiſſe. Interea in Conc. Trid. Saluberrimi Canones condebantur pro Reformatione Religioſorum, & in primis cõmendata ſunt Capitula Prouincialia n. 19. quæ licet non ita facilè cogi poſſent in illo tã miſerabili Germaniæ ſtatu; non defuit tamen ſibi Geruuicus Abbas præſidens Cõgregationis: & Congregatis Sueuiæ Superioris Abbatibus, & aſſumpto Viſitatoris nomine, eo functus eſt quoad vixit: eo mortuo alij Prçſides & Viſitatores ſunt ſubſtituti vſq; in hodiernã diem, etiam cum approbatione Sedis Apoſt. vt refertur n. 20 & nominatim Clementis VIII. Quæ omni ideò ſe cõmemoraſſe affirmat n. 21. vt appareat in Congregatione ſaltẽ Sueuica Iura, Priuilegia, & immunitates Capituli quondam Ampliſſimi reſediſſe & cõſeruata fuiſſe. Sed hoc parum eſt ad rẽ, oportuiſſet probare, Titulos Monaſteriorum diſſolutorũ per omnium mortem, in eodem Capitulo conſeruatos fuiſſe, quod tamẽ probari nullo modo poteſt, quia Tituli huiuſmodi non cõpetunt toti Congregationi cõſtanti ex pluribus Monaſterijs, ſed ſingulis Collegijs, quibus *extinctis*, etiam *Tituli extincti* ſunt. n. 22. redit ad Congregationem Burſfeldenſem, eãque temporũ iniquitate agitatam ſemper, ait fuiſſe ab Apoſt. Sede; eiuſdemque Nuncijs, quaſi porrecta tabula ſuſtentatã, qui; vt addit n 23. aliquoties Ordini declararunt optimũ fore mediũ, quo refloreſceret, ſi Cõgregationes & Capitula reaſſumerentur, idque deſiderari à Sũmis Pont. paucis ante annis cõteſtatum fuiſſe Illuſtriſſ. Petrum Aloyſium Caraffam ad tractum Rheni Nuncium, literis datis ad Abbatẽ Fuldenſem, atque inde factum eſſe, vt in formam Congregationũ particulariũ redigi cœpta ſint multa Monaſteria: hinc ortum habuiſſe Congregationes Helueticã, Auſtriacã, Salisburgẽſem, Alſaticã, quas anno 1627. imitari conati ſunt Abbates vtriuſq; Bauariæ, imò hinc capta eſt occaſio deliberãdi, an to-

an tota Prouincia Germaniæ in vnā Congregationem ſiue Capitulum redigi poſſet, quòd conſultiſſimum eſſe videbatur, vt ita Patrimoniū S. Benedicti, quòd quotidie imminui videbatur, conſeruari facilius poſſet: in eāque rem nōnullos Abbates Principes Ordinis, non quidem vlla Prælationis Authoritate, ſed ſolo diuini honoris & Ordinis cōſeruandi zelo permotos, diuerſarum Prouinciarū Abbates ad Ratisbonenſem Conuentū inuitaſſe, & vt ſubditur num. 25. Romam etiam fuiſſe deſtinatos nōnullos Religioſos, cum literis commendatitijs Ferdinandi II. vt procurarent, ne, quoad Monaſteria reſtituēda, quidquā præproperè ſtatueretur, ſubijcitque n. 26. hanc vnam fuiſſe mentem & intentionē totius miſſionis, ex quo tamē perperam ſumptum fuiſſe occaſionē perſuadendi Ordinarijs, eiuſmodi miſſionem in præiudiciū Iuriſdictionis ſuæ pro impetrāda omnimoda exemptione inſtitutum fuiſſe; hoc aūt, vt dicitur n. 27. nil aliud fuiſſe, quàm cōmittere inter ſe locorum Ordinarios & Religioſorū Ordines: has ſuſpiciones fuiſſe iterum iniectas Ratisbonę, vt habetur n. 28. in Conuentu Clariſſimorum Virorum, in eum finem, vt Principes Electores Monachorū conatibus obuiam irent: quæ cū cognouiſſent, ſicut dicitur n. 29. nonnulli Abbates, qui Ratisbonæ iā cōuenerāt, magnoperè indoluerunt, hanc ſiniſtrā ſuis actionibus interpretationem adhiberi; & ideò, vt neminem offenderent, nomē Antiquiſſimæ Congregationi Burſfeldenſi dare decreuerunt, rati omni ſuſpicione ſe fore liberos, vbi locorū Ordinarijs per literas & Abbates coram informandis conſtiterit, eiuſmodi Congregationi ſe acceſſiſſe, quæ mixti ni exemptis & non exēptis Monaſterijs conſtans 200. penè iam annis citra querelam Diœceſanorum perſtitiſſent. Num. 30. ait P. Romanus, ab ouo ſe deduxiſſe hæc omnia, vt intelligeretur ab Ordine ſuo nil quæſitum, niſi honorem & gloriam Dei: neque vllas Congregationes in præiudicium Ordinariorum conflare cogitatum eſſe, neque Religioſos miſſos ad Curiam Romanam ad repetenda ſua Monaſteria, quicquam aduerſus Epiſcopos molitos fuiſſe, adeoque videre debere illos qui has ſuſpiciones mouerunt, quo Iure à Sacra Congregatione Palatinatus Romæ procurauerint, caſſari Conuentum illum Ratisbonenſem, in quo tamen Monachi nil contra Ordinarios machinabātur; ſed ſolùm tractabant de Monaſterijs redigendis in vnam Congregationē, quod valdè conforme eſt Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 22. de Regularibus. Ex quib. tandem concludit, valdè dolendum eſſe, homines inueniri, qui, cum ſibi Sanctæque Matri Eccleſiæ gratulari deberent de felici ſtatu & augmento antiquiſſimi Ordinis S. Benedicti; docere tamē & locorum Ordinarijs inſuſurrare præſumunt, antiquæ Monaſticæ diſciplinæ reformationē & Capitulorum Prouincialiū reaſſumptionem Iuriſdictioni Ordinariorū ipſorum contrauenire & repugnare. Hactenus querelæ P. Rom. haud dubiè mœrorem omnem abſterſerit, cùm eū

nobiſ-

Digitized by Google

nobiſcum communicauerit; ſi quod illi præterea ſolatium à me afferri poſſet, libentiſſimè facerem, credo Ratiſbonenſis Conuentus conſilia non alia fuiſſe, quã ipſe aſſerit. credo, nil molitos fuiſſe Monachos contra Epiſcoporum Iuriſdictioné, credo nil aliud eos ſpectaſſe, niſi, vt ipſe loquitur, *Bonitatem & Diſciplinam, & Scientiam*; vnum ſaltem credat ille mihi, neminẽ fuiſſe, qui illas ſuſpiciones iniecerit locorum Ordinarijs è Societate noſtra. quod ſi abnuerit; næ ille immeritò fecerit: quando ego illi tam multa etiam iuiurato credo.

THEORICA
SEPTIMÆ QVÆSTIONIS.

An à P. Laymanno iuſtè defenſi fuerint Abbates, & Religioſi Antiquorum Ordinum.

P*aradoxum videri poterat, aſſeruiſſe P. Laym. ſibi incumbere neceſſitatem defendendi etiam Ordines Religioſos, quos potiſsimum videbatur oppugnatum ire, dum ijs negabat* Ius & Actionem ad ſua Monaſteria recipienda. *Ne ergò vllus denegare poſſet aſſenſum; rationem reddidit in prooemio Iuſtæ Defenſionis num.*38. quia, *inquit*, graues cordibus ipſorum (*Religioſorum Ordinum*) inſidiæ ſtructæ, magna ſcandala ante pedes eorum poſita ſunt. certũ enim eſt, horum libellorum Authores, qui & Antiquorum Ordinum ſe Defenſores, atque Cauſidicos aduerſus minimam Societatem Ieſu profitentur, mali Spiritus inſtinctu agitari. Sathan, inquam, eſt qui filios Dei inter ſe committere, id eſt, aliorum omnium Ordinum Religioſos aduerſus vnicam Societatem coniunctis viribus armare & inſtigare aggreditur, animi Charitatem ac Pacem ex cordibus eorum auferre, atque in odij, diſſenſionis, diſcordiarum ſcandala & præcipitia deducere nititur. *&c. Videamus ergò quid afferat P. Romanus, vt oſtendat, P. Laymannum ſuas* Defenſoris *partes non explêſſe.*

Num. I. & II.

SVMMARIA.

1. *Negauit P. Laym. Monachis Ius & Actionem.*
2. *Iure negauit.*

1. *Quia*, inquit, *cum Summa Religionum antiquarum iniuria negat, ipſis propriè Ius Actionemq́, pro dudum ſpoliatis Monaſterijs competere*, affirmat *per tranſlationem Monaſteriorum nullum ijſdem Ius auferri; cùm nullum habeant, & Ordines illud amiſiſſe per extinctionem Titulorum Monaſterij, quando omnes Profeſſi mortui ſunt, aut à Fide Catholica defecerunt: & manifeſtò ipſorum cauſam inquam eſſe.*

2. Iure hæc omnia aſſerta ſunt à Patre Laymanno, vt patet ex hactenus diſputatis; in eo autem dixit, *eſſe iniquam manifeſtò cauſam Ordinum*, vt patet ex fol. 484. & 485. quòd dicerent ipſorum Aduocati & Cauſidici, *iniuſtitiam fore, atque ſpoliationem, niſi Monaſteria quæque ſuis Ordinibus reſtituerentur.* quanquam etiam illud verum eſt, non eſſe cauſam iuſtam eorundem Ordinum, ſi Monaſteria quaſi Iure debita repetere velint, quia vt probatum eſt, nullum Ius habent.

Num. III.

SVMMARIA.

3. *Negare dicitur Cæſarem debere partibus implorantibus iuſtitiam adminiſtrare*
4. *Explicatur quid negauerit.*

3. Ex falſa Suppoſitione *demonſtrati à ſe Iuris agendi* graues cordibus Religioſorum inſidias ſtructas ait à Patre Laymanno, quando docuit, Cæſarem in hoc caſu noſtro, non debere procedere vt Iudicem, neque partibus implorantibus, prout ſecundum Iura conſtitutum eſt, iuſtitiam adminiſtrare.

4. Iam ſupra oſtendimus, Cæſaris duplex eſſe officium, *Mercenarium* ac *Nobile*, & non poſſe procedere tanquam *merum Iudicem*, niſi eius imploretur officium à partibus, quæ proinde habeant Ius, vt ſibi iuxta leges & Canones adminiſtraretur Iuſtitia. Cũ autem pariter demonſtratum fuerit, antiquos Ordines reſpectu Monaſteriorum *nullum habere Ius & Actionem*, nec vllum eſſe Canonem, ex vi cuius ipſis, & non alijs, reſtitui debeant; meritò à Patre Laymanno aſſertum eſt, in hoc noſtro caſu Cæſarem non debere procedere vt *Iudicem merum*, neque partibus implorantibus adminiſtrare iuſtitiam ſecundum Iura. non tamen aſſeruit idem Pater Laymannus, ſi Cæſar procedere velit ſecundum ſuum *officium nobile*, & admittere Monachos, vt poteſt quoslibet alios, ad agendum pro Monaſterijs recuperatis; non poſſe *ſecundum æquitatem* aliter iudicare, & Monaſteria etiam illis addicere, imò hæc omnia expreſsè habet fol. 358.

Digitized by Google

Num. IV.

SVMMARIA.

5. *Obijcitur P. Laymanno, quod eius dicta omnes fundationes luxent.*

6. *Nihil tale.* C. c 39.

5. Dixerat P. Laymannus fol. 52. *Falſum & erroneum eſſe, ſi fundatio in pium vſum deſtinata ex fine bono ad meliorem conuertatur, iniuſtitiam eſſe.* Ex hoc dicto P. Romanus inferri ait, omnium Monaſteriorum fundationes luxari: & cuiuſuis exiſtentis & florentis Monaſterij tranſlationem fore validam ac licitam; *quia*, inquit, *tuetur ſententiam Filliucij aſſerentis, bona vnius Eccleſiæ poſſe validè & pro libitu à Summo Pontifice alienari in aliam.*

6. Filliucius in eo ipſo loco, quem P. Romanus citat, expreſsè habet, ſi Summus Pontifex ſine iuſta cauſa bona vnius Eccleſiæ transferat ad aliam; tranſlationem fore quidem validam, ſed illicitam. & eadem eſt ſententia, vt ille ait, communis Patrum Societatis, nec vſquam P. Laymannus aſſeruit, fore licitam tranſlationem Monaſteriorum florentium & exiſtentium: imò non ſemel docuit contrarium. Illo ergò fol. 52. affirmauit, *eſſe falſum & erroneum; ſi fundatio in pium vſum deſtinata ex fine bono ad meliorem conuertatur, iniuſtitiam eſſe:* quæ propoſitio fuerat aſſerta ab Authore quem ibi confutabat. quia in circumſtantijs, in quibus ſumus, ſi Monaſteria transferantur ad alios Ordines & pios vſus; nullius Ius læditur, ac proinde nulla eſt iniuria, nulla iniuſtitia, qualis certè eſſet, ſi diuiti bona ſua auferrentur, vel Monaſteria exiſtentia & florentia transferrentur.

Num. V.

SVMMARIA.

7. *P. Roman. obijcit PP. Laymanno & Forero, quod falsò citarint textum Concilij.*

8. *Exponitur quid vterque aſſeruerit.* C. c. 40.

9. *Et rectè vtrumque citaſſe verum textũ oſtenditur.*

10. *Defenditur P. Forerus.*

11. *Eiuſdem doctrina vindicatur ab errore.*

12. *Idem defenditur in eo quòd dixerat de Innoc. 3.*

13. *Et circa Clem.* quia contingit.

14. *Et circa mutationes vltimarum voluntatum.*

15. *Adeoq; abſoluitur ab omni errore.*

7. Vna eademque opera impugnat P. Laymannum & P. Forerum, qui affirmarunt, eſſe Canonicam Monaſterij transferendi cauſam, idque conſtare ex Eccleſiæ praxi, & ex Concilio Generali ſub ALEXANDRO Tertio *in Appendice titul. ne Clerici vel Monachi*; ſi Monachi ipſi *non regulariter viuant, & debere tunc per alterius Ordinis inſtitutionem puniri.* Oppugnat autem vtrumque. quia

in illo Concilio Generali non habentur ea verba; ſed ſolùm in Indice Appendicis eiuſdem Concilij, & turpè eſt, relicto contextu, referre Indices & Synopſes, citari potius debuiſſe c. *relatum: ne Clerici, vel Monachi*. in quo referuntur verba ipſius ALEXANDRI, vidiſſent enim iſti Patres Monachos illos, de quibus agebatur, tum demum potuiſſe eijci, & in ipſorum locum alios alterius Ordinis ſubrogari, ſi illud Monaſterium in ſuo Ordine reformari non poſſet.

8. Primum reſpondeo, à P. Laymanno non ita inuidioſè fuiſſe aſſertum, ſi Religioſi malè viuant in Monaſterio; eſſe Canonicam Monaſterij ad alium Ordinem transferendi cauſam, ſed, vt videre licet fol. 491. *Si non ſolùm malè viuant: ſed ſi iterum atque iterum adhibita cura, & admonitione, ad reformationem adduci non potuerint*. Neque aliam fuiſſe ſententiam P. Foreri cenſendum eſt.

9. Deinde dico, hos Patres, cum ea dicerent, non inſpexiſſe ſolùm Indices & Synopſes Conciliorum, ſed diligenter peruolutaſſe ipſum contextum, eumque examinaſſe. Et, quando P. Romanus iubet in medium afferri tomos Conciliorum, & illud ipſum Lateranenſe inſpici à nobis, inſpiciamus alteram partem tertij tomi excuſi Coloniæ typis Antonij Hierati, opera Doctiſſimi viri D. Seuerini Binij. hem! pagina 570. *Appendicis Concilij Lateranenſis part. 27. tit. ne Clericus, vel Monachus c. 7.* ſic habetur: *relatum eſt auribus noſtris, quod Monachi de Neſtrum ſæculariter viuunt, & alios exemplo corrumpunt; inde eſt quod Authoritate Apoſtolica tibi indulgemus, vt eos ad obſeruantiam Monaſticæ regulæ, appellatione remota, compellas; aut ſi tibi reſtiterint temerario auſu; eis abiectis, fratres Ciſtercienſ. Ordinis in præſcriptum Monaſterium inducas: vt labores impiorum iuſti edant, & illi inde rubore ſuffuſi ad ſui Ordinis obſeruantiam conuertantur.* Hic eſt ipſe contextus, P. Romane, Concilij Lateranenſis, ex quo vides, iuſtam eſſe cauſam transferendi Monaſterium ab vno ad alium Ordinem, ſi Monachi refractarij ſint, nec poſſint ad bonam frugem reduci. & erraſti, dum PP. Laymannum & Forerum ſolùm Indices inſpexiſſe dixiſti: hunc ipſum contextum debuiſſes tu nobis obtrudere, & non c. *relatum. ne Clerici vel Monachi*, quod ex illo Concilio deſumptum eſt: adeoque rectè dixit P. Forerus in *Anatomia ſect.* 5. *numer.* 6. in duobus caſibus non eſſe illicitum Monaſteria transferre. primus, ſi nullus amplius Religioſus in Cœnobio ſuperſtes ſit: aut illi ipſi, qui adſunt, ab Inſtituti formula deceſſerint, vitamque vitioſam & moribus corruptam ducant, quæ ſunt ipſius P. Foreri verba illo num. 6. ex his ſi alterutrum eueniat, non eſt dubium fieri poſſe tranſlationes, ſiquidem defectu primi, Collegium eſt *extinctum, & bona vacantia* ſunt. defectu ſecundi, Iure diſſolui poteſt Collegium propter delictum, in quo caſu

Digitized by Google

caſu neque P. Romanus negat, bona eſſe *vacantia* & ſub libera diſpoſitione Summi Pontificis. At, inquit P. Romanus, *Gloſſ.* & *Abbas in c. relatum. ne Cleric. vel Monach.* volunt Monaſterium ſemper reformari debere de hominibus eiuſdem profeſſionis, ſi fieri poteſt. ergò malè P. Forerus aſſerit, in caſu quo Monachi ab inſtituti formula deceſſerint, vitamque vitioſam ducant, Monaſterium poſſe transferri. Reſpondeo, hanc eſſe doctrinam ipſius INNOCENTII Tertij ad Archiepiſcopum Colocenſem, quam ibidem P. Forerus adduxit, quomodo autem concilietur cum *c. relatum*, non vacat diſcutere, cùm non ſimus in hoc caſu, ſed in eo, quo Monaſteria extincta ſunt per omnium mortem.

10. Eodem numero fol. 251. col. 2. in fine, verſu. *ad idem propoſitum.* P. Romanus reſpondet duobus textibus allatis à P. Forero loco citato *Numer. VII. & VIII.* quibus probabat doctrinam modò traditam ex Epiſtola INNOCENTII Tertij ad Archiepiſcopum Colocenſem, vbi ei mandat, *vt ſi alia via & modo ad bonam frugem reducere non poſſit fratres quoſdam S. Abrahæ de Valle Ebrom, eos indè expelleret, & in eorum locum Canonicos Regulares ſecundum Regulam S. Auguſtini ſubrogaret, quemadmodum antea quoque Nigros Monachos ob diſſolutam & perditam illorum vitam inde exturbaſſet.* & ex Epiſtola eiuſdē ad Abbatem S. Vedaſti Ordinis S. Benedicti, qua illi facultas conceditur *Eccleſiam S. Petri in Caſtro, qua prius quorundam Monachorum cura commiſſa erat, ad ampliandum ibidem diuini nominis cultum ſæcularibus Canonicis tradendi, quod in ea minus ſolemniter Domino deſeruiretur.* Reſpondet autem P. Romanus ad primum textum, illam mutationem debuiſſe fieri, ſi aliter non poſſet Monaſterium S. Stephani reformari. Ad ſecundum, eam mutationem fuiſſe conceſſam ad inſtantiam ipſius Abbatis S. Vedaſti, cui graue iam erat illud Monaſterium retinere. Quicquid ſit de his interpretationibus, ex primo textu habemus, illos fratres ob perditam & diſſolutam vitam fuiſſe expulſos, & Monaſterium translatum ad alium Ordinem, quod intendebant PP. Laymannus & Forerus. Ex ſecundo, non obſtante *c. quæ ſemel 19. quæſt. 3.* in quo P. Romanus vbique tantam vim ponit, poſſe transferri à Monachis ſaltem ad ſæculares Clericos.

11. Ibidem fol. 252. col. 1. verſu. 2. *quod etiam* reprehendit P. Forerum, qui loco citato *Num. IX.* dixerat, in fauorabilibus ſub nomine Monachorum & Monaſteriorum comprehendi omnes Regulares, etiam Ieſuitas: ac proinde, ſi Tranſlationes Monaſteriorum fiant ad Collegia Societatis; nil fieri contra Sacros Canones. Hoc verò pernegat P. Romanus dicens, quod quando Clerici Regulares & Monachi, eorumque domicilia inter ſe opponuntur, vt pares contrariæ (quod in hac ipſa Monaſteriorū cauſa contingit) tunc nomen Monachi & Monaſterij ſtat pro ſuo principali, & fauor propriā ſignificationē ſequitur,

non

non Metaphoricam, aut ſecundariam; alias contingeret, vt Sacri Canones eandem rem indiuiduam partibus contrarijs adiudicarent, quod eſt impoſſibile. Opus eſt OEdipo, qui hæc Ænigmata ſoluat; vnde probas P. Romane, in hac cauſa Monaſteriorum Clericos Regulares, & Monachos, & eorum domicilia inter ſe opponi, vt partes contrarias? quos Sacros Canones loqueris? quam rem indiuiduam, quæ adiudicaretur partibus contrarijs? Monaſteria, de quibus agimus *bona vacantia* ſunt, poſſunt Cæſar & Summus Pontifex iuxta Sacros Canones illa aſſignare non ſolum Monachis, non ſolùm Regularibus mendicantibus, non ſolùm Clericis Regularibus & Sæcularibus, ſed etiam cuicunque operi pio pro maiori Dei gloria, & Catholicæ Religionis bono.

12. Ibidem verſu. *alter locus eſt.* pergit agere contra Forerum, qui loco ſupra citato ſect.5. c.6. reſpondens ad Argumentum Patris Romani, quod habetur Verſu: *Sed Contra*, in Aſtro Inextincto fol. 28. col. 1. in quo ex INNOCENTIO III. dicebatur, *generaliter ſtatutum eſſe, vt Ordo Monaſticus, qui in aliquo Monaſterio ſecundum Deum & S. Benedicti regulam dignoſcitur inſtitutus, perpetuis ibidem temporib. inuiolabiliter obſeruetur*; dixerat, vt ſupra ſignificauimus, hoc eſſe intelligendum, ſi duo illa concurrant: nimirum quòd ſit tantus Religioſorum numerus, quantus requiritur ad Collegium conſtituendum, & ijdem Religioſi regulæ congruenter viuant. Contendit ergò P. Romanus, malè à P. Forero illum textum eſſe allegatum; quia dixit eſſe ſermonem Pontifici ſolùm de Monaſterijs, quæ, vt Canones loquuntur, reipſa per Regulares ſunt *ritè conſtituta & ordinata.* P. Forerus nullum allegauit textum; expoſuit ſolùm, in quo caſu Ordo Monaſticus in aliquo Monaſterio *inſtitutus*, ibidem debeat perpetuis temporibus inuiolabiliter obſeruari; caſus autem eſt, vt modo dicebam, ſi perſeueret eſſe Collegium & congruenter ſuæ regulæ viuat; alterutrum ſi deſit, poſſe à Summo Pontifice præſertim, transferri ad alios vſus ob rationem ſupra allatam: quia ſcilicet in primo caſu Monaſteria ſunt bona *vacantia*, in ſecundo Collegium Monachorum Iure poteſt deſtrui propter delictum & incorrigibilitatem. Nec mihi obijciat Pater Romanus, ob culpam paucorum, non debere puniri Ordinem innocentem, cui ſine culpa auferretur Ius ſuum ad illud Monaſterium. quia, vt toties demonſtratum eſt, Ordo in communi nullum habet Ius in Monaſterijs, de quibus agimus.

13. Ibidem fol. 254. col. 1. verſu *eodem modo denique*, quia P. Forerus in Antimelandro parte 2. c. 2. numero 58 tractans verba *Clement. quia contingit, de relig. domib.* aſſeuerat, in ea diſpoſitum eſſe, ex iuſta & neceſſaria cauſa vltimas voluntates mutari, & legata facta pro cauſis Eccleſiaſticis ad alios pios vſus applicari poſſe: ſtomachatur quodammodò, quaſi doctrinam erroneam, & pe-

periculoſam. quia in illa *Clementina* totum contrarium diſponitur. videlicet *quod ea quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, nō ad alium (ſalua quidem Sedis Apoſtolicæ Authoritate) conuerti*, quæ tamen conditio eſt ſolum reſeruatio generalis.

14. P. Forerus non fruſtra addidit, mutari poſſe vltimas voluntates *ex iuſta & neceſſaria cauſa*. quia nemo eſt, qui hoc neget: &, ſi loquamur in caſu noſtro, & in his circumſtantijs, hoc eſt neceſsitatibus Germaniæ, fusè ſupra ſuo loco docuimus, pias fundatorum voluntates non infringi, ſed in melius conuerti. Velim ſanè ſcire, vtrum Pat. Romanus ſerio affirmet legata facta ad certum vſum piū nullo in caſu poſſe ad alium conuerti per Apoſtolicam authoritatem. cum *in Clem. quia contingit, de relig dom.* habeatur expreſsè, ea quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad aliū vſum Sedis Apoſtolicæ auctoritate poſſe transferri. quod P. Forerus contendit: nec veretur tamen P. Romanus aſſerere, ab eo ſacros Canones tranſuerſim inuerti.

15. Atque hi ſunt magni illi errores P. Foreri in Antimelandro & Antanatomia, *quos P. Romano*, vt ait, *viſum eſt breuiter diſcutere, ne pedetentim inualeſcentes cum diſpendio apprehendantur & foueantur.* Iam redit ad vexandum ſolum Pat. Laymannum, ſed non alio fructu, quàm ſoleant canes os exſuctum arrodere, qui dum magno niſu medullas, quæ nullæ ſunt, depaſci volunt, ſanguinem exſugunt ſuum.

Num. VI. VII. VIII. IX.

SVMMARIVM.

16. *Ex malè poſitis principijs P. Rom. falsò negat, Ius diſponendi de Monaſterijs eſſe penes Sum. Pont.*

16. Ex ſemel malè poſitis principijs, quòd mortuis omnibus de Monaſterio deuolutio fiat ad proximos Superiores: &, ſi Ordines ſint exempti & habeant generalem (vt ſunt Ciſtercienſes & Præmonſtratenſes &c.) ad Superiores eiuſdem Ordinis: & quod ſingula Monaſteria ſint patrimonium S. Benedicti: & quod moderni Religioſi habeant *Ius in re* reſpectu Monaſteriorum recuperatorum; infert, falsò à P. Laymāno aſſeri Ordinationem ac Renouationem huiuſmodi Monaſteriorū deuolutam eſſe ad Romanum Pontificem: & Abbates & Religioſos non tanquam ſua, aut ſibi debita: ſed ſolum ſecundum æquitatem debere illa petere à Rom. Pontifice & Imperatore: & Ordines Antiquos non habere Ius dandi Patribus Societatis aliqua bona vel Monaſteria ex recuperatis: eoſdemque immeritò de exhæredatione conqueri. Quocirca nil eſt, cur in his amplius immoremur: nec vt reſpondeamus ad alia, quæ *Num. IX.* potiſsimum addit de obiecto luxu & hæreſi antiquis Ordinibus ab Authore *Placidæ Diſceptationis*: cum alibi reſponſum fuerit: quod eò libentius facio quod pro explorato habeo, quicquid eſt fellis in hac quæſtionis parte, à P. Rom. calamo nō eſſe. veniò ergo ad reliqua.

Digitized by Google

Num. X.

SVMMARIA.

17. *Fruſtra Pat. Rom. excurrit in laudes Virginitatis.*
18. *Affingit P. Laymanno, quod neget alijs Ordinibus notitiam rerum ſpiritualium.*
19. *Multi Religioſi excoluntur exercitijs S. Ignatij.*

17. Quia P. Laymannus fol. 287. dixerat, his temporibus ac rerum circumſtantijs in pluribus Germaniæ prouincijs non reperiri Virgines, quæ Deo ſe deuouentes in Monaſteria ſuſcipi poſsint, ideoque conſultius eſſe, vt Monaſteria ſaltem aliqua ad aliorum ſuſtentationem applicentur, qui perfectionis ac Virginitatis ſeu Caſtitatis ſtatum cum proximorum ſalute coniungere ſtudent, hinc Pat. Romanus occaſionem ſumit latè differendi de virginitatis laudibus, & *de fructu ſexageſimo & centeſimo*: quæ omnia cum cauſam nihil promoueant, nolens prætereo. In hoc laborare oportuiſſet; Monaſteria hæc Virginum non eſſe *bona Vacantia*, non pertinere ad liberam Pontificis Maximi diſpoſitionem, ſi transferantur in his circumſtantijs ad alium pium vſum, non ſeruari vllo modo pias fundationes, & vltimas voluntates: quod hactenus P. Romanus non fecit, nec porrò facturus videtur.

18. Eodem nu. fol. 260. col. 1. § *prætereà*, neſcio vndè ſumit occaſionem, reprehendendi Pat. Laymannum, quod fol. 209. reſpondens illi Anonymo, dixerat, Monachos antiquorum Ordinum excoli ſolere meditationibus & exercitijs Spiritualibus S. P. Ignatij. reprehendit autem, quaſi voluerit, ſpiritualium meditationum, & exercitiorũ nullum vſum fuiſſe in Germania ante tempora S. Ignatij, & antiquos Ordines nullum habere peritum magiſtrum Spiritualium exercitiorum, adeoque S. ipſum Ignatium in mõte Serrato exercitijs pietatis deditũ ſub imperito magiſtro ſpiritus renouationi vacaſſe, imò ne inter ipſos quidem Carthuſianos ſolitudini apprimè additos, peritum eiuſmodi magiſtrum inueniri.

19. Pudet me ad has calũnias reſpondere, ipſos Antiquos Ordines eorumq; Religioſos tam multos, qui hodieque ſubinde ſe recipiunt ad Collegia Societatis, vt S. Ignat. meditationibus exerceantur, per aliquot dies, Iudices ac teſtes volo, quid Societatis Patres de antiquis Ordinibus ſentiant & loquãtur, appello ipſum P. Romanũ, quem, poſtquã deferbuit impetus ille neſcio vnde conceptus in Societatem, longè aliter, certè ſcio, & ſentire, & loqui.

Num. XI.

SVMMARIA.

20. *Obijcit P. Rom. Monaſteria transferri cum ſcandalo.*
21. *Probatur contrarium.*

20. Author Anonymus, quem P. Laymannus

mannus *Iuſta Defenſione* refutabat, coacervatis mendacijs nitebatur deterrere Cæſarem, ne vllum ex Monaſterijs recuperatis aliò träsferret, ſed omnia ſuis Ordinibus reſtitueret. Præter cætera illud erat palmarium, ſi antiquis Ordinibus Cœnobia adimerentur, *non poſſe alijs dari ſine magno Catholicorum & Acatholicorum ſcandalo.* Pat. ergò Laymannus fol. 448. vt illum Auctorem redargueret, talem aliquorum Monaſteriorum translationem non ſolum abſque magno Catholicorum & Acatholicorum ſcandalo fieri non poſſe negabat: ſed etiam aiebat, eſſe certum, Catholicos omnes, qui fidem Orthodoxam in Germania reſtitui augerique cupiunt, hanc Sanctiſſ. D. Noſtri Vrbani VIII. & Auguſtiſsimi Imperatoris intentionem magnopere approbare & cõmendare. hoc ergò negat P. Romanus: aitque, *Ordines antiquos, plures Cardinales, ac Principes, Theologos ac Iuriſperitos talem translationem non approbare, nec commendare, quod videant, illam eſſe Concordatis & Sacris Canonibus non conformem, Iuriſdictionis Ordinariorum ablatiuam, omnium fundationum luxatiuam, ſcandaloſam, & Chriſtianæ Charitatis inter Ordines Religioſos offenſiuam.*

21. Tam vero ſimile eſt, quod Pat. Romanus ait, Monaſteriorum tranſlationem à tam multis non probari, quàm ſunt vera ea omnia, propter quæ non probari affirmat. Cuinam vnquam ille perſuadebit, Ordines Religioſos, Cardinales, Principes, Theologos, Iuriſperitos cenſere, à Summo Pontifice ab Auguſtiſsimo Cæſare, & ſuſceptam eſſe & executioni mandatam *Monaſteriorum tranſlationem Concordatis & Sacris Canonibus non conformem, Iuriſdictionis Ordinariorum ablatiuam, omnium fundationum luxatiuam, ſcandaloſam, Chriſtianæ Charitatis inter Ordines Religioſos offenſiuam?* Turpe eſt velle alios ſuo modulo metiri, impune tulerit P. Romanus, quod talia Summis Reipublicæ Chriſtianæ capitibus obijcere non dubitauerit, at pudeat ſaltem illum, tõtæ Authoritatis viros, quantæ ſunt, quibus, ait Monaſteriorum translationes improbari, ſui criminis ſocios aſſciſcere.

Num. XII.

SVMMARIA.

22. *Inſimulat Pat. Laymannum, quaſi Sanctis Monachis gloriam conuerſæ ad fidem Germaniæ inuiderit.*
23. *Alius eſt ſenſus P. Laymanni.*

22. Illius Anonymi alterum hoc erat mendacium, Monachos fuiſſe primos, qui prouinciam Germaniæ ampliſsimam ad fidem adduxerint. & quia P. Laymannus ad eiuſdem comprimendam temeritatem, oſtenderat fol. 449. diu ante exordium Monachorum, complures in Germania fuiſſe fundatas Eccleſias, hinc Pat. Romanus ait, Pat. Laymannum *in Sanctos Monachos & Apoſtolos ſuos & Germaniæ inardeſcere, vt ipſorum iam antiquatæ gloria detrahat, & merita laudis detractione*

Digitized by Google

audeat etiam Diuos laceſſere, & cur tandem? quia plurimę Germanię prouinciæ à Monachis, ac præcipuè à S. Bonifacio, qui dictus eſt Germanorum Apoſtolus, ad Chriſti fidem traductæ ſint.

23. Potuiſſet P. Romanus hiſce exaggerationibus ſuperſedere. P. Lymann. eximiæ vir Religionis fuit: Diuos ac nominatim tutelares Germanię inprimis veneratus eſt: nec erat ignarus, quantum Germanica natio S. Bonifacio Apoſtolo ſuo debeat, Wilibaldo, Wunibaldo, Wilibrordo, Ruperto, Virgilio, Chiliano, Remberto, Anſgario, Adelberto, Gallo & cæteris, qui Ethnicę ſuperſtitionis fibras omnes penitus extirparunt. fuit tamen illi, vt dicebam, retundenda audacia illius Authoris, qui nil penſi, nil moderati habebat, dummodo ſecum in errores quam plurimos poſſet pertrahere. Veritatem hiſtoricam aperire, non eſt *Diuos laceſſere*, non eſt *in Sanctos inardeſcere*, & *illorum gloriæ detrahere*, qui nullam aliam veram gloriam eſſe putant, quam quæ ſit cum veritate coniuncta.

Num. XIII.

SVMMARIA.

24. *Obijcit P. Rom. P. Laymanno quod præteriuit occaſionem defendendi Monachos.*

25. *Non prætermiſit hanc defenſionem ſuo loco.*

24. Digreditur hic Pat. Romanus nonnihil è via, mox rediturus: aitque, P. Laymannum habuiſſe non ſolum egregiam occaſionem, ſed etiam cauſas defendendi Abbates & Ordines antiquos, præcipuè, S. Benedicti, cótra eos, qui ſcripſerant *Controuerſiam* &c. & *Animaduerſiones in cauſa bonorum Eccleſiaſticorum*, quorum poſterior non abſque grauiſsima calumnia perſtringit ac ſuſpectum reddere molitur Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Epiſcopum Viennenſem & Abbatem Cremiſanenſem: at contrà, P. Laymannum potius ſe participem feciſſe calumniarum, dum illos Authores laudauit.

25. Non dubito, quin P. Laymannus & vniuerſa Societas habuerint & habeant multiplices cauſas pugnandi pro honore Sanctiſsimi Ordinis Benedictinorum de ſe optimè meriti, ac nominatim Reuerendiſſ. atque Illuſtriſſ. Epiſcopi Viennenſis. Cæterum occaſio defuit, & P. Laymannus, vt oſtendimus in Theorica Quæſtionis quartæ, ſatis eiuſdem Ordinis honori conſuluit, & exiſtimationi memorati Reuerendiſſ. Epiſcopi, dum ſilentio præterijt, quæ quantumuis fuiſſent confutata, nonnullam tamen notam apud rerum ignaros iiſdem inuſsiſſent. vide quæ ibidem dixi num. 120.

Num. XIV. *vſq. ad* XXIII.

SVMMARIA.

26. *Litteris priuatis vltro citroq; miſsis à P. Lamormaino & quibuſdam Abbatibus, conatur mendacij arguere eundem P. Lamormainum.*

27. *Societas nunquam ſenſit ſibi eſſe Ius aliquod*

aliquod in Monaſteria ob ceſſionem ſibi factam. C.c.41.

28. *Duplex crimen objicitur P. Lamormain. quod obreptitias litteras impetrarit Societati, quod quadam Virginum Monaſteria iniuſtè occuparit.*

29. *1. P. Lamorm. dignus eſt fide.*

30. *2. Duo Abbates non negant diſertè, ceſſionem fuiſſe factam, ſed ſe non meminiſſe facta.*

31. *Ab. Cremiſanenſis nunquam id negauit.*

32. *Nec Cæſarienſis, niſi poſtquam vexari à ſuis cœpit.*

33. *Rationes cur P. Lamorm. fingere non potuerit ceſſionem.*

34. *Alia ratio ex libello ſupplici porrecto ſecreto Conſilio.*

35. *Objicit Societati obreptitionem litterarum Cæſar.*

36. *Non eſt obreptio niſi circa cauſam finalem.*

37. *Quæ non accidit in libello à PP. Cæſari oblato.*

26. Redit, vt modò dicebam, ad inſtitutum: ac fusè oſtendere conatur, nonnullis literis priuatis vltrò citroq; miſsis, (quas tamen producere, nemo eſt qui inurbanum eſſe non putet) & publico Inſtrumento, Ordines Antiquos, ac nominatim DD. Præſules, Abbatem Cæſarienſem, & Archiabbatem Haſſefeldenſem à P. Laymanno iuſtè non defendi, quin potius grauiter offendi. Accuſationis ſumma eſt, quòd aſſeruerit, à prædictis DD. Abbatibus fuiſſe factam aliquorum Monaſteriorũ ceſsionem nomine ſuorum Ordinum Societati in perſona P. Lamormaini S. Maieſtatis Confeſſarij, quod contendit, eſſe falſum teſtimonio productarum literarum & publici Inſtrumenti.

27. Fruſtra laborauit P. Rom. nunquam Societas arrogauit ſibi vllum Ius in Monaſteria antiquorum Ordinum *ob aliquam ceſsionem* ſibi factam, cùm optimè norit, DD. illos Commiſſarios, licet cum pleniſsima poteſtate ad Aulam Cæſaream pro recuperatione Monaſteriorum Ordinis deſtinati fuiſſent, nullam tamen ceſsionem aut renunciationem facere potuiſſe: ſicut nec P. Lamormaini neque ſuo, neque Societatis nomine factam acceptare, cũ omnis huiuſmodi pactio, ceſsio & renunciatio ipſo Iure ſit irrita. Nec Pat. Laymannus vſquam dixit, *vllam ceſsionem fuiſſe factam.* Solum (quod ante ipſum vnus ex duobus illis Theologis dixerat) aſſeruit, ab illis Prælatis *vltroneam* aliquam *oblationem* aut promiſſionem fuiſſe factam, & iam re ipſa nõnullos pariter Prælatos conſentire, & quædam domicilia offerre. Quocirca omninò ſuperſedere potuit Pat. Rom. tam multis: nec debuit ſibi fingere hoſtem, quem refutaret. nec ſanè abhorret à benignitate illorum Prælatorum, quod Societati aliquot obſcuriora Monaſteria obtulerint, cum ijdem Ordines, vt alibi etiam dicere me memini, de ſuorum Monaſteriorum reditibus non exiguam partem detraxerint, vt Societatis Collegia fundarent.

28. Sed, niſi fallor, P. Romani conſilium hoc loco eſt, non tam erroris arguere P. Laymannum, aſſerentem ab illis Prælatis vltroneam Monaſteriorum oblationem factam fuiſſe: quàm per

Pat. Laymanni latus petere P. Lamormainum, ac Societatem vniuerſam: illum, quod per expreſsionem falſi, ſubreptitiè impetrauerit à Cæſare literas ad DD. Commiſſarios, & Duces Fridlandum & Tyllium: hanc, quòd hæc ipſa Virginum Monaſteria ſubreptitiè obtenta, iniuſtè occupauerit. Ego verò confido, planè demonſtrari poſſe, id, quod dicitur de Pat. Lamormaino eſſe incredibile: quod autem de Societate, falſiſsimum.

29. Quòd ad primum attinet, inprimis nemo prudens iudicabit, minus fidei tribuendum eſſe Pat. Lamormaino, ex eo, quia nullius Iuriſiurandi religione interpoſita affirmet: quàm Reuerendiſſ. D. Abbati Cæſarienſi *ſine omni ſcientia & conſcientia ſcrupulo & Religioſa mente* neganti: aut Reuerendiſſ. D. ArchiAbbati Haſſefeldenſi per publicum inſtrumentum, non quidem neganti, ſed, vt mox oſtendam, præſeferenti ſpeciem duntaxat negantis, à tribus illis Reuerendiſſ. Prælatis oblata fuiſſe Cæſari Monialium ſuorum Ordinum Monaſteria pro Societatis Collegijs. Nam præterquam quod Pat. Lamormainus tantæ Religionis, ac probitatis vir eſt, & in Imperio tantæ exiſtimationis; vt eius teſtimonium, etiam iniurati, omni exceptione maius reputandum ſit: ſi in iudicium vocatus à Superioribus legitimè interrogaretur; nullus dubito, quin etiam ipſe ſanctè & *ſine omni conſcientiæ ſcrupulo* confirmaturus foret ea, quæ toties paſſim, & ſermone, & literis deprædicauit.

30. Deinde diligenter animaduertenda eſt cautio, qua duo Reuerendiſſ. Præſules eneruare conantur Pat. Lamormaini aſſertionem. Reuerendiſſ. Cæſarienſis ſcribit, *ſe nullius ceſſionis à ſe factæ meminiſſe.* Quod ſi Pat. Lamormainus affirmet fuiſſe factam, *probet*, inquit, *poteſtates noſtrarum Commiſſionum productas fuiſſe, lectas, approbatas proferat, ceſsionis aſſertæ ſaltem vnicam literam, quæ res, factæ ceſsionis ſpeciem præſeferre potuerit.* Reuerendiſſ. verò Archiabbas Haſſefeldenſis reſpondens ad quintum & ſeptimum articulum ſibi propoſitum, illud duntaxat dicit, *in æternum à nemine veraciter doceri, vel demonſtrari poſſe: in æternum demonſtratum iri nunquam, quod ipſe Societati Ieſu omnia Monialium & omnia obſcuriora Virorum Monaſteria temerariè & præſumptuosè conceſſerit.* At, ò boni, non erat his opus: ſine ambagibus negandum fuit, quod Pat. Lamormainus aſſerebat: non poſtulanda publica documenta *Commiſsionum veſtrarum productarum, lectarum, approbatarum*: non inſtrumenta declaratoria factæ ceſsionis: non fuit addendum, *hoc in æternum à nemine doceri, aut demonſtrari poſſe: in æternum demonſtratum iri nunquam.* Enimverò arcem inſediſtis inexpugnabilem, & eiuſmodi documentorum poſtulatione bonum Pat. Lamormainum penitus exarmaſtis, qui (vt eſt vir candidi ingenij) ingenuè fatetur, in familiari tantum ſermone incidiſſe mentionem de conquirendis medijs ad aliqua Societatis Collegia fundanda pro Catholicæ Religionis bono: ſibique à vobis amicè illam

illam vtriuſque Ordinis egregiam erga Societatem & Cæſarem, voluntatem ſignificatam fuiſſe. Profectò, ſi nihil habendum pro vero, niſi quod publicis tabulis comprobetur, non ſolùm noſtræ, ſed ne humanæ quidem Societati ſatis conſultum erit.

31. Tertiò, ex tribus illis Reuerendiſſ. DD. Prælatis, quorum vnanimi conſenſu illam oblationem factam fuiſſe Pat. Lamormainus ſcripſit, Reuerendiſſ. tunc Abbas Cremiſanienſis, nunc etiam Illuſtriſſ. Epiſcopus Viennenſis, vir ſummæ probitatis, atque auctoritatis, ne vllum quidem verbum vnquam aut dixit, aut ſcripſit, quo negaret, id, quod Pat. Lamormainus aſſeruit, cùm tamen minimè credibile ſit, eum ab alijs duobus DD. Præſulibus poſtquam vexari cęperunt à ſui aliorumque Ordinum Religioſis ob ceſsionem factam, non ſemel rogatum ac ſollicitatum non fuiſſe, vt quid ea in re contigerat, ſuo teſtimonio comprobaret. Pat. Romanus tamen, ne nihil expiſcatus videatur, profert literas quaſdam ſcriptas à Patre neſcio quo Schmuter Cæſarienſi, ad Reuerendiſſ. D. Abbatem ſuum, illum ipſum videlicet Abbatem Cæſarienſem, qui eo tempore maximè laborabat inuidia conceſſorum Monaſteriorum pro Societatis Collegijs: quibus literis Schmuter iſte teſtatur, à Reuerendiſſ. D. Abbate Cremiſanienſi cuidam Sæculari iamdudum referenti de ea ceſsione fuiſſe reſpóſum, *ſe nullius ceſsionis factæ conſcium eſſe.* Vult ergò Pat. Romanus (qui Pat. Lamormaino viro grauiſsimo, Cæſaris Confeſſario, iterum ac ſæpius ſcribenti ac confirmanti, *Reuerendiſſ. Cremiſanienſem optimè memorem eſſe ceſsionis factæ, & ingenuè eius rei ſemper fidem facturum, prout & ſæpius fecit*, omnem abrogat fidem), vult inquam P. Romanus, credere nos neſcio cui P. Schmuter Monacho Cæſarienſi, ſubdito illius, cuius fama & honor periclitabatur ob ceſſionem factam, & cui ipſe conſultum maximè cupiebat. Et, ſi credere abnuamus, prouocat ad Lectorem, quem tamen ſperamus multò nobis æquiorem fore: ſi ſecum ipſe perpenderit, quid Cauſæ ſit, cur Reuerendiſſ. Cremiſanienſis profeſsione Monachus, dignitate Abbas, duobus Monachis, alteri Ciſtercienſis Abbati, alteri ſui Ord. Archiabbati, ne vna quidem literula (veroſimiliter ſæpius poſtulatus) vnquam patrocinatus fuerit.

32. Quartò res eſt digna conſideratione, cur Reuerendiſſ. Abbas Cæſarienſis, qui non potuit ignorare, cæpiſſe P. Lamormainum inde vſque ab initio Maij ann. 1629. paſsim celebrare & ſermone & literis beneficium Ordinis S. Benedicti & Ciſtercienſis concedentium Cæſari, pro Societat. Collegijs Monialium Monaſteria, ſemper ſiluerit, nec ceſsionis à ſe, vt ait, minimè factæ, teſtimonia conquiſierit ante, quàm *per diuerſorum Ord. Religioſos*, quemadmodum ipſe ſcribit, ad Pat. Lamormainum, *traduci miſerabiliter cœperit*, ſenſeritque *agi de fama & honore ſuo*, cui, vt quoquo modo proſpiceret, properè ad Reuerendiſſ. D. Archiabbatem Haſſefeldenſem, qui in eadem verſabatur naui, & iiſdem fluctibus iactabatur,

Digitized by Google

ctabatur, literas dedit, rogans & obſecrans, vt *in ſui defenſionem teſtimonium dare ne grauaretur*, pari beneficio remunerandus: imò verò iam tum remuneratus: *quoniam illis ipſis literis eidem Reuerendiſſ. Haſſefeldenſi viciſſim innocentiæ teſtimonium luculentiſſimum dabat.*

33. Quintò Ecquis erit tam bardus, cui P. Romanus perſuadeat, Pat. Lamormainum fuiſſe, vel tam profligatæ conſcientiæ, vel audaciæ tam proiectæ, vel mentis tam emotæ; vt mendaciter toto Imperio ſpargere, ac prædicare voluerit Sacrorum illorum Ordinum beneficium: nec ſtuduerit potius tegere, atque cum vno Cæſare communicare, ſi falſum erat: cum qui malè agit, lucem oderit, nec veniat ad lucem, vt non arguantur opera & fraudes eius? Quis credat, tam ſtolidum (ne dicam ſtultum) tam parum ſuæ exiſtimationis tenacem, aut rerũ alienarũ cupidum fuiſſe P. Lamormainum, vt non ſolùm verbo tenus, ſed libello etiam ſupplici, in eum finem ſcripto, vt in Conſilio Cæſareo recitari poſſet; expoſuerit ea, quæ latere maximè intererat? An neſciebat Cæſareus Confeſſarius nihil in hiſce rebus ſine ſuffragio Conſilij decerni à Cæſare? an ignorabat, Reuerendiſſ. Cremiſanienſem, quem in ſupplici libello nominabat, in Conſilio adfuturum? an illum muneribus corruperat, vt ſe opponere nollet? an putauit, eundem integerrimum ac grauiſsimum Præſulem ita ſua ſponte corruptum; vt in Societatis noſtræ gratiam, in eo Conſilio ſui ac Ciſtercienſis Ordinis cauſam deſerturus eſſet? Quid à tanti viri grauitate, religione, ſapientia, alienum magis?

34. Sextò, libellus ſupplex à Pat. Lamormaino Cæſari porrectus delatus fuit ad Secretum Conſilium: coram Cæſare, præſente ac conſcio Reuerendiſſ. Abbate Cremiſanienſi lectus, probatus, & cum plauſu exceptus fuit. & deinceps ab eodem Cæſare Inſtructio ad DD. Commiſſarios, & ad duos Duces Fridlandum & Tyllium literæ datæ ſunt, quibus iubebantur illi, Eccleſias & *Monaſteria Virginum ab Acatholicis recuperata nemini tradere: ſed eadem pro vlteriori diſpoſitione ad ſecuras manus ſequeſtrari curare*: hi verò *ſignificare Sacræ Cæſareæ Maieſtati quamprimum, quænam Monialium Monaſteria ad Ordinem S. Benedicti & Ciſtercienſem ſpectantia ad Collegia PP. Societatis Ieſu accipienda & applicanda adeſſent & reperiri poſſent.* Hic ergò quæro à P. Romano. Reuerendiſſ. Abbas Cremiſanienſis, qui à Pat. Lamormaino in ſupplici libello nominabatur, quid egit dum in Cæſareo Conſilio ea de re deliberabatur? Aſſenſuſne eſt? ergò agnoſcebat, à P. Lamormaino allata, eſſe vera, vel ſi norat eſſe falſa, aſſentiendo ſuum ac Ciſtercienſem Ordinem turpiſsimè prodidit. Tacuit? & eodem res recidit. perinde enim eſt ſilentio, ac verbis cauſam communem perdere. Reluctatus eſt, & negauit vllam oblationem Monaſteriorum à ſe & ab illis duobus Reuerendiſſ. Prælatis fuiſſe factam? ergò vel Cæſari, Cæſareoque Conſilio (ſi crediderunt non eſſe factam) oblatio vltronea narrata à P. Lamormaino non fuit cauſa motiua, applicandi Monaſteria Monialium Societati: vel ſi dubitarũt an facta fuerit,

fuerit, eo quod negaretur à Reuerendiſs. Cremiſanienſi; imprudentiſſimè decretum eſt (re melius prius non diſcuſſa) de attribuendis illarum Monialium Monaſterijs Societatis Collegijs.

35. Quod pertinet ad ſecundum, P. Rom. fol. 276. vt oſtendat à Societate illa Monaſteria ſubreptitiè impetrata, iniuſtè occupata fuiſſe; in hanc fermè ſententiam argumentatur. In omni interpretatione, niſi preces veritate nitantur, gratia & conceſſio obreptitia, aut ſubreptitia eſt, & nullius valoris. atqui preces P. Lamormaini porrectæ Imperatori, non nituntur veritate, vtpote narrantes falsò, oblationem vltraneam factam ab illis tribus Prælatis. ergò gratia & applicatio Monaſteriorum Monialiũ facta Collegijs Societatis ſubreptitia eſt ac nulla. Maiorem probat eodem folio varijs textibus. minorem ipſius P. Laymanni teſtimonio, aſſerentis, ex illa oblatione vltronea expoſita in precibus à P. Lamormaino *acceptam fuiſſe occaſionem* ſcribendi ad Commiſſarios, & Duces, & Monaſteria Monialium pro Collegijs Patrum ſequeſtrandi & applicandi. oblatio autem, (vt oſtenſum, inquit, eſt) falſa fuit.

36. Ad maiorem propoſitionem huius argumenti reſpondeo cum diſtinctione. vel enim, quæ falsò narrata ſunt in precibus, ſunt Cauſa Finalis & motiua, ob quam Princeps annuit poſtulatis, & qua non exiſtente, non annuerer: vel non ſunt Cauſa Finalis & motiua, ſed ſolùm impulſiua, vel occaſio concedendi gratiam. ſi preces falsò narratæ ſunt Cauſa Finalis & Motiua; concedo maiorem, & gratiã eſſe ſubreptitiam: ſin autem non ſunt Cauſa Finalis & Motiua, nego, ex cõmuni Doctorum ſententia apud Couarruuiam 1. Var. c. 20. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 21. Sect. 2.

37. Ad minorem, nego vltroneam oblationem narratam in precibus à P. Lamormaino fuiſſe falſam, vt colligi poteſt ex antedictis: nego etiam, fuiſſe Cauſam Finalem & motiuam, ob quàm Cæſar ad ſuos Commiſſarios & Duces ſcripſerit: & miror, à P. Rom. adduci teſtimonium P. Laym. cum hic dicat expreſsè, ex vltronea illa oblatione Monaſteriorum *acceptam fuiſſe* NB. *occaſionem ſcribendi ad Commiſſarios & Duces.* Adde, quòd, licet illa vltronea oblatio fuiſſet (quæ tamen non fuit) Cæſari Cauſa Finalis & motiua ſcribendi ad ſuos Duces & Commiſſarios; non poteſt P. Rom. probare, fuiſſe Cauſam *applicandi* Monialiũ Monaſteria Collegijs Societatis: quãuis ille hoc dicere non dubitet. nam Cõmiſſarij iubebantur potius *nemini tradere ea Monaſteria, ſed ſolùm curare vt ad ſecuras manus ſequeſtrarentur pro vlteriore diſpoſitione.* Ducibus autem Fridlando & Tyllio mandabatur duntaxat, *vt quamprimum ſignificarent, quænam Virginum Eccleſiæ, vel Monaſteria ad Ordinem S. Benedicti & Ciſtercienſes ſpectantia, & hactenus ab Acatholicis detenta, ad Collegia Patrum Societatis Ieſu accipienda & applicanda adeſſent & reperiri poſſent*, vt patet ex ipſarum literarum exemplis, ab ipſo P. Romano adductis. quocirca vi illarum literarum nulla facta

Digitized by Google

fuit Societati applicatio Monaſteriorum: & P. Laymannus ſolùm aſſeruit, ex ea oblatione trium illorum oblatorum *acceptam fuiſſe occaſionem ſcribendi* ad Commiſſarios ſæpè memoratos & Duces, vt viderent, *quæ Monaſteria adeſſent & reperiri poſſent accipienda & applicanda Societati.* & P. Romanus mala omninò fide addit de ſuo, ex illa oblatione vltronea expoſita à P. Lamormaino acceptam fuiſſe occaſionem ſcribendi, & Monialium *Monaſteria applicandi.* Nil tale fatetur P. Laymannus, & ad ſummum concedit, ex illa vltronea oblatione acceptam fuiſſe occaſionem ſcribendi. Nec eſt verum ex eiuſmodi oblatione Cæſarem motum fuiſſe, vt applicaret Societati vlla Monaſteria. quod inde patet, quia priuſquam vllum ex his Monaſterijs Societatis Collegijs applicaretur, Cæſar certior factus fuit ſcripto à P. Lamormaino, Reuerendiſſ. Abbatem Cæſarienſem ſibi ſignificaſſe per litteras, *quod neque recordaretur vllius eorum Monaſteriorum oblationis aut conceſſionis: neque ad hoc habuerit poteſtatem.* & quod caput eſt, licet anno 630. Ratisbonæ fortiſſimè egerint apud Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum Secundum Deputati ab Ordinibus Sancti Benedicti, Ciſtercienſi, ac Præmonſtratenſi; ne ſua Sacra Cæſarea Maieſtas vllum (Monialium quidem) Monaſterium ad alios vſus transferret, exploratiſſimum tamen eſt, Cæſarem perſtitiſſe in ſententia, & ex Romani Pontificis conceſſione quædam Monaſteria attribuiſſe pro Societatis Collegijs & Clericorum Seminarijs fundandis, prout etiam ipſe Summus Pontifex hoc rerum Germanicarum ſtatu expedire iudicabat, vt in Examine primæ quæſtionis etiam vidimus. Quî ergò (dicet Pater Romanus) potuit Cæſar Monaſteria antiquorum Ordinum ipſis non conſentientibus alijs attribuere? Ad hanc quæſtionem de poteſtate Cæſaris nihil habeo noui, quod reſpondeam. cùm enim tam ſæpè oſtenſum ſit, in his Monaſterijs *nullum Ius habere antiquos Ordines*, ſed eſſe bona *Vacantia*; non eſt cur eorundem Ordinum conſenſus requiratur. Expectaſſem ergò, vt Pater Romanus quæreret, quæ cauſa mouerit Cæſarem, vt eadem Monaſteria Societatis Collegijs & Clericorum Seminarijs fundandis tranſcriberet. Si hoc Pater Romanus nunc quærat; relegat, quæ tam fusè ſupra diſputata ſunt quæſtione ſecunda: nec dubitare poterit, quin Auguſtiſſimus Imperator & plurimas & iuſtiſſimas cauſas habuerit.

Num.

Num. XXIII.

SVMMARIVM.

38. *Inſimulatur P. Laym. quaſi obiectet Monachis pronitatem ad defectionem.*

38. Primus ex illis duobus Theologis, qui ſeptem toties memoratas Rationes confutauerant, capiens ex præteritis coniecturam de futuris, magnoperè verebatur, ne, ſi Monachis reſtituerentur Monaſteria in Ditionibus Principum Hæreticorum ſita, accedentibus ſcandalis, turſus deuentura eſſent ad Hæreticorum manus. Hunc ergò metum dicebat P. Laym. non eſſe vanum, ſi Religioſi in medio nationis prauæ, hoc eſt inter medios Hæreticos, habitent. ſiquidem ſæpè ad Principis curiam venire debeant, vbi blanditiæ & allectamenta nõ deſunt, nec qui ſoleant minas intentare, vexare intolerabilibus exactionibus, nihil denique prætermittere, quo Religioſos euertere, eorundemq; bona occupare poſſint. Pater Rom. ergò cõqueritur, quòd hiſce verbis P. Laym. antiquis Ordinibus non ſine grauiſſima iniuria *impingat pronitatem ad Apoſtaſiam, hæreſin, & omnis generis vitia.* qua conqueſtione meo iudicio nulla poteſt eſſe iniuſtior. An nõ nouimus Hæreticorum artes, dolos, odium implacabile contra Catholicos? an ignoramus, quanta ſit humanæ conditionis imbecillitas, quàm rarum ſit diu inter malos eſſe probum? cur ergò P. Rom. iuſtum metum illius Theologi ac P. Laym. iniurioſum putat eſſe; & exprobrationem *pronitatis ad Apoſtaſiã, & hæreſin & omnis generis flagitia?*

Num. XXIV. vſque ad XXVIII.

SVMMARIVM.

39. *Religioſi non exempti extra Diœceſin ad longum tempus mittendi indigent licentia Epiſcopi.*

39. Poſſem, quæ hiſce numeris habentur, ſicut & reliqua ad finem vſq; quæſtionis, facilè diſſimulare, cum tã parum ad rem pertineant. verum ne P. Rom. oſtentationis doctrinæ & eruditionis fructum ſine aliqua moleſtia percipiat; paucis ſaltem indicandum erit, quàm immerito erroris P. Laym. conetur arguere. Nu. ergò 24. & 25. Ait, eſſe nouam, & inauditam doctrinam, quòd P. Laym. aſſeruerat, *ſi Religioſi non exempti extra Diœceſin mittendi ſint, longo tempore ibi permanſuri ad docendam Grammaticam, Poëſin, Rhetoricam; Epiſcopi Diœceſani conſenſu opus fore, quem etiam is negare poterit.* Tantum abeſt, vt hæc doctrina noua ſit & inaudita; vt Ioannes Andreas ex communi ſententia in *c. cum ſingula de prabend. in 6.* Ioannes Monachus ibidem, Dominicus col. 2. Francus n. 3. & 4. hanc ipſam doctrinam ſuo ſuffragio confirmet. P. autem Rom. ſuæ ſententiæ Authorem præter Lelium, Leckium & vnum aut alterum Summiſtam nullũ habeat. ratio certè, quæ pro P. Laymanno ſtat, irrefragabilis eſt. Monachi non exempti licet in multis immediatè ſubiecti ſint eius Abbatibus, tamen penitus extrahi à Iuriſdictione Ordinariorũ, quibus ſubiecti ſunt (quod fieret per miſſionẽ extra Diœceſin ad tempus diuturnum) ſine eo-

Digitized by Google

rundem Epiſcoporum iniuria non poſſunt. Non vacat ſingillatim examinare, quid P. Rom. reſpondeat: quæ Argumenta pro ſe adducat, quippe cum, vt dicebam, parum hæc pertineant ad præcipuam Controuerſiam de Monaſteriorum translatione. & licet daremus illi, probabilem eſſe opinionem, Monachum etiam diu extra Diœceſin permanere poſſe inuito Epiſcopo; non tamen poteſt negari, quin contraria ſentẽtia probabilis etiam ſit ob Doctorum Authoritatem, & rationum momenta. vnde infertur, à P. Laymanno non fuiſſe iniuſtè defenſos DD. Abbates, quibus nihil detraxit Iuris.

Num. XXVIII. vſque ad XXXIX.

S V M M A R I A.

40. *Reg. Canonica, quod Religioſi habentes Generalem, non ſint ſubiecti Epiſcopo, & contra.*
41. *Impugnatur 1. à P. Romano.*
42. *Oppugnatur 2.*
43. *3. Oppugnatur.*
44. *Reſpond. ad* 1. C. c. 42.
45. *Reſpond. ad* 2. C. c. 42.
46. *Reſp. ad* 3. C. c. 42.
47. *Obijcitur Abbatis auctoritas. c.* quoniam. *& S. Auguſtini exemplũ.*
48. *Abb. doctrina reijcitur S. Aug. exemplum falſum.* C. c. 42.

40. P. Laymanno hæc eſt Canonica & certiſſima Regula, *quod Religioſi, qui Generalem Ordinis ſui habent, exempti, atque Epiſcopis ſubiecti non ſint: Viceuerſa, quicunq. Epiſcopis ſubiecti ſunt, Generalem habere non poſſunt: propterea quod inauditũ ſit in Eccleſia, & Sacris Canonibus aduerſetur, vt Religioſi duos ſibi Præpoſitos ſeu Superiores habeant; quorum vnus alteri ſubordinatus non ſit.* Hanc ergò Regulam euertere conatur P. Rom. ijs, quæ fuſiſſimè diſputat hoc loco. tria potiſſima ſunt Argumenta.

41. Primum *Num. XXXI. ex c. finali. de ſtatu Monachorum,* ex quo conſtat, Præſides Capituli ſingulis triennijs celebrandi in omnibus Regnis aut Prouincijs, iuxta *Capit. in ſingulis eod.* & Viſitatores Electos, habuiſſe Iuriſdictionem in omnes Abbates & Monachos inferiores, qui tamen etiam erãt ſubiecti Epiſcopis, vtpote Monaſteriorum non exemptorum Abbates & Monachi. Cum ergò Epiſcopi & illi Præſides ac Viſitatores, qui imperabãt Ordini non eſſent ſubordinati; manifeſtè infertur falſitas illius Regulæ: cũ in Ordinibus nõ exemptis habeamus duos Superiores non ſibi ſubordinatos. & quorũ alter habet Iuriſdictionem Generalem, & appellari poſſit ac debeat caput Generale, licet non ſit vnica tantum perſona.

42. Secundum Argumentum *num. XXIX.* ex doctrina Abbatis in *c. ne religioſi de regular.* vbi docet, Abbatem ſeu Priorem Generalem habere poteſtatem excommunicandi tam Abbates quàm inferiores totius Ordinis Religioſorum, qui olim vniuerunt ſe faciendo vnum caput ſuper totam Religionem; vt videre eſt in Ciſtercienſibus & Carthuſienſibus.

43. Tertium ex Eraſmo à Chokier eod. num. 29. fol. 291. verſ. *ex quibus apparet*

apparet; qui tract.de Iur. Ordinarij in exemptos part.1. quæſt.17. num.22. expreſsè tradit, Ordinem Religioſum, qui habet Generalem, non eſſe neceſſariò exemptum: Reſpondeo tamen, Regulam à P. Laymanno traditam eſſe certiſſimam, ſi intelligatur in eo ſenſu, in quo ipſe locutus eſt; ſiquidem quando aſſeruit, non poſſe ſtare hæc duo, vt ſcilicet Ordo Religioſus habeat Generalem, & non ſit exemptus, intellexit de Capite ſeu Generali, qui ſit vt Prælatus Ordinarius exercens in inferiores Abbates & Profeſſos Iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Argumenta ergò à P. Romano contra hanc doctrinam allata ſunt nulla.

44. Ad primum enim reſpondeo, quatuor illos Præſidentes iuxta *c. in ſingulis, de ſtatu Monachorum.* non fuiſſe præditos Iuriſdictione, & maximè Ordinaria; ſiquidē in *illo eodem capitulo* ſic habetur. *ipſi quatuor præſint Capitulo vniuerſo ita, quod ex hoc nullus eorum ſibi Authoritatē Prælationis aſſumat. Vnde cum expedierit prouida poßit deliberatione mutari.* Et nimis violenta eſt interpretatio P. Romani, dum nihil eſſe reſpondet in hoc textu, quod deroget ipſorum Præſidentium Iuriſdictioni, vel Authoritati in ſubiectos Abbates; ſed tantum quod obſtet arrogantiæ, ne quis ita ſibi aſſumat Prælationem, vt credat, ſe mutari non poſſe, cum expedierit. nam benè notauit P. Laymannus, eſt inauditum, præſertim in Ordine S. Benedicti, vt Prælati maiores ac Generales pro libitu amoueri poſſint. Et cōfirmatur: quia ſi illi Præſidentes fuiſſent prælati Ordinarij; illi potuiſſent committere Viſitatoribus poteſtatem inquirendi, corrigendi, & reformandi Monaſteria: & non opus fuiſſet, vt hæc ipſa facerent Authoritate Sedis Apoſtolicæ, ſicut dicitur in *citato Capitulo*; ſicut etiam in caſu, quo Abbas delapidator Monaſterij amouendus videretur, non oportuiſſet, vt prius Epiſcopo Diœceſano denuntiaretur, eoque adimplere negligente, intimaretur Apoſtolicæ Sedi, quod *in c. finali eod. tit.* præſcribitur: ſed illi Præſidentes potuiſſent interponere ſuam Authoritatem, ſi illam concurrentem habuiſſent cum Epiſcopo. Ex quibus etiam infertur, Viſitatores deſignari ſolitos in Capitulis, non habuiſſe Iuriſdictionem Ordinariam in Abbates Ordinis, ſed delegatam à Summo Pontifice pro illo actu viſitandi; & licet delegata habeatur à Lege & illo Canone, non tamen propterea ſimiliter appellari poteſt Ordinaria: quemadmodum, licet Epiſcopi in multis caſibus procedant contra Regulares Exemptos ex Concilio Tridentino, non idcirco dicuntur procedere tanquam Ordinarij, ſed tanquam Apoſtolicæ Sedis delegati.

45. Ad ſecundum reſpondeo, Panormitanum loqui de Abbate Generali, qui haberet ſimilem poteſtatem illi, quam habere ſolebant quatuor Præſidentes Electi in Capitulis iuxta præſcriptum *c. in ſingulis, de ſtatu Monachorum*, quæ erat limitata ad excommunicandos Priores, Abbates, &c. & fugitiuos, & eiectos ad Monaſteria reducendos. Panormitani ſiquidem

Digitized by Google

doctrinam ſolùm innititur illi *capitulo penultimo & vltimo', de ſtatu Monachorum*: ex quibus nihil aliud colligi poteſt: & conſequenter infertur, eiuſmodi Abbatem non habuiſſe Iuriſdictionem in Abbates inferiores.

46. Ad Tertium reſpondeo, Eraſmum à Chokier eſſe accipiendum de poteſtate, ſpeciali Iure à Sede Apoſtolica conceſſa alicuius Ordinis Generali ad viſitandum, corrigendum, iudicandum omnes Ordinis perſonas; ac proinde non poteſt ex hoc inferri, Ordinem ipſum eſſe exemptum à Iuriſdictione Epiſcopi, *quia*, inquit ipſe, *ex priuilegio quocunque Pontificis nunquam cenſetur Ordinariæ poteſtati derogatū, niſi exemptio formalibus, vel æquipollentibus verbis concedatur. tex. in c. paſtoral. priuil. vnde etiamſi Ordinis Generales Ius habeant viſitandi, corrigendi, iudicandi totum Ordinem; non ideò tamen Ordo à Iuriſdictione Ordinarij exemptus eſſe cenſendus eſt, niſi Ordini nominatim exemptio conceſſa ſit.*

47. Sed obijcit P. Romanus Authoritatem Abbatis *in c. quoniam. de officio Ordinarij num.* 4. vbi docet, Papam ex cauſa poſſe ſtatuere, vt duo Epiſcopi ſint in eodem Epiſcopatu omninò pares. nam olim in primitiua Eccleſia omnes Epiſcopi regebant Eccleſias in communi; & teſtimonium ipſius P. Laymanni, qui *in qq. Canon. de Elect. q.* 149. affirmat S. Auguſt. in Eccleſia Hipponenſi vna cū Valerio Sene ſediſſe Epiſcopū, & ſic vtrūque in ſolidum Epiſcopum fuiſſe, & in *Iuſt. Defenſ.* pag. 238. teſtatur Ieſuitas docere, omnes Apoſtolos à Chriſto Domino immediatè accepiſſe poteſtatem Iuriſdictionis erga Eccleſiam vniuerſam. Ex quibus omnibus infert, non repugnare, vt Ordo aliquis Religioſus habeat duos Prælatos non ſibi inuicem ſubordinatos, Epiſcopum ſcilicet, & Generalem.

48. Reſpondeo, doctrinam Abbatis in hac parte non eſſe receptam, & magis eſſe in hoc credendum Theologis, quàm huic Canoniſtæ, licet eximio; nec verum eſt, in primitiua Eccleſia Epiſcopos rexiſſe Eccleſias in communi; & Apoſtoli licet erga Eccleſiam vniuerſalem habuerint poteſtatem ſibi immediatè datam à Chriſto; ea tamen fuit ſolùm extraordinaria, & non qualis fuit conceſſa S. Petro, cui ſoli fuit data Iuriſdictio non ſolùm vniuerſalis; ſed etiam ordinaria, perpetua, & ad Succeſſores tranſitura *Matth. 16. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram, &c.* Videndus Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 23. ſinguli verò alij Apoſtoli habuerunt Iuriſdictionem Ordinariam particularium Eccleſiarum, & erga Eccleſiam vniuerſalem, vt dixi, extraórdinariam. Quod verò dicebatur de S. Auguſt. facit contra ipſum P. Romanum: ſiquidem ipſemet Sanctus agnouit ſe erraſſe, ſic ſcribens ep. 124. *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre Epiſcopo meo Sene Valerio, Epiſcopus Ordinatus ſum, & ſedi cum illo: quod Niceno Concilio probibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat.* Vnde Gloſſa *in cap. non autem 7. qu. 4.* tam pro abſurdo habuit, ſi in vno Epiſcopatu duo eſſent Epiſcopi poteſtate pares, vt vim inferendo illi te-

xtui

ctui dixerit Auguſtinum in adminiſtratione fuiſſe minorem & Valerij Vicarium. *ne ſit*, inquiens, *ibi monſtrum habens duo capita. c. quoniam de offic. ordinar.* vbi hæc habentur ex Concilio Generali ſub ALEXANDRO Tertio. *Prohibemus omninò ne vna eadēq; ciuitas ſiue Diœceſis diuerſos Pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuerſa capita, quaſi monſtrum.* Cetera quæ in citatis numeris habet P. Romanus, neutiquam probant poteſtatem ordinariam reſidere poſſe in pluribus Prælatis eiuſdem Ordinis Religioſis ſibi non ſubordinatis, & nihil faciunt ad quæſtionem præcipuam de tranſlatione Monaſteriorum; propterea ſilentio inuoluo, ſatius exiſtimans occurrere Lectorem ſatietati, quàm P. Romanum multiplicis erroris coarguere.

Num. XXXIX.

SVMMARIA.

49. *Error hiſtoricus tribuitur P. Layman.*
50. *Sed potius alijs tribuendus fuit.* C. c. 44.

49. Neſcio quem errorem hiſtoricum & Chronographicum eripere vult Patri Laymanno, quaſi falſo aſſeruerit, Monaſteriorum Oſchenhuſanum fuiſſe exemptum à MARTINO Quinto, *fuit enim*, inquit, *exemptum à* BONIFACIO *Nono:* ſicut etiam falſum eſt, illud idem Monaſterium, nō obſtante exemptione, fuiſſe nihilominus pendens à Monaſterio S. Blaſij, & quia cōputat Monaſterium Wiltinenſe iuxta Oenipontum in Præpoſituras Canonicorū ſæcularium tranſlatum ad Præmonſtratenſes à Benedictinis: cùm tamen non fuerit Benedictinorum, ſed Canonicorum quorundam.

50. Quod ſpectat ad Pontificem, qui conceſſerit exemptionem; P. Laymannus ſecutus eſt Hundium, Bruſchium, & Myræum: ſi P. Romanus certiora habuit teſtimonia; emendari poteſt error; qui tamen parum obeſt huic cauſæ, ſatis eſt fuiſſe in illo Monaſterio factam aliquam mutationem. Quod verò dicat, eſſe falſum, non obſtante exemptione, adhuc Monaſterium illud fuiſſe pendens à Monaſterio S. Blaſij, nō tribuendum P. Laymanno, ſed Typographo, qui loco *nihil omninò pendens.* poſuit. *nihilominus pendens.* De illo altero Monaſterio ſiue fuerit Canonicorum, ſiue Benedictinorum; non eſt magnoperè laborandum. P. Laymannus id vnum agebat, crebrò factas fuiſſe Eccleſiarum mutationes, vt oſtenderet, iiſdem non obſtare vltimas fundatorum voluntates. ſiue autem tranſlationes fuerint factæ ab hoc, ſiue ab illo Ordine; parum ad rem facit, & impunè in hoc errari poteſt, præſertim ducibus alijs ſcriptoribus, qui eiuſmodi de rebus accuratius tractarunt.

Num.

Num. XL. vſque ad LXII.

SVMMARIVM.

51. *Cum ſumma Abbatum non exemptorum in Monachos poteſtate ſtat, vt ipſi Epiſcopis ſubijciantur.*

51. Ad ſatietatem vſque congerit teſtimonia Canonum & Doctorum, vt appareat quanta ſit Abbatum Iuriſdictio in ſubiectos Monachos. Quaſi verò P. Laymannus eandem illis vnquam denegauerit. Negauit ſolùm, poſſe eſſe Ordinem Religioſum, qui haberet plures Prælatos Ordinarios non ſibi ſubordinatos; alioquin eiuſmodi corpus foret monſtrum, cum tanta ergò Abbatum poteſtate in Monaſterijs non exemptis ſtat, vt ipſi Abbates Epiſcopis ſint ſubiecti; adeoque veriſſima eſt hæc Canonica Regula tradita à P. Laymanno, Religioſos, qui Generalem Ordinis ſui habent, exemptos eſſe, & Epiſcopis non ſubiectos; & viceuerſa, Ordines non exemptos & ſubiectos, non habere Generalem, qui verè generale Caput ſit, præditum Iuriſdictione Ordinaria in totum Ordinem.

Num. LXII. vſque ad LXVIII.

SVMMARIA.

52. *P. Rom. oppugnat P. Foreri Aſſertionem de Iuriſdictione priſcorum Abbatum.*

53. *Sed ſaltat extra Chorum.*

52. Ex dictis colligit P. Forerum errraſſe *in diſp. Theol. de Abbat. c. 2. theſ. 1. & 2.* ſcribentem, quod olim Iure communi omnia Monaſteria & perſonæ eorundem, Epiſcopo loci ſubiecta fuerint quoad vtramq; Iuriſdictionem temporalem & ſpiritualem: & nulla omninò, (niſi quam & quatenus delegabant Epiſcopi) conueniebat Abbati Iuriſdictio in Monachos: ſed ei dûtaxat, vt Patrifamilias obediebatur: quæ vtraque poteſtas in Monachos, ſi pauca Monaſteria ſpeciali priuilegio exempta à Gregorio Magno in Concilio Lateranenſi, & refertur *in c. quam ſit neceſſarium 18. q. 2.* paucos item Diœceſanæ poteſtatis actus excipias, videtur duraſſe ſaltem ad tempora SS. Bernardi & Norberti, &c.

53. Multis autem P. Romanus contendit, reuincere hanc doctrinam tãquam falſam: ſed ferè ſaltat extra chorum. Veriſſimum enim eſt primorum illorum temporum Monachos non fuiſſe Clericos aut vllis Ordinibus initiatos, & non obſcurè indicat S. Dionyſius *c. 6. de Eccleſiaſtica Hierarchia.* & S. Hieronymus *epiſt. 1. ad Heliodorum, & 4. ad Ruſticum*, & contra Vigilantium, & referũtur multa 16. *q.* 1. ex quo maniſeſtè ſequitur, Monachorũ illorum priſcorum Superiores fuiſſe incapaces, nedum habuiſſe Iuriſdictionem Spiritualem. Itaq; ſubiecti erant Ordinarijs locorum, neque tamen hoc derogabat quicquam ſubſtantiæ Religioſi ſtatus. nam vt egregiè docet Suarez *tom. 4. de Relig. c. 2. n. 3.* ex doctrina S. Thomæ communiter recepta, ad ſubſtantiam Religioſi ſtatus ſatis eſt

ſtatis eſt poteſtas Dominatiua, quam acquirit Religio in Religioſum, qui ſimul cum emiſſione votorum penitus ſe totum tradit Deo & Religioni; quemadmodum Dominus acquirit poteſtatem in ſeruum & in omnes illius actiones externas. Et confirmatur manifeſtè ex eo, quia in omnium ſententia, Moniales ſunt verè ac propriè Religioſæ: Abbatiſſa tamen, vt fœmina, incapax eſt penitus Iuriſdictionis ſpiritualis, adeoque Moniales ſubiectas gubernat tanquam materfamilias: tota autem Iuriſdictio reſidet penes Epiſcopum. Siquando ergò inter Monachos fuerunt aliqui Abbates, qui exercuerint actum aliquem Iuriſdictionis in ſubditos, exercuerunt ex poteſtate delegata non ordinaria, quamdiu Ordines non fuerunt exempti; adeoque veriſſima eſt doctrina P. Foreri, olim Iure communi Monaſteria & Perſonas Epiſcopo loci fuiſſe ſubiectas.

46. Sequentibus numeris P. Romanus fusè diſputat de exemptione Monachorum, quæ cum, vt ſæpiùs dixi, ad noſtram controuerſiam parum pertineant; libens ac volens miſſa facio; cùm præſertim maximam partem diſputationis inſtituerit contra alium Monachum, qui de Iure Abbatum ſcripſit.

Num. LXVIII. vſque ad finem.

SVMMARIA.

54. *Proponuntur quædam dubia de poteſtate Abbatum, & diuerſitas ſententiarum P. Laym. & P. Forer.*

55. *Qui ex diuerſis principijs Iure potuerunt diſſentire.*

54. Bona cum venia Lectoris digreditur P. Romanus ad reſolutionem quorundam dubiorum de poteſtate Abbatum. Primum eſt, num Abbates Regulares extra ſuam Eccleſiam Pontificalia exercere poſſint, de quo vſq; ad *Num. LXXII.* Alterum dubium eſt, cui Abbas non exemptus Rationem Adminiſtrationis Monaſterij reddere teneatur, & hoc vſque ad *Num. LXXVI.* Tertium, ad quem Prælato Regulari mortuo deuoluatur Iuriſdictio Monaſterij.

55. De tribus hiſce capitibus attigerunt aliquid duo præter cæteros è Societate, P. Laymannus & P. Forerus, ille in *quæſtionibus Canonicis de Elect. & Iur. Ordinarij*; hic *in diſputat. de Abbatib.* ſed vterque breuiſſimè, propoſitis aliquot theſibus, fuſius poſtea, vt fit, inter concertandum, diſtinguendis, explicandis, enucleandis, &c, vt in rebus moralibus magna plerumque opinionum varietas eſt; percommodè cecidit P. Romano (qui ſcrutatur omnes angulos, vt ſi quæ fortè ſordes deliteſcant, eas det in conſpectum) vt hi duo Auctores in contrarias abierint ſententias, probabiles tamen, ſiue rationum momenta, ſiue Doctorum Auctoritatem ſpectes; adeò vt, qui velit vni patrocinari, alter ei deferendus ſit: & qui cupiat P. Laym. defendere, neceſſariò offendere debeat P. Forerum. Ego verò neutrum damnabo: vtrumque abſoluo, non placet P. Ro-

Digitized by Google

Romano doctrina P. Laymanni; at placet alijs claſſicis Auctoribus, & nititur rationibus oppidò firmis; nec Argumenta Patris Romani τεκμήρια ſunt: neque ego id negotij mihi datum puto, vt oſtendere debeam, quicquid Pater Laymannus ſcripſit, præſertim quod ad hanc Controuerſiam nullo modo pertineat (qualia ſunt iſta) eſſe irrefragabile.

THEORICA
OCTAVÆ QVÆSTIONIS.

An à P. Laymanno iuſtè defenſa fuerit Societas IESV.

Mirum videri poteſt, quòd Pater Romanus demonſtrare velit à Patre Laymanno Societatem IESV malè defenſam fuiſſe; cum pro ſuo in eandem affectu, indefenſam libentiùs relinquere debuiſſet. Sed nimirum ſolùm illi negotium eſt cum Patre Laymanno, non cum Societate. Audiamus ergò, quo pacto idem Pater Laymannus ſuum hac in re officium deſiderari paſſus ſit, ex ſententia Patris Romani.

Num. I.

SVMMARIA.

1 *Obijcitur Patri Laymanno, quod plures Patres Societatis reddiderit ſuſpectos: cum neminem nominauerit.*

2. *Redditur ratio cur ij nominati non fuerint.*

1. Non iuſtè defenſam contendit Societatem: quia num. 15. & 17. prooemij, & folio trigeſimo primo, plures Societatis Patres Innocentes ſuſpectos efficit de impugnatione Reſcriptorum, & Decretorum Cæſareæ Maieſtatis, eò quòd non nominet, quinam fuerint illi, qui Viennam varias querelas perſcripſerunt ad Cæſaris Confeſſarium, ſuper reſtitutione

ſione Monaſteriorum facienda antiquis Ordinibus.

2. Reſponſio eſt in promptu. Authores, qui Viennam ſua iudicia ſuper ea Controuerſia mittebant, nomina ſua non adſcribebant. Si qui fortè adſcribebant; rogabant Patrem Confeſſarium, vt Argumenta perpenderet, Auctorum nomina ne proderet. Si qui fortè non cupiebant ſua nomina celari; ab eodem Confeſſario prodititi non ſunt, quòd ad rem minimè pertineret. Sexcentas alias adferre poſſem rationes, cur P. Laymannus, non expreſſerit quinam & quales ij fuerint, qui Viennam eiuſmodi querelas perſcripſerunt, demus tamẽ Patri Romano (quod velle videtur) eos fuiſſe, vel omnes, vel pleroſque Societatis homines: tantum abeſt, vt nocentes dici queant; vt potius à P. Laymanno debita laude defraudati fuerint eò, quòd, ſi eorum nomina cognita habuit, non expreſſit. Fallitur enim P. Romanus, aut potius nos fallere vult, dum ait illas querelas ad P. Confeſſarium delatas, continuiſſe multa contra S. C. Maieſtatem eiuſque Decretum generale de reſtitutione bonorum Eccleſiaſticorum aliaue eiuſdem Reſcripta & Decreta. Etenim improbabant tantum ſeptem illas toties memoratas Rationes literis ad Cæſareum Oratorem Romam datis intruſas, quæ, vt ſupra non vno loco demonſtrauimus, habebant pugnantia cum Sacris Canonibus, cum Eccleſiaſtica praxi, imò verò cum expreſſa intentione ipſius Cæſaris ac Summi Pontificis, in illa ipſa cauſa tranſlationis Monaſteriorũ ad alios pios vſus.

Num. II.

SVMMARIVM.

3. *Demonſtratur, malè negatum fuiſſe Societatem eſſe ſingulari Dei prouidentia inſtitutam ad debellandas hæreſes.*

3. Nouum iniuſtitiæ genus, quod probat ex folio 110. & ſeqq. Alter ex illis duobus Theologis, qui ſuum Iudicium ſcripſit circa ſeptem illas Rationes, inter alia de Societate loquens, dixerat *eam ſingulari Dei prouidentia peculiariter ad hæreſes horum temporum debellandas eſſe inſtitutam*, neque hoc finxerat ex ſuo ingenio: acceperat, vt taceamus de Summis Pontificibus, Paulo Tertio, Iulio Tertio, Pio Quinto, Gregorio Decimoquarto, Clemente Octauo, Paulo Quinto; ex diuino oraculo GREGORII Decimiquinti, & VRBANI Octaui in Bulla Canonizationis S. P. IGNATII, cuius hic particulam adſcribere operæ precium eſt. *Dudum ſiquidem*, inquit Vrbanus Octauus, *fel. rec. Gregorius Papa Decimusquintus Prædeceſſor noſter piè attendens, quod ineffabilis Dei bonitas & miſericordia, qua miro conſilio ſuis quæque temporibus aptè diſponit, & præteritis ſæculis ſiue ad diſſeminandum Euangelium inter gentes, ſiue*

contra ſubnaſcentes Hereſiarchas deſtinauit plures ſanctitate ac doctrina illuſtres Viros; nouiſſimis temporibus, cùm pij Luſitanorum Reges in longinquas Indiarum terras, ac remotiſſimas Inſulas latè patentem vinea Domini propagandæ aditum aperuiſſent; nec minorem Catholici Caſtellæ Reges nouum in Orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem Religionem, omnemquè illius ſanctitatem, ac perfectioris vitæ profeſsionem Lutherus, monſtrum deterrimum, aliæquè deteſtabiles peſtes blaſphemis eorum linguis in Septentrionis partibus corrumpere & deprauare, ac Sedis Apoſtolicæ Auctoritati detrahere conarentur; excitauit ſpiritum IGNATII LOIOLÆ, *qui ex medio honorum curſu, & à ſeculari & terrena militia, admirabili quadam ratione vocatus, ita ſè diuino Imperio regendum & formandum tradidit, vt demum noua Societatis* IESV, *quæ inter alia pietatis & charitatis opera, gentilibus conuertendis*, Hæreticis ad fidei veritatem reuocandis, *& Romani Pontificis poteſtati tuendæ* EX INSTITVTO SE TOTAM IMPENDIT, *Religione fundata, vitam admirabili ſanctitate traductam, ſanctiſſimo pariter concluſerit exitu, ac plurimis ſit miraculis illuſtratus, eiuſdemquè Ignatij Catalogo Sanctorum adſcriptioni, de quo dudum agebatur, decreuit intendere.* &c. Hoc, inquam, oraculo Theologus ille quem dicebam, innixus, pronunciauerat *Societatem ſingulari Dei prouidentia peculiariter ad hæreſes horum temporum debellandas eſſe inſtitutam.* Hoc *dictum* & pronunciatum Author Anonymus *ſuſcepta Defenſionis pro S.C. Maieſtate*, quem *Iuſta Defenſione* P. Laymannus impugnat, aſſeruit, *eſſe periculoſum*. An P. Laymannus debuit tantam iniuriam irrogatam non ſolum Societati, ſed Auctoritati etiam Pontificiæ tacitus præterire? non omnibus viribus oppugnare? *At*, inquit P. Romanus, *prædictus Auctor (vt nos intelligimus) periculoſum dictum illud eſſe voluit, quo glorìaretur quiſpiam præſata requiſita multò accuratiùs in Societate reperiri: non autem periculoſum dictum eſſe voluit, quod Societas peculiari Dei prouidentia ad hæreſes debellandas à Deo fuerit inſtituta, ideoq; periculum arrogantiæ propriæ laudis circa rem quæ conſiſtit in facto non inſtituto Religioſo tribuendum erit*. Mira P. Romani benignitas, cuius vtinam milleſima parte vſus fuiſſet in P. Laymānum, diuerticula ſunt iſta, mi Pater, rem ipſam tenemus. non eſt locus coactis interpretationibus, neque hic agebatur *de periculo arrogantiæ propriæ laudis*, neque de facto aliquo; ſed de ipſa ratione Inſtituti Societatis.

Num. III.

SVMMARIA.

4. *Malè defendi obijcit duos è Societate Theologos.*
5. *Defenditur P. Laym. & eius dicta.*

4. Malè defendi ait duos Theologos, quorum alter fuit è Societate, dum Pater Laymannus aſſerit, ab ijs illa Iudicia Theologica ſcripta fuiſſe, non vt typis vulgarentur, ſed tantum legerentur ab illis, qui à Cæſare ad deliberandum deputati erant. Probat autem, hoc poſterius non eſſe verum. quia, ipſomet

P. La-

P. Laymanno teſte, illa duo Iudicia compoſita fuiſſe conſtat, & Viennæ plurium manibus trita, quando Cæſar de deputandis aliquibus Conſiliarijs, necdum cogitauerat.

5. Turpiſſimè allucinatur, quia non diſtinguit duo tempora, quibus Cæſar à Conſiliarijs deliberari iuſſit de reſtitutione Monaſteriorum eorundem Ordinum Religioſis facienda. Primum tempus fuit, cum Anno 1629. in æſtate Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Nuncius tranſmiſſo memoriali Auguſtiſſimo Cęſari retulit mandatũ acceptum ab Apoſtolica Sede, *de bonis Eccleſiaſticis ponendis in ſequeſtro Epiſcoporum, aliorúmue Eccleſiaſticorum Commiſſariorũ, donec Sanctitas ſua ſecundum Cæſareæ Maieſtatis voluntatem & præſentes Eccleſiarum Germanicarum neceßitates de ijs diſponeret*, ad Collegiorum, Seminariorum, &c. erectionem, Parochiarũ inſtaurationem, &c. etenim Cæſar mox Apoſtolici Nuncij ſcripturam ad Senatum Imperialem Aulicum miſit, vt ſuper ea re conſulerent; exinde cum res protraheretur per nonnullos menſes; eidem Illuſtriſſ. D. Nuncio à Senatu per quendam Secretariũ miſſæ ac traditæ fuerunt ſeptem Rationes, quibus Auctor oſtẽdere conabatur, Monaſteria ad aliũ vſum pium non eſſe transferenda, ſed ſuis quæq; Ordinibus reſtituenda. Ex occaſione ergò harum Rationum, quas Illuſtriſ. Nuncius cum pluribus viris doctis communicauit, vt eorum exquireret iudicia; Varia ſcripta profecta ſunt, atque ea duorum illorum Theologorum Iudicia, quæ inter cætera eidem Illuſtriſſ. Nuncio probata ſunt, & quę deinde exeunte Nouembri eiuſdem anni cum nõnullis alijs Scripturis tradita fuerunt P. Lamormaini Cæſareo Confeſſario, vt pro ſui muneris officio Auguſtiſſimo Cæſari FERDINANDO Secundo de tota re opportunè referret; qui tamen Confeſſarius non ſtatim executus eſt, quod Illuſtr. Nuncius optabat, ſed poſtquam diu multúmque, Deo re commendata, deliberaſſet. Porrò Cæſar ab eodem Confeſſario breui ſcripto de toto negotio edoctus ipſum libellum, ſeptem illas Rationes, Iudicia Theologorum aliáque ſcripta tum ab Apoſtolico Nuncio tradita; tum ex Imperio miſſa, per vnum ex ſecretioribus Conſiliarijs Illuſtriſſ. Comitem ad ſe vocatum; Scripturas inquam has omnes, de quibus in ſuo libello P. Confeſſarius mentionem faciebat, deferri iuſſit ad quinque tunc deputatos à ſua Cæſarea Maieſtate, præter ipſum Comitem, vt eas legerent, examinarent, poſtea verò conuenirent, ac conſulerent, & de re tota ad Maieſtatem ſuam referrent; Atque hoc eſt ſecundum tempus, quando à Cæſare ſunt deputati nonnulli deliberaturi in cauſa Monaſteriorum, hoc tempus reſpexit P. Romanus, ante quod ſine dubio duo Theologi ſua Iudicia ſcripſerant. Si reſpexiſſet illud primum, non fuiſſet tam turpiter lapſus, neque ſe rei geſtæ conſcijs, deridendum propinaſſet.

(†)

Nn 3 Num.

Num. IV.

SVMMARIVM.

6\. *P. Romanus parum peritus ſtyli Romani & Pontificum, vocantium etiam Epiſcopos, Cardinales filios, niſi ſint in Ordine ſex Epiſcoporum, quos appellat fratres.* C.c.45.

6\. Grauiſſimum *falſi crimen* affingit P. Laymanno, quòd folio 511. neſcio quid referens de laudibus beatæ memoriæ P. Petri Caniſij, protulerit teſtimonium ex Epiſtola Pii Quarti Summi Pontificis ad Otthonem Cardinalem Epiſcopum Auguſtanum, quam Epiſtolam contendit eſſe falſam, *conſtat enim*, inquit, *ex c. quam graui de crimine falſi. literas Pontificias eſſe falſas, in quibus Epiſcopi præſertim Cardinales à Papa filij vocantur. cùm ſit ſtylus Romanæ Curiæ, vt Fratres, non Filij vocarentur.* epiſtolæ autem illius fragmentum ſic habet. *Ad aures noſtras Dilecto filio noſtro Otthone Cardinale Auguſtano referente peruenit, &c.* Hic enimuero triumphat P. Romanus, & aut ego fallor, aut ſedet pro Tribunali cum ſui ſimilibus Iudicibus deliberans, qua pœna falſarius plectendus ſit. *Romanus* eſt, & tamen Romanæ Curiæ ſtylum non callet. Eminentiſſimi Cardinales propter tantam Excellentiam dignitatis, ob quam ipſis Regibus æquiparantur, quantumuis pluribus alijs titulis gaudeant, vel Eccleſiaſticis, vel etiam ſæcularibus, Abbatis, Epiſcopi, Comitis, Ducis, &c. ſuam tamen appellationem à digniore titulo accipiunt, vt appellentur Cardinales, inde fit, vt aliorum titulorum ratio ferè non habeatur, quocirca cum totum Cardinalium Collegium diuiſum ſit in tres claſſes ſiue Ordines, in Diaconos, Præſbyteros, & Epiſcopos, qui ſunt tantum ſex; licet quis ſit Epiſcopali dignitate præditus; nihilominus, ſi ſint in prima claſſe, appellatur *Cardinalis Diaconus*, ſi in ſecunda *Cardinalis Presbyter*: ſolùm autem qui ſunt in tertia, appellantur *Cardinales Epiſcopi*, inde fit, vt, ſi Summus Pontifex ſcribat ad Cardinalem, vel Diaconum, vel Præſbyterum, appellet illos *Filios*, non *Fratres*, egoque teſtari poſſum habuiſſe me in manibus literas Pontificias ad Cardinalem FRIDERICVM BORROMÆVM Archiepiſcopum Mediolanenſem, & ad IVLIVM ROMAM Epiſcopum Lauretanum, quorum vterque erat in Ordine Cardinalium Præſbyterorum, in quibus literis appellabantur *Dilecti Filij*. Sed quid opus eſt pluribus? ex Archiuio Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ producuntur à P. Laymanno in *Cenſura loc. cit. in ſum.* 26. variæ Pontificiæ literæ ad eum, de quo agimus Otthonem Cardinalem tunc Auguſtanum Epiſcopum, diuerſis temporibus ſcriptæ, in quibus appellatur *Dilectus Filius*, tales ſunt literæ PAVLI Tertij datæ die vltima Iulij Anno 1545. tales eiuſdem die 1. Auguſti, eodem Anno; tales IVLII Tertij, 16. Februarij, 1555.

Quo-

Quoniam verò idem Cardinalis Orthoex claſſe Cardinalium Præſbyterorum tranſlatus fuerat poſtea ad claſſem Epiſcoporum, qui, vt dicebam, ſunt numero ſex; hinc factum eſt,vt PIVS Quartus ad eundem ſcribens nonis Decembris, 1562. appellauerit eum *Venerabilem Fratrem.* ſic exorſus: PIVS *Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Venerabili Fratri Truchſes de VValpurg Epiſcopo Albanenſi Cardinali Auguſtano nuncupato ſalutem, &c.* cùm tamen Summi Pontifices in præcedentibus literis ſolerent ſemper vti illa formula *Dilecto Filio noſtro Otthoni S. R. E. Præsbytero Cardinali Auguſtenſ.* Ex his apparet, quàm verè à P. Romano dictum fuerit, literas Pontificias eſſe falſas, in quibus Epiſcopi præſertim Cardinales à Papa *Filij* vocantur; diſtinguendum enim eſt, ſi Cardinales, ad quos ſcribitur,ſint in claſſe *Cardinalium Epiſcoporum*, qui tantum ſunt illi ſex, Oſtienſis, Portuenſis,Tuſculanus, Præneſtinus,Albanenſis Sabinenſis;verum eſt,non appellari *Dilectos Filios*; ſed *Venerabiles Fratres.* Si autem Cardinales ſint in claſſe *Præsbyterorum*,vel *Diaconorum*; licet Epiſcopi ſint, aut Archiepiſcopi aliarum Eccleſiarum; nunquam in Pontificis literis vocantur *Venerabiles Fratres*, ſed ſemper *Dilecti Filij Præsbyteri Cardinales*, vel *Diaconi Cardinales*,ſed nos nimis multa in re tam leui, quam potuiſſet diſſimulare P. Romanus, niſi ei propoſitum fuiſſet luminibus P. Laymanni vndequaque obſtruere.

(?)

Num. V.

SVMMARIA.

7. *Obijcit non rectè defendi tres Societ. Theologos.*
8. *Oſtenditur contrarium.*

7. Non Iuſtè defendi aſſerit tres Theologos Societatis,qui in Cõcilio Pergenſi ſcripſerunt *Reſolutionem Pontificiam*, de qua ſuperius quæſt.3. num. 8. ait ſe diſputaſſe, *eſſe clariſſimam*, quam tamen P. Laymannus velut obſcuriſſimam aliò detorquet,& iiſdem Patribus iniuriam infert dicendo, eos iam mentem ſuam mutaſſe, & aliter ſentire quàm ſcripſerint.

8. Quandoquidem Lectorem ad quæſt. 3. num. 8. remittit, nos quoque eodem illum allegamus, videbit, Iure illos tres Theologos ſententiam mutaſſe, quod Summus etiam Pontifex, cuius Authoritati illi tantum tribuebant, expreſsè ſuam intentionem declaraſſet de Monaſterijs recuperatis ponendis in ſequeſtro Epiſcoporum, donec Sanctitas ſua deliberaret ſecundum Cæſareæ Maieſtatis voluntatem, cui vſui pio applicanda eſſent,vt toties dictum eſt.

Num. VI.

SVMMARIVM.

9. *Defenditur P. Lamormain. Cæſ. Confeſſarius.* C.c.46.

9.R.P.

Digitized by Google

9. R. P. Lamormaini, vt paulò antè dicebam, cùm cognouiſſet, ſeptem illas Rationes abſque Cæſaris ſcitu literis ad Oratorem datis intruſas, & Romę & in Imperio vulgatas, non ſine admiratione, & offenſione legi; ſollicitatus multorum literis, rogatus ab Illuſtriſſimo Nuncio Viennenſi, & officij ſui obligatione permotus S. Cæſ. Maieſtatem breui quodã ſcripto admonēdam eſſe cenſuit. De hoc P. Lamormaini facto agens P. Laymannus *Num XIII.* proæmij, dixit, eum diu deliberaſſe, quomodo huic rei remedium adhiberi poſſet, & poſt deliberationem diuturnam Cęſari ſuggeſſiſſe, vt eas Rationes examinari curaret, & hoc rectè egiſſe & aliter agere non debuiſſe: imò, ſi Cæſaream Maieſtatem non admonuiſſet; meriturum fuiſſe reprehenſionem tanquam boni Confeſſarij officio ſecundum naturalis Rationis dictamen & Societatis noſtræ Regulas non rectè functum. Quis ſuſpicari poſſet in his verbis P. Laymanni locum aliquem eſſe poſſe reprehenſioni? Inuenit tamen P. Romanus: non opus fuiſſe deliberatione ait. nullus enim erit morbus, cui remedium adhiberi oporteret, in præſenti nihil malè, imò ſecundum omnem iuſtitiã fuiſſe reſcriptum ab Imperatore; proinde P. Laymannum, dum illa dicit, aſſerere conſequenter, pertinere ad boni Confeſſarij munus iuſtitiam impedire, naturalis rationis dictamen præcipere, vt æquum pro iniquo reputetur, & Societatis Regulas iubere, vt Monaſteria ſuis Ordinibus debita per Confeſſarios Principum reiectis motiuis & mandatis legitimis ad Societatem deriuentur. Vel me tacente animaduertis, Amice Lector, totam hanc interpretationem à duobus falſis principijs pendere. Primum eſt à P. Lamormaini admonitum fuiſſe Cæſarem de iniuſtitia, aut Generalis Edicti, aut ſuorum Reſcriptorum, quod falſiſſimum eſt; monitus enim tantum fuit de erronea doctrina, quam continebant Rationes, quæ nomine Cæſaris circumferebantur. Alterum falſum principium eſt Monaſteria de Iure deberi antiquis Ordinibus. Si hæc principia P. Romanus ſemel dediſcere poſſet; tam crebrò non offenderet.

Num. VII.

SVMMARIA.

10. *Non euertit doctrina P. Laym. principia naturalia.*

11. *Modeſtia P. Laym. in referendo vaticinio de Societ.*

10. Duo inter ſe maximè diſiuncta hoc numero complectitur. Primum eſt, P. Laymannum eo ipſo quod aſſerat PP. Societatis deſiderare bona Monaſteriorum non propter ſe, ſed in ſuſtentationem plurium ad fidei Catholicæ propagationem in Germania incumbentium; ſentire ſi Monaſteria omnia ſuis reſtituantur; non futurum, vt ſint in ſuſtentationẽ plurium ad fidei Catholicę propagationẽ incumbentiũ: & præterea, per huiuſmodi aſſertionem euerti prima principia

cipia naturalia, hoc eſt, *Non iuſtificatur deſiderium rei alienæ ex intentione boni finis*, & illud aliud, *quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Neutrum ſequitur ex aſſertione Pat. Laymanni. Si Societas deſiderat aliqua Monaſteria ex recuperatis, nihil deſiderat alienum, quia nullius ſunt: & à legitimis adminiſtratoribus ſibi concedi cupit ad Catholicæ Religionis bonum promouendum. Qui hoc affirmat, non propterea negat, ſi ſuis Ordinibus reſtituantur, non fore etiam in ſuſtentationem eorum, qui Catholicam fidem propagare poſsit.

11. Alterum eſt, quòd Pat. Laymannus fol. 440. ex Rutilio Benzonio per quandam occaſionem, quod Anonymus ille Societatem deprimebat, & tanquam ignauam, omnique laude indignam iudicabat, retulit vaticinium quoddam Abbatis Ioachimi valdè honorificum pro Societate, addens, illud Societatem quidem ſibi applicare non audere nec ſolere, tamen à Benzonio & alijs, de Societate noſtra propheticè prolatum exiſtimari. Quid magis modeſtè dici poterat? Pat. Romanus tamen, quia Abbas ille Ioachimus non ab omnibus habetur tanquam Propheta, & totus obſcurus & ænigmaticus eſt, & in nonnullis *falſus* & *fallens* à quibuſdam dicitur, contendit, incumbere Pat. Laymanno onus demonſtrandi, Ioachimum Abbatem in illis propheti js de laudibus & encomijs Societatis, non fuiſſe *falſum* aut *fallentem*; aliter ex eis teſtimonijs nihil probari. Vbi P. Romanus probauerit eiuſmodi onus incumbere Pat. Laymanno, qui modeſtiſsimè negauit, Societatem illud vaticinium ſibi applicare audere & ſolere, tum ego ſpondeo me pro Pat. Laymanno demonſtraturum, Abbatem Ioachimum illa Vaticinando *verum* fuiſſe Prophetam, nec *falſum*, nec *fallentem*.

Num. VIII.

SVMMARIA.

12. *Labores Societ. in Palatinatu ſuperiore conuertendo.*
13. *Non tendit Societatis inſtitutum ad aliorum Ordinum deſtructionem.*
14. *Quod ex alijs quoque Ordinibus multi inſiſtunt cum fructu conuerſioni animarum, non tollit, quin id Societ. faciat ex ſuo Inſtituto.*
15. *Ac proinde meritò Prælatos eſſe ſollicitos de fundandis Collegijs.*
16. *Cauſa cur Patri Laymanno demandatum fuerit ſcribere contra duos Authores, quos confutat Iuſt. defenſ.*
17. *Sed nihil.*

12. Paucis complectar, quæ P. Romanus non magis fusè quam confusè hoc numero exequitur. Non poteſt negare, Societatem hoc tempore peculiariter vocatam, & in hunc finem inſtitutam fuiſſe ad propagationem fidei Catholicæ, & hæreſes horum temporum debellandas, quia tamen

Pat. Laymannus varijs locis in *Iuſta Defenſione* contendit, debere applicari recuperatorum Monaſteriorum bona ad Gymnaſia, Scholas, & Academias, & Societatis Collegia. Primò duas mirabiles conſequentias hinc elicit. Prima eſt, quod ſibi contradicat, quoniam vult ex vna parte, nec fidem Catholicam in Germania feliciter propagatum, nec hæreſes debellatum iri, niſi Monaſteriorum bona transferantur in Seminaria & Collegia: ex altera fatetur, in Palatinatu Superiore, vaſta ſatis prouincia, ſex circiter annis antè quàm vllum Collegium aut Seminarium erectum eſſet, omnes incolas Catholicam Religionem profeſſos fuiſſe, & adhuc hodie profiteri. Ego verò à P. Romano quæro primum, ex quonam Ordine Religioſo fuerint quinquaginta illi Sacerdotes, qui Sereniſſ. Ducis Bauariæ, Principis Electoris non minus conſeruandæ, quam propagandæ Religionis ſtudioſi, rogatu, vaſtam illam non tam prouinciam, quàm frementum beſtiarum ſyluam intrarunt, & applicito diuinitus miſſo igne totam quanta quanta erat, incenderunt, & radicitus euulſis ſuperſtitionis fibris omnibus, nouale reddiderunt aptiſſimum diuini verbi ſementi excipiendæ, ex quâ lætiſsima virtutum omnium meſſis hodieque colligitur. dicat Pat. Romanus, quinam fuerint illi, qui vix exſpectato nutu, operi ſeſe promptiſsimè accinxerunt, qui *in labore & ærumna, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces,* huc illuc diſcurrendo, dies noctibus coniungendo, rerum omnium egeni, quâ docendo, quâ concionando, quâ diſputando, quâ Chriſtianis præceptionibus infirmiorem ſexum & ætatem imbuendo, quâ redeuntium ad fidem Orthodoxam confeſsiones excipiendo, maximam partem in incœpto præclariſsimo vitâ poſuère. Deinde ab eodem Pat. Romano quæro, an ſuauiſsimis diuinæ prouidentiæ rationibus conſentaneum eſſe exiſtimet, Catholicam fidem diu poſſe retineri ſine copia Catholicorum Doctorum, peritorum Curatorum animarum, induſtriorum Catechiſtarum; hi verò vndenam ſuppetere poterunt, niſi ex Seminarijs & Collegijs tanquã quibuſdam palæſtris, ne dicam equis Troianis? Meminiſſe deberet Pat. Romanus, in Eccleſiæ naſcentis exordijs, cùm infidelium maximus eſſet numerus, & ex Chriſtiana Eccleſia non pauci exiſterent, qui hæreſes docerent, ſcholas inſtitutas fuiſſe, in quibus fidei rudimenta, omneſque bonæ ſcientiæ traderentur. videat Euſebium *l.* 5. *Hiſtor. c.*10. *&* 11. *l* 6. *cap.*13. *Theodoretum l.*4.*c.*18. vel ſi hos pigeat legere, recordetur Lutheri aſſeclas, Melanctonem & alios, nulla re maius in Germania detrimentum attuliſſe rei Catholicæ, quàm ludis literarijs aperiendis, in quibus latini ſermonis elegantia, & docendi induſtria adoleſcentium ſimul & parentum animos allectos, dulci veneno peruerſiſſimæ doctrinæ propinato necabant.

13. Altera conſequentia eſt. Si Societatis inſtitutum eſt propagare fidem Catho-

Digitized by Google

Catholicam, & hæreſes horum temporum debellare, eiuſdem Societatis vocationem, & inſtitutum peculiariter tendere ad multorum Monaſteriorum bona, inuitis Ordinibus, occupanda. nam per Pat. Laymannum hic finis à Societate comparari non poteſt, niſi per hæc media, hoc eſt, per occupationem alienorum bonorum.

Quantò melius Pat. Romanus ita ratiocinatus fuiſſet. Societas IESV hoc tempore peculiariter vocata eſt & inſtituta à Deo ad propagationem Catholicæ fidei & hæreſes horum temporum debellandas, ad diuinam ergò prouidentiam pertinet, Societatis hominibus ex vna parte illa gratiæ dona & auxilia communicare, ſine quibus tanta res confici non poteſt, ex altera autem parte inſpirare Principibus viris, Cæſaribus, Regibus, Epiſcopis, Rebuspublicis, priuatis etiam hominibus, vt in ſua regna, prouincias, Diœceſes, Ciuitates, huius familiæ homines accerſant, domicilia attribuant, templa & Collegia ædificent, reditus ſufficientes aſsignent, vt ita ſeſe deinde totos in hæreticorum conuerſione, infidelium inſtitutione impendant. quis autem ſcit an diuinæ eiuſdem prouidentiæ opus ſit, quòd in tanta rei Chriſtianæ benè gerendæ occaſione, poſt ſubactos à Cæſare in tot prouincijs hæreticos, iniecerit hanc mentem & ipſi Romanorum Imperatori, & ſummo ſacrorum Antiſtiti, vt ex aliquot Monaſteriorum bonis, quæ *Vacantia* ſunt, & in quibus *nemo mortalium ius vllum obtinet*, ſed pertinent ad ipſorum liberam diſpoſitionem, locis opportunis aliquot Seminaria adoleſcentium, aliquot Societatis Collegia inſtituant, quę inſtar ſine arcium, & propugnaculorum, ad ſubiugatas prouincias in fide perpetuò retinendas? Si Pat. Romano hoc modo ratiocinari placuiſſet, næ ille ſe & bonum Dialecticum, & ſyncerum Societatis amicum probaſſet.

14. Eodem numero fol. 342. col. 2. verſu. *verum redeundo.* circa peculiare Societatis inſtitutum, (quam non diffitetur vocatam eſſe peculiariter ad hæreſum horum temporum extirpationem) obſeruat, *ſæpe accidere, vt ij Religioſi, quorum inſtitutum non adeò primariò & directè ad proximi curam tendit, longè habeant in hoc genere feliciores ſucceſſus ſpirante S. Spiritu quando, & vbi vult.* quia, vt ait fol. 343. col. 2. verſu. *nam ſcire debet.* multiplex eſt Dei vocatio in animarum ſalute procuranda. *Alia quippe eſt, quam largitur vi inſtituti communis, qua ratione ſaltem habitualiter omnes à Deo vocantur qui Religiones ad huiuſmodi finem inſtitutas ingrediuntur, alia eſt vocatio ſeu applicatio Perſonalis, per quam ex quocunque hominum genere Deus idoneos ſibi operarios deligit aut format.* Ex quibus infert, non eſſe præferendos PP. Societatis, qui ex inſtituto proximorum ſaluti intendũt, Monachis ſolitarijs, qui ſibi ſolis & Deo vacant: nec, quia ſe Profeſsi Societatis, vt ait fol. 344. col. 2. §. *dices fortè.* ſe quarto ſolemni voto obſtringunt ad obediendum Summo Pontifici in miſsionib. totius orbis, propterea exiſtimandum eſſe, ipſorũ potius opera vtendũ in conuerſione hæreticorũ,

 & re-

& regimine ſcholarum, tum quia capita Reipublicæ Chriſtianæ non obligantur hoc voto, tum quia Societatis inſtituto vehementer repugnat, vt docet ex Roderico fol. 345. col. 2. verſu. *vnde eſt.* Si quis applicationem huiuſmodi particularem in miſsionibus deſideret aut procuret: & hoc ipſum è diametro pugnat cũ indifferentia per Sanct. Ignatium Fundatorem tantoperè ſuis commendata. ac proinde non apparere ſubdit fol. 346. verſu. *itaque non apparet.* cum tantopere nonnulli è Societate (intelligit ni ſi fallor Pat. Laymannum) ſe ſcriptis fatigent, vt præfixam indifferentiæ metam tranſgredientes, miſſiones in Germania adeò affectent, vt etiam Regularibus antiquis ſua Monaſteria, & Epiſcopis Iura ſua auferre conentur, præſertim cum etiam Monachi, aut alij Religioſi, licet non omnes ſpiritu ſint Apoſtolico, vel talentis illis præditi, quibus animarum curæ cum ſingulari gratia valeant inſeruire, cæteris tamen in vinea Domini laborantibus, illi quaſi ad ſarcinas in recuperandis Monaſterijs remanſuri ſint orationibus inſtantes, vt *Paulo plantante, & Apolline rigante, Deus incrementum dare dignetur*: neque enim obſcurum eſt, vt docet ex eodem Rodericio folio 347. ſæpè contingere, vt qui putantur eſſe filij ſpirituales Concionatorum vel Confeſſariorum, verè ſint filij alicuius Coadiutoris aut alterius ſerui Dei, qui illos ſuis lachrymis & orationibus Domino pepererunt.

15. Ex quo toto diſcurſu P. Romani colligo, ſi Chriſtianæ Reipublicæ capita cogitent de Catholica fide in Germania hoc tempore propaganda per Idoneos miniſtros, non debere eſſe ſollicitos, quale hominum genus huic prouinciæ ex ſui inſtituti ratione aptius futurum ſit, quia nõ rarò accidit, *vt hi, quorum inſtitutum non adeò primariò, & directè ad proximi curam tendit, longè habeant in hoc genere feliciores ſucceſſus ſpirante S. Spiritu quando & vbi vult.* Proindè æquè prudenter facturos Cæſarem & Romanum Pontificem, ſi ad inſtituendam iuuentutem in Seminarijs & Collegijs, ad conciones habendas ad populum, & confeſsiones audiendas, ad ineundas concertationes de Chriſtianæ fidei capitibus cum hæreticis, cætera huiuſmodi, vtantur opera Monachorum pſalmodiæ & contemplationi ex inſtituto addictos, quàm Societatis, quæ peculiariter ad hæc munia obeunda vocata eſt. Itaque ſi Pat. Romanum audierit Auguſtiſſ. Cæſar FERDINANDVS Tertius, meditans fortè Religioſiſsimo atque Inuictiſsimo Parenti ſuo FERDINANDO SECVNDO Imperatori æneam ſtatuam Equeſtrem Viennæ in medio foro collocare, ad propagandam, etiam hoc modo in poſteros memoriam, poſt natum Imperium Principis incomparabilis; Non vocabit ex Italia Berninum, & Bononiam huius ætatis Praxiteles & Phidias, ſed figulum neſcio quem Fauentinum, qui caſu neſcio quo, dum ex argilla felem efformare ſatagebat, leporem finxit, ita ad viuum, vt Catellus illicò allatrare inceperit. Non temerè hoc dixi. ita

ita me docuit Anonymus ille Cauſidicus, quem ſibi Pat. Romanus tanquam Ducem in omnibus ſequendum in hac cauſa Monaſteriorum ſuſcepit. illius verba ſunt hæc. in *ſuſcepta Defenſione* pro Sac. Cæſ. Maieſtate, *quam. euenit frequenter, vt ſtatuarius, qui proprij ingenij ſagacitate artem addidicit, elegantius, celerius, feliciuſque ſtatuariam exerceat, illo, qui ſub magiſtro doctus quaſi per ſe & ex vi ſuæ inſtitutionis eandem artem perſequitur, tàm ſæpè accidit, vt ij Religioſi, quorum inſtitutum non adeò primariò & directè ad proximi curam tendit, longè habeant in hoc genere feliciores ſucceſſus ſpirante S. Spiritu quando & vbi vult.* Suadent ergò Pat. Romanus & hic Author Romano Pontifici & Imperatori, vt ad regenda Seminaria & Gymnaſia ad reductionem hæreticorum procurandam, præteritis Ieſuitis *qui omnes à Deo vocati ſunt ad Religionem ad huiuſmodi fines inſtitutam*, eligant Monachos, quorum *vocatio ſeu applicatio eſt tantum Perſonalis:* ac proinde ſcire nequeunt, quos Monachos prætereant, quos eligant, quid enim ſi quos fortè delegerint *Perſonalem vocationem* non habeant? Vno verbo ſuadent, vt Deum tentent. Sed nos his omiſsis veniamus ad examen paucorum, quæ reſtant. Præterea autem quod fol. 344. col. 2. ait doctrinam Pat. Laymanni falſam eſſe & erroneam, quaſi dixerit, non ſatis proſpectum fore eccleſijs particularibus, quantumuis alij Religioſi ſeu ex inſtituto proprio, ſeu perſonali vocatione à Deo delecti, egregiè in illis ſuam operam nauent, niſi Patres Societatis aduocentur. quia hæc & huiuſmodi ne per ſomnium quidem P. Laymannus cogitauit.

16. Eodem num. fol. 348. col. 1. verſu. *ex omnibus igitur:* quia P. Laymannus in *proœmio quarto* reddiderat cauſas, cur ſibi delatum fuiſſet munus ſcribendi contra duos illos Authores, quos confutat in *Iuſta Defenſione*, & dixerat vnam fuiſſe, quia illa controuerſia de Monaſterijs magnoperè pendebat ex Sacris Canonibus & Eccleſiaſtica praxi, ipſe autem Ius Canonicum publicè interpretabatur, alteram, quia non ſoleret vti calamo aculeato & qui offendere poſſet, & eſſet quadam morum ſimplicitate & candore præditus, vt facilè intelligere quilibet poſſet, aliud nihil niſi pacem & concordiam à ſe deſiderari, neque aliud quæri, niſi vt veritas atque iuſtitia defenſa eſſet, quibus de cauſis adductum addit ſe laborem detrectare non potuiſſe, cui deinde ſpatio trimeſtri finem impoſuiſſet. Ex hac Pat. Laymanni tam aperta ac ſimplici narratione colligit P. Romanus *eum ſuiipſius encomiaſten egiſſe, & palpum ſibimet duxiſſe, ac pruritui propriæ laudis nimium quantum indulſiſſe*, debuiſſe, ſi quid laude dignum præſtitiſſet, modeſtiæ inuolucro tegere potius, quàm contra ſapientis conſilium ſuo ſe ore laudare, cum præſertim ex hactenus demonſtratis, vt ſubdit ſeqq. numeris, toties in veritatem impegerit.

17. Nulla hæc, quæ obijciuntur confutatione digna iudico, prudens Lector ſuo calculo, niſi fallor, Pat.

Digitized by Google

Laymannum ab omni ſarrogantiæ ſuſpicione iam abſoluit. An verò ex diſputatis à P. Romano colligi ſatis poſſit, eundem P. Laymannum in veritatem impegiſſe, prudens Lector non facilè aſſentietur.

Num. IX.

SVMMARIA.

18. *Multa ait à ſe prætermiſſa Pat. Roman. quæ obijcere poſſet Pat. Layman.*

19. *Credat, qui volet, eum caruiſſe liuore, credi poteſt.*

18. Præterit alia plura, in quibus aſſerit Pat. Laymannum veritati, alijs, vel ſibimetipſi contradixiſſe, contentus hæc pauca, quæ per octo integras quæſtiones executus eſt, retuliſſe, quæ ſubdit, *à ſe abſque liuore & inuidia in gratiam veritatis prolata eſſe, ac ſperare videtur fore, vt P. Laymannus magna cum ſua laude demonſtratæ à ſe veritati calculum adiecturus ſit*: proteſtaturque, ſe P. Laymanni & illius ſimilium errores nullo modo Societati adſcribere, quam ſciat ſapientioribus & ſanctioribus Inſtitutis deditam & occupatam eſſe, & cuius doctiſſimi Theologi ſuis ſcriptis nil aliud agant, quàm, vt cuique ſuum tribuatur, vt errores ac vitia eliminentur, Chriſtiana Charitas & virtutes mortalium animis inſerantur & conſeruentur.

19. Credat, qui volet, à Pat. Romano fuiſſe quicquam prætermiſſum in quo P. Laymannum cenſuerit *veritati, alijs, vel ſibi ipſi contradixiſſe*. Singularis illa diligentia, & ſtudium, quo non ſolum *Iuſtam Defenſionem*, ſed quæcunq; opera à P. Laymanno profecta euoluit, vt haberet, quod carperet, me contrarium credere non ſolum ſuadent ſed cogunt. Habuiſſe illum, dum hæc ſcriberet, *procul liuorem & inuidiam*, aſſentior. iniuriam enim facerem viro Religioſo & Sacerdoti, niſi aſſentirer. Quod errores Pat. Laymanni atque ipſius ſimilium Societati non adſcribat, prudenter facit, dum ita loquitur; verum, cùm hæc proteſtatio magnopere ſit contraria facto, iubet me Iuriſconſultus aſſenſum cohibere. Porro, ſi quis eſt inter Theologos Societatis, qui ſuis voluminibus id agat, vt cuique ſuum tribuatur, vt errores ac vitia eliminentur, Chriſtiana Charitas & virtutes mortalium animis inſerantur & conſeruentur, in his nomen profitetur ſuum Pat. Laymannus, nec vllus prudens, qui eius monumenta percurrerit, inficiabitur.

Num. X.

SVMMARIA.

20. *P. Rom. gloriatur ſe veritati facem accendiſſe.*

21. *An verè, Lector iudicabit.*

20. Ait, ſe huc vſque *Ius antiquorum Ordinum ad ſua Monaſteria recipienda ſatis proſecutum fuiſſe, Summos alioſq. Principes ac Prælatos in lucem veritatis aſſeruiſſe: nihil deſeruiſſe de vtilitate conſecutura, ſi videlicet Monaſteria ſuis quæque Ordinibus reſti-*

reſtituantur, cùm, ipſo P. Laymanno teſte, appareat, per benignißimam Dei miſericordiam præter ſæculares Sacerdotes, variorum Ordinum Religioſos in dies augeri, & ad hoc hæreticos cõuertendi officium idoneos ſubmitti: repetit ergò ſolùm, ſi opus eſt Academijs & Collegijs, cùm nomine Collegij (qualia fundari deſiderantur) intelligantur etiam Collegia aliorum Religioſorum, vt idem P. Laymannus aſſerit, operam ſuam offerre Ordinem S. Benedicti, præcipuè cum munus iſtud non ſit nouum, eodem P. Laymanno teſte pluribus locis.

21. Equidem non video *iſtam lucem*, in *quam P. Romanus gloriatur, aſſertos à ſe fuiſſe Summos, alioſque Principes ac Prælatos.* de vtilitate conſecutura, ſi Monaſteria ſuis Ordinibus reſtituantur, non dubito. nec diffiteor, ex alijs quoque Religioſis Ordinibus ſubmitti poſſe idoneos ad Hæreticos conuertendos: Ordinis autem S. Benedicti oblationem ad regendas Academias & Collegia, quantum pot eſſet, laudare, non poſſum. Supereſt tantum, vt ij, ad quos pertinet, Romanus Pontifex & Imperator, & Locorum Ordinarij, in quorum poteſtate eſt de bonis recuperatorum Monaſteriorum ad maiorem Dei cultum & gloriam & Catholicæ Religionis propagationem diſponere, ſtatuant, quorum hominum potiſsimum opera vti velint: me verò & Pat. Romanum, imò, & cæteros omnes, æquum eſt venerari quidquid à Summis Chriſtianæ Reipublicæ Capitibus decretum fuerit.

Num. XI.

SVMMARIA.

22. *Concludit nullam eſſe rationem, cur Monaſteria ſuis Ordinib. non reſtituantur, ſi Catalogus tot translationum inſpiciatur.*

32. *Catalogus euincit, iure fieri poſſe eaſdem translationes.*

22. Claudit hanc Quæſtionem proponendo, *nullam ſubeſſe rationem cur antiquis Ordinibus ſua Monaſteria ſubtrahantur, ſi inſpiciatur ingens ille Catalogus in Appendice* Iuſtæ Defenſionis, *in quo tot Cœnobia hucuſque Religionibus adempta, leguntur: ſubeſſe potius cauſam plura deinceps non adimendi*, præſertim vt Societati tradantur, *cui plurima hoc tempore in Germania fundationes fiunt, paucißima & vix vlla Ordinibus antiquis, vt non debeat propterea Societas adhuc in Germania propagari cum derogatione Iurium & bonorum antiquorum Ordinum. Si Societas tamen augeri cupiat, ſperet diuinam prouidentiam non abfore, ſicut non deeſt occaſio laborandi: vitet ſcandala, quæ oriuntur, dum tam cupidè de alienis bonis inuadendis ſtylo concertatur*, & plura in hanc ſententiam, quæ libentius fortaſsè quiſpiam apud ipſum P. Romanum ornatiſsimè perorantem leget.

23. Catalogus ille Monaſteriorum euincit, vt ſuo loco demõſtraui, nullam iniuriam fieri antiquis Ordinibus, nullam vim inferri pijs teſtatorũ fundationibus, ſi bona Monaſteriorũ *vacātia*

præ-

præſertim in his circumſtantijs legitima Authoritate ad alios Ordines transferantur, quo caſu antiquis *nullum Ius eripitur*, cum nullum habeant. cæterum quod nos Pat. Romanus peramanter hortetur, vt diuinæ prouidentiæ fidamus, quæ nuſquam abeſt, & *dat eſcam filijs coruorum inuocantibus ſe, & paſcit lilia campi & volucres cæli*, eſt cur illi ingentes gratias (quod ex animo facimus) & habeamus & agamus. Scandalorum materiem ſperamus nullam ſuperfuturam, ſi quæ ex P. Laymanni mente hactenus expoſui, æquus Lector ſine affectu attentè legerit, & ſuis omnia momentis, non præiudicatis opinionibus, expenderit.

THEO-

Digitized by Google

THEORICA
NONÆ QVÆSTIONIS.

An à P. Laymanno rectè probatum fuerit duo Opuſcula eſſe famoſos Libellos.

NOn potuit hactenus P. Romanus oſtendere, non iuſtè fuiſſe à P. Laymanno defenſos Romanum Pontificem, Cæſarem, S. R. E. Cardinales, locorum Ordinarios, S. R. I. Principes, Antiquos Religioſorum Ordines, deniq; Societatem IESV. Demonſtrare ſaltem cuperet, non fuiſſe probatum, duos Libellos, nempè Suſceptam Defenſionem, *&* Diſceptationem *in cauſa Monaſteriorum, eſſe Libellos famoſos; vt, quoniam eidem P. Laymanno laudem boni Aduocati adimere nequiuit, eripiat ſaltem legitimi Accuſatoris, & notam Calumniatoris inurat. Vereor tamen, vt conatui Succeſſus reſpondeat: licet ille verſet ſe in omnem partem, vt Lector contrarium ſibi perſuadeat.*

SVMMARIA.

1. *Potuit huius quæſt. Theorica omitti. non factum, vt P. Laym. liberetur à crimine calumnia.*
2. *Neceſſaria ad libellum famoſum* C.c.vlt.
3. *P. Rom. negat, eos libellos continere infamiam Societ.*
4. *Demonſtratur continere multiplicem.*
5. *Duo libelli fuerunt toto Imperio ſparſi.*
6. *Et dolo malo, atque ex intentione nocendi ſcripti, licet Pater Romanus neget.*
7. *Nec cauſas habuere illorum Auctores ſcribendi.*
8. *Ac licet habuerint, non habuerunt contra Societatem, quam lacerarunt.*
9. *Sed nullas omninò habuerunt.*

1. Equidem decreueram ſuperſedere examine huius vltimæ Quæſtionis, quippe quæ nihil penitus pertineat ad Controuerſiam noſtram: induxi tamen animum, vt aliquid dicerem: ne vel minima ſuſpicio hærere cuiquam poſſit, à P. Laymanno homine religioſiſſimo ac modeſtiſſimo quicquã per calumniã fuiſſe confictum. Quidquid in tam multis à P. Romano diſputatis hac de re aliquid ponderis (quod ſanè perexiguum eſt) habere videtur, breuiter ſub aſpectum ponam, & confutabo.

2. Conuenit ergò illi cum P. Laymanno ad *libelli famoſi* rationem tria eſſe neceſſaria. Primum, vt id quod obijcitur ſcripto aliquo, infamiam, ſeu bonæ exiſtimationis imminutionem creare poſſit. Secundum, vt Scriptura euulgetur. Tertium, vt id dolo malo, ſeu ex nocendi propoſito fiat: & augeri hanc iniuriam maximè, ſi crimen quod obijcitur, aliuduè exiſtimationem lędens, falſum & confictum ſit. Quibus ſuppoſitis probare nititur, nullam ex his conditionibus ineſſe duobus illis libellis, quos P. Laymannus famoſos vocat. Perpendamus ſingula.

3. *Nihil*, inquit, *eſt in duobus illis libellis, quod contineat infamiam, aut lædat exiſtimationem Societatis. Etenim ad ſummum in ijs habetur, non ſemper infallibiles eſſe ipſius conatus in Hæreticorum conuerſionibus. Non adeò eiuſdem inſtitutum præ cæteris Ordinibus excellere, quin remiſſioni & diminutioni feruoris aliquis locus concedatur. Eſſe Societatem eiuſdem conditionis, cuius alij ſunt Ordines, vt procedente tempore obſeruantia Regularis nonnihil obſcuretur.*

4. Ain verò P. Romane, nihil aliud continere duos illos libellos præter iſta pauca, quæ videri poſſint de Societatis bona exiſtimatione detrahere? Non legiſti ergò aut amico oculo diſſimulaſti, quæ nemo non grauia eſſe exiſtimat: nimirum, leue eſſe videtur P. Romano aſſerere. 1. Nonnullos è Societate nimio erga proprium inſtitutum amore, Ordines antiquos ſuos Fautores & Fundatores cum ingratitudine proſcriptum & exterminatum ire. 2. Societatem ſub prætextu publici boni aliorum Eccleſiaſticorum bonis & prouentibus inhiare, & hunc titulum vbique ſuis conatibus prætexere. 3. Putare, ſe inueniſſe modum conuertendi Orbem, quem Spiritus Sanctus ignorauerit, aut Eccleſię inſpirare non potuerit. 4. Multos annos verſari Patres in miſſionibus, eoſque cum exiguo fructu perdere, idque teſtari Donauerdam, Ratiſbonam, Auguſtam, Poſſonium, & Bohemiæ regnum. 5 Non magis deberi recuperata monaſteria Ieſuitis, quàm Hæreticis. 6. Cùm omnia, quæ requiruntur ad extirpandam hæreſin, & firmandam pietatem Catholicam, etiam ipſius Patribus abſentibus adſint: non eſſe opus Societate: & illorum operâ vti velle, nihil eſſe aliud, quàm currui quintam rotam addere. 7. Nil penſi habere Societatem maledictiones Fundatorum, dummodo ſub quocunque colore inuerſum eant antiquæ fundationes. 8. Subeſſe cau-

ſas

ſas, cur Principes decernant in præſentia, ne Societas bonis Monaſticis incraſſata, impinguata, dilatata recalcitrare poſſit. 9. Si hodie Fundatores rediuiui orbem luſtrarent; futurum, vt non ſolum nullum Monaſterium Societati traderent, ſed ab eâdem illa ipſa, quæ iam occupauit & occupare non deſinit, (vt paſſim agunt per falſas informationes ac ſuggeſtiones, & temerè iniectos ſcrupulos per Principum Confeſſarios) vna cum aliquibus Collegijs, quæ loco vſuræ eſſent, repeterent, quibus S. ipſe Ignatius ſuffragaretur, qui amorem & venerationem erga antiquos Ordines ſuis ſemper, non prædationem inſtillauit. 10. Societatem, quæ adhuc in pubertate ſua virere, florere, ac primæuum vigorem & ſplendorem retinere deberet, iam languere, deficere, & interitum ſpectare videatur. Leue etiam videtur eſſe P. Romano Societatem comparare cum furibus, & cum illa meretrice, quæ coram Salomone legitimæ parenti dicebat, *nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur*. Leue, quod obſeruatum ſit in quibusdam locis, Hæreticorum conuerſionem difficiliorem eſſe factam Societatis aduentu. Leue quod in Gymnaſijs & ſcholis multi Monachi ſtudioſi ſuos Magiſtros è Societate ſuperent, & erroris conuincant. Leue, quòd Societas in ſuis Academijs plura numeret ſcamna quàm Auditores. Hæc inquam omnia, quæ tamen leguntur in duobus illis libellis (nec tamen cuncta numeraui) P. Romano non videntur Societatis infamiam continere, neque vllo modo eiusdem exiſtimationem lædere. Flagitia, credo, ſacrilegia, rapinas, lenocinia, homicidia, proditiones, inceſtus, & quæ calamus refugit ſcribere, ſunt ſolùm eiuſmodi P. Romani iudicio, quæ Ordinem religioſum in Eccleſia non antiquum (cui ſummoperè neceſſaria eſt bona fama & exiſtimatio ad ſua miniſteria obeunda) infamant. Prudenter P. Romanus non reſpondit quicquam, quo enumeratas hactenus calumnias leues eſſe oſtenderet, quia nihil proferre poterat, quod vel in ſpeciem probabile foret. Haud ſcio, an æquè prudenter egerit, dum tam *calidè*, vt ipſe loquitur q. 4. n. 52. defendendos ſuſcepit duos hoſce libellos, meminiſſe debuerat, quam ille pœnam comminatus fuerit P. Laymanno, eo quod ſolùm nominauerit *Virum Clariſſimum*, Authorem illarum *Animaduerſionum*, quibus videbantur perſtringi Cæſaris Conſiliarij. An non & ipſe P. Romanus merito compelli poteſt *ſubire pœnam Editorum & palam approbatorum libellorum famoſorum*, qui non tantum eos approbat: ſed ex profeſſo defendit, imò etiam penè verbatim in ſuum *Aſtrum Inextinctum* tranſtulit. Sed de his ſatis, non poteſt negari *ſuſcepta Defenſioni*, & *Diſceptationi* primam conditionem ineſſe, re enim vera continent *infamiam & imminutionem bonæ exiſtimationis* Societatis.

5 Neque deeſt ſecunda. Duo enim illi libelli per totum imperium diſſeminati fuerunt, & ridicula eſt reſponſio P. Romani: tum (quia P. Laymannus dixerat diligenter cautum fuiſſe

Digitized by Google

ſub graui obligatione in Conſcientia teneantur transferre quam plura Monaſteria, quæ tamen de iure & ſecundum fundationes earundemque varias confirmationes, priuilegia, & Concordata Germaniæ, &c ad antiquos Ordines pertinere noſcuntur. ex quibus etiam apparet, eoſdem Ordines grauiter lædi, non ſolũ in honore, ſed etiã in bonis ſuis, ſibique debitis, & in ſucceſſione ac poſteritate.
7. Si hac tam vera eſſent, quàm doloſé conficta: Authores illorum libellorum aliqua venia digni forent. At duo illi Theologi ne per ſomnium quidem in hanc ſententiam locuti ſunt. Voluerunt tantum, cum Monaſteria recuperata, ſint *bona vacantia* ſubiecta liberæ diſpoſitioni Cæſaris & Pontificis, & grauiſſima ſit neceſſitas prouidendi, ne vnquam deſint qui conuerſioni Hæreticorum, Catholicæ Religionis propagationi, Iuuentutis inſtructioni inſiſtant: ac proinde nouæ videantur inſtituendæ Parochiæ, noua Seminaria & Academiæ fundandæ: nec aliundè ſuppetat ratio, quâ hæc, quæ magnos deſiderant ſumptus, executioni mandentur: conſultiſſimum eſſe, ſi aliqua ex Monaſterijs recuperatis, & quidem tenuiora & obſcuriora, aſſignarentur Societati IESV, quæ ex peculiari ſuo inſtituto prædicta omnia munia obire ſolet, & quæ in Germania potiſſimum per integrum ferè ſæculum ſuam in hoc genere diligentiam, fidem, ſedulitatem, induſtriam probauit. Quis vnquam aſſeruit antiquos Ordines eſſe indignos, quibus ſua Monaſteria reſtituantur, & ſi reſtituerentur, *id bona Conſcientia, & inoffenſo Deo factum non iri?* Nimis delicatus eſt Pater Romanus, ſi hæc redundare iudicat in antiquorum Ordinum iniuriam, quæ ſit obiectione atrociſſimorum criminum (qualia in duobus illis libellis leguntur contra Societatem) vindicanda. Nam quod addebat, antiquos Ordines læſos fuiſſe in bonis ſuis, ſibique debitis ex Fundationibus, Priuilegijs, Concordatis Germaniæ, &c. noua confutatione non indiget, cùm demonſtratum ſit nullum ius eiſdem competere ex vllo capite.
8. Sed faciamus, à duobus illis Theologis aliquid fuiſſe dictũ, quod quoquo modo antiquorum Ordinũ exiſtimationem offenderet, quorum tamen poſterior, qui eſt è Societate, ne verbum quidé habet, quod ipſa Calumnia ad Ordinum Religioſorum vituperationé trahere poſſit: ex qua regula Iuris P. Rom contendit, licuiſſe Authoribus duorum iſtorũ libellorum Societatis innocentis famam proſcindere, eamque in inuidiã omnium Ordinũ tàm iniurioſè vocare? An ipſa Societas luere debet pœnas, ſi prior ille Theologus, qui è Societate non eſt, plus nimio (quod tamé non fecit) Societatis Inſtitutum, operã, induſtriã laudauit? At *Societas a eteris Religionibus antelata ad mediocritatẽ debitã redigẽda erat, non ſolũ extoll. ndo Monachorum vi. a rationem, laborem, Apoſtolatus, Encomia, ſed etiam in publicum producendo aliquot eiuſdem Societatis vitia & defectus, vt hac ratione*

 intra

Digitized by Google

intra modeſtiæ cancellos ſe contineret. Ego verò neſciebam, id datum eſſe negotij Cauſidicis Monachorum, vt erga Societatē, munere quaſi magiſtri Nouitiorum fungerentur, ſuppeditarentque materiam Chriſtianæ humilitatis exercendæ. Non indigebat profectò Societas hac ſaburrâ, ne ſe pateretur in altum ſuperbiæ flatibus deferri. Satis moleſtiarum habet, per Dei gratiam vbique terrarum, quibus depreſſa, non poſſit *altum ſapere*, ſed littus legat, ſuaque ſe Conſcientia inuoluens, ſi quid boni agat, totum Deo tribuere, nihil ſibi, conſueſcat. 10. Illud etiam nonnihil examinandum eſt, quo iure duo illi Auctores *Suſceptæ Defenſionis* & *Diſceptationis*, quorum prior expreſſè profitetur, ſe non eſſe Monachum, vt repellerent vim ſibi à Societate non illatam, tam acriter in Societatem incurrerint: an Monachorum rogatu, an iuſſu, an ex charitate? *Charitas non agit perperam, non reddit malū pro malo*: & poſito, quod illis etiā aliquid ex Charitate licuerit: quâ fronte dicere poſſet ſe id egiſſe *cum moderamine inculpatæ tutelæ*, nec plus damni Societati intuliſſe, quam conceſſa defenſio requireret? qui pro moderata neſcio quâ commendatione Inſtituti Societatis (quam imaginantur redundare in aliquam depreſſionem Monachorum) tot plauſtra contumeliarum ac conuitiorum in Societatem effuderunt? comparando illam cum *Latronibus & Vſurpatoribus* rerum alienarum, illique affingendo crimina, quæ ipſis etiam Sicarijs pudenda eſſent. Finio, nimis arduam prouinciam ſuſcepit Pater Romanus, vt oſtenderet, non eſſe famoſos libellos *Suſceptam Defenſionem* & *Diſceptationem* in hac cauſa Monaſteriorum: multò duriorem, dum excuſare etiam nititur tot doctrinas erroneas & periculoſas, tot ſacræ Scripturæ abuſus, tot mendacia, tot falſationes, & allegationes falſas aut impertinentes, tot dolos denique ac ſugillationes, quot duo illi libelli, præſertim *Suſcepta Defenſio* ſcatent. Nec mihi eſſet difficilè oſtendere nullum excuſationi eſſe locum. Prudens Lector, ſi vel tantum percurrat: ſuo ſuffragio damnabit.

Hæc habui, quæ *de Monaſterijs non neceſſariò antiquis Religioſorum Ordinibus reſtituen*[illegible], pro Patre Laymanno reſponderem Patri Romano, cui, ſi non omnia, quæ dixi: placituram ſaltem ſpero meam & in ipſius Argumentis proponendis fidem, & in refellendis moderationem Si quid tamen excidit imprudenti quod eius animum pupugerit: indictum volo. Si meminerit quàm à ſe non vno loco (vt leuiſſimè dicam) inclementer habitus fuerit Pater Laymannus: facilè diſcet ignoſcere. Poſthac non Apologijs, ſed officijs certemus. Licet enim verum ſit cum Iudiciorum diſſidio ſtare poſſe voluntatum conſpirationem: non tamen negari poteſt, longè ſuauiorem concentum & Deo, & hominibus gratiorem exiſtere, ſi vtraque hæc conſentiant. Ne anteuertamus nos, qui priuati ſumus, noſtri prærogatiua ſuffragij

gij ſummorum in Chriſtiana Republica Principum Sententias ac Decreta. Nouit Cæſar Supremus Eccleſiarum Aduocatus, nouit Romanus Pontifex bonorum omnium Eccleſiaſticorum Adminiſtrator, quid ſibi in hac Monaſteriorum cauſa liceat, quid his rerum circumſtantijs expediat. Decet nos, quicquid ab illis diuinæ poteſtatis in terris Vicarijs geſtum fuerit, ſingulari quadam animi demiſſione venerari.

Laus *Chriſto Redemptori*, in cuius *Aſcenſionis* feſto cœpi, & *Deiparæ Virgini*, in cuius *Aſſumptione* deſij ſcribere, Anno 1639. Coloniæ.

FINIS.

Digitized by Google

Errata potiora ſic corrigito.

Pag. 19. *lin.*7. *pro* iuribus, *lege* viribus. *pag.* 30. *lin.* 18. *pro* immunitum *lege* imminutum. *pag.* 38. *col.* 2. *lin.*15. *pro* extra Germaniam *lege* in Germania. *pag.* 35. *col.* 1. *lin.*8. *pro* Ad *lege* An. *pag.*52. *col.*2. *lin.*5. *pro* eſſe Monaſt. *lege* eſſe è Monaſt. *pag.*55. *col.*2. *lin.* 25. *pro* vnicum *lege* vnitum. *pag.*64. *col* 1. *lin.*35. *pro* & ipſa *lege* & ſi ipſa. *pag.*72 *col.*1. *lin.*23. *pro* Baldus eo loco, *lege* Baldus alio loco, id eſt, in Proœm. ff. *ibid. lin.* 4. *à fin. pro* ſi ciuitas, *lege* niſi ciuitas. *ibid. col.*2. *lin.* 16. Baldi mens eſt, *dele* eſt. *ibid. poſt verba* à P. Romano, *adde* eſt explicanda per hunc, vt *pag.*90. *col* 2. *lin.*30. *pro* vlla *lege* nulla. *pag.* 103. *col.*2. *lin.*39. *pro* iſta *lege* ita. *pag.*104. *col.*2. *li.* 40 *pro* excommunicationem *lege* communicationem. *pag.*109. *col.*1. *lin.*2. *pro* annus *lege* annuos. *pag.* 119. *col.* 2. *l.*5. *pro* ſupprimur *lege* ſupprimi. *pag.*120. *col.*2. *l.*12. *dele* eſt *pag.*129. *col.*2. *li* 16. *pro* recuperanda *lege* redintegranda *pag.*137. *col* 2. *l* 8. *pro* animos *lege* annos. *pag.*158. *col.*1. *lin.*27. *pro* rogare *lege* negare. *pag.*170 *col.*1. *li.*22. *pro* à priori modo *lege* hoc modo. *pag.*171. *col.*1. *li* 36. *pro* Prælati *lege* relati. *ibid. col.* 1. *lin.*27. *dele* à. *pag.*172. *col.*1. *lin.*13. *pro* attenti *lege* aſſenſi, *pag.*83. *col.*2. *li.*21. *pro* alternis *lege* alterius. *pag.*190. *col.*1. *lin.*8. *pro* fallent *lege* fauent. *pag.*203. *col.*1. *li.* 33. *pro* Profeſſionibus *lege* Profeſſionis. *pag.* 207. *col.*1. *li.*14. *dele* vt. *pag.* 211. *col.* 1. *l.* 14 *pro* ſublimatur *lege* ſubſumatur. *pag.*228. *col.*1. *li.*1. *pro* tamen *lege* tam. *pa.* 232. *col.*2. *li.*31. *pro* fieri voluntatem *lege* fieri contra volun. *pag.*239. *col.*2. *lin.*8. *pro* taſu *lege* caſu. *pag.*260. *col.*1. *lin.*15. *pro* inquam *lege* iniquam. *pag.*263. *col.* 2. *lin.* 36. *pro* pares *lege* partes.

Cætera, ſi quæ ſunt leuiora, beneuolus Lector facilè corriget.

Digitized by Google

INDEX ASTRI INEXTINCTI
Theoricas breuiter indicans.

ABbatia, *vide Titulus.*

Abbas Sponſus, & Paſtor pag. 65.74

Abbas non habet Ius ad monaſterium, in quo nō eſt profeſſus, 40. 57

Abbate mortuo non vacat Monaſterium, niſi ſecundum quid, 76

Abbates & Religioſi antiquorum Ordinum quomodo non offenſi, ſed defenſi à P. Laymanno, 259

Abbates non exempti ſubijciuntur Epiſcopis, 280

Abbates priſci non habebant Iuriſdictionem, 280

Abbatum poteſtas à P. Laym. & P. Forero in vtramque partem diſputata illis non derogat, 281

Actio v. *Ius agendi*

Actio quid, & quotuplex, 11

nec Realis, nec Perſonalis datur antiquis Ordinibus Monaſteria quondam ſua repetentibus: poteſt tamen illis concedi Actio quædam popularis, 13. 40. 57.58. 60.249.260

nemini propriè Actio datur ad extincta Monaſteria iure Dominij repetenda, niſi forte Pontifici, & Epiſcopo ratione Iurium peculiariū, quibus ſpoliati ſunt, 93. 124

Quiuis poteſt agere pro extinctis Monaſterijs nomine vniuerſalis Eccleſiæ ſpoliatæ, 124.205

Animaduerſiones

in cauſa bonorum Eccleſiaſticor. & Monaſteriorum extinctorum Germaniæ, per modum alicuius Conſilij, ſeu Reſolutionis oblata, 243

Autor harum quidam Clariſſ. & rerum Germanicarum peritiſſimus Theologus cum P. Layman. illum defendente innocenter calumnijs grauiſſimis afficitur, 243.247

Aſtrum inextinctum

Quid nominis, & rei exponitur in Epiſt. dedicat. Liber ſic inſcriptus qualis ſit: quando, & quomodo in lucem prodierit, 7.13.37

Hoc libro non tantum Societas Ieſu. ſed vniuerſa Eccleſia, in primis Pontifex & Cæſar obſcurati demonſtrantur in Theoricar. epiſt. dedicatoria.

Aſtrum inextinctum extinctum ſufficienter in Cenſura P. Laym. non denuo extingui, ſed extinctum oſtendi debuit in his Theoricis, 2.37.

Aſtri inextincti Theorica quando conſcripta: in epiſt. ded. quando capta, quando finita, 303

cur ſic nominata. 4. *ſunt nouem, iuxta totidem Aſtri inextincti Quæſtiones,* 7

Barberinus Cardinalis

per literas ſignificat Cardinali Pallotto tunc apud Cæſarem Nuntio Apoſtolico, Monaſteria, de quibus agitur, cenſeri extincta, quorum diſpoſitio ſpectet ad Pontificem, 91

S. Benedictus

non eſt Donatarius, vel Dominus Monaſteriorum Benedictinorum, 97. *nec eſt caput Ordinis Benedictini,* 106

S. Bonauenturæ

notabilis doctrina pro transferendis ad Or-

Q q dines

dines alios , etiam ad Societatem Ieſu, Ordinum antiquorum Monaſterijs, à P. Rom. euerti non poteſt, 149

Canonia Monaſtica ſeu Monachatus

Quid ſit, 8. 61. quomodo determinet Monachum ad vnum Monaſterium, 61

S.R.E. Cardinales

iuſte à P. Laym. defenſi, 252. Card. Richelieu non eſt offenſus ab illo, 253

Cardinales laudantes Imperatoris Cõſilium in reſtituendis Eccleſiæ bonis ademptis, non examinarunt an Monaſteria iure Monachis debeantur, 203

Cardinales aliqui rectè vocantur à Pontifice Filij, 286

Congregatio de propaganda fide

iudicat extincta Monaſteria in alios vſus eſſe transferenda, 253

Clementis VIII.

Diploma nihil facit ad præſentem cauſam, 196

Collegium

quomodo conſeruetur, deſtruatur, deſeratur, diſſoluatur, extinguatur, 48. 64

Collegij diſſolutio malè diſtinguitur in Diſſolutionem Iuris, & Facti, 66

Concilium Trident.

agens de vacantibus Eccleſijs malè allegatur pro extinctis Monaſterijs, 78

vetat Parochias vniri Monaſterijs: cupit ex bonis Monaſterior. etiam inextinctorum iuuari Seminaria Parochorum, 159. 161. 184

Couarruuiæ

teſtimonium circa Fundatorum extremas voluntates interpretandas, notabile, 166.

Deuolutio

quid propriè, quid impropriè ſignificet, 44. propriè dicta non habet locum in Monaſterijs omnino extinctis, 56. 255.

Dignitas

eſt præeminentia in gradu cum Iuris dictione, 8. non moritur, niſi Collegium extinguatur, 74

Diſceptatio placida

cuiuſdam Anonymi conſiderantis Rationes pro non transferendis Monaſterijs, 126. à P. Rom. perſtringitur, 188. & alibi.

Diſceptationis ſolidæ, ac modeſtæ

Autor P. Laym. negat ſe Autorem præfationis appoſitæ, 212

Dominium

immediatum penes Monachos eiuſdem Monaſterij , & mediatum penes Eccleſiam vniuerſalem , conceditur: mediatum penes Ordinem in communi , quod ſubalternum vocant, negatur, 8. 10. 101

Dominium ex Iure vocis paſſiua non infertur, 98

Eccleſia

Monaſtica cur dicatur non numerata, 10. diſcrimen inter Numeratam , & non Numeratam, quoad titulorum vacationem aut extinctionem, 65

Eccleſia ſecularis poteſt fieri Regularis, & hæc ſecularis, 148. Eccleſia Parochialis fieri poteſt Monaſtica , & hæc Parochialis: prius à P. Rom. per Hoſpitalitatẽ excuſatur, poſterius ab eodem negatur: ſed in neutro ſatisfacit grauiter aberrans, 154.

Diſcrimen inter Eccleſiam Vniuerſalem, & Ordinem Monaſticum, in ratione Spolij, Iuris, Actionis, & Dominij, 136. 230

Eccleſia vniuerſalis an. & quomodo per Monachorum, vel Clericorum Apoſtaſiam, dicatur ſpoliari, 206

Eccleſiaſtica Bona

primitus non pro Monachis, ſed pro Clericis inſtituta ſunt, 184. hereditario Iure non proueniunt, 57. 127. transferri poſſunt ad populares, & humanos vſus, 178. 184.

Eccleſiæ Bona vacantia

quæ dicantur, 40. *quomodo ſimul vacent, & poßideantur ab Eccleſia*, 82. *an, & quomodo Bona, & Iura poßint eſſe ſimul Vacantia*, 83

Vacantia bona non ſunt in ſola cuſtodia, ſed in libera diſpoſitione Fiſci, 90. 85. 126. 146.148

R.P.F. Emmanuel Rodriquez

aberrans grauiter circa Inſtitutum Societatis Ieſu, facit grauius aberrare P. Romanum, 116

Epiſcopi S.R.I. Principes

iuſtè à P. Laym. defenſi, 254. *non repugnāt Pontifici quoad Monaſteria extincta in alios vſus transferenda*, 214.244

Epiſcopus mutare poteſt legatū ad vſum Eccleſiæ minus neceſſarium in alium magis neceſſariū, 169. *non poteſt in Monaſterijs, etiam vacantibus, inſtituere Clericos ſeculares, abſq; conſenſu Papæ: an Regulares poßit, Canones non definiunt*, 256

Epiſtola Dedicatoria

huius Libri Theoricas initias Ferd. III. Caſ.

Famoſi duo libelli

quorum alter ſuſcepta Defenſio, alter Diſceptatio in cauſa Monaſteriorum inſcribitur, à P. Laym. iuſtè confutati, à P. Rom. iniuſtè tanquam non Famoſi defenduntur, 297

Ferdinandus II. Imperator

iuſtè à P. Laym. defenſus 208. *diuerſos habet titulos ad extincta Monaſteria ſeu trāſferenda, ſeu reſtituēda*, 22.25.220.224

Edicto ſuo repetit extincta Monaſteria, iubens, vt ijſdem de vtilibus, iuxta fundationem legitimè vocatis, ac qualificatis perſonis prouideatur, 27. *nunquam intendit, ne quidem in hoc ſuo Edicto decidere Quæſtionem Iuris, cui ſint Monaſteria reſtituenda*, 208.210.233

eſto, in varijs Reſcriptis egerit de Monaſterijs Ordini ſuo reſtituendis: nunquam tamen egit de illis, tanquam neceſſario reſtituēdis, 210. *nec adiecit, quam affingunt, clauſulam: Ne qua in antiquis fundationibus mutatio fiat*, 211.

Huiuſmodi Edicta ſeu Reſcripta de Monaſterijs Ordini ſuo reſtituendis non ſunt à Iure aliena, nec obreptitia, nec vllatenus arguenda, niſi propter ſeptem Rationes eis præter mentem Cæſaris inſertas, 227. *nec aliquid continent, vnde probetur, Monaſteria extincta transferri non poſſe in vſum Societatis, vel alium ſimilem*, 212

Imperator Maiores ſuos in Edicto laudat, non quod de Iure, ſed quod ſecundum æquitatem Monaſteria ſuis Ordinibus reſtituerint, 216

non tenetur ex Iuſtitia reſtituere ſuis Ordinibus extincta Monaſteria, 218. *nec illius Conſiliarij de Iure, ac neceſſario eſſe reſtituenda, vnquam decreuerunt*, 215. 240

Imperator plus Iuris habet in Monaſteria Vacantia, ſeu extincta, quam non vacantia, ſeu inextincta, 211.260

Imperij ſtatus à quibuſdam Abbatibus dependens non deſtruetur per Monaſteriorum extinctorum legitimam tranſlationem, 22.34

Fundatorum voluntas

Monaſteriorum legitima tranſlationi non repugnat, 21.28. 33. *quomodo ſit conditionata*, 168.169.172. *quomodo per Interpretationem vel Epijkiam mutabilis*, 161.199 *quomodo per Diſpēſationē* 173

Voluntatis vltima diſpoſitio intelligitur ſaluo Iure Principis, 164.165

Fundatoris prohibitio, vel quaſi contractus, non

non habet vim ad inualidandam alienationẽ factam à Summo Pontifice, 171
Fundationis litera per adhibitam Epickiam in transferendis Monaſterijs non deficiunt à recto, 175
Fundatio alicuius Monaſterij facta intuitu Ordinis, non probat Dominium illius eſſe penes totum Ordinem, 99. 105
Fundatorum adiurationes, & comminationes in monaſteriorum legitimis translationibus non ſunt timenda, 18

Gaſpar Scioppius

occultè virulentus in Societatem Ieſu: primus Aſtri inextincti euulgator contra Iuſtam P. Laym. Defenſionem, 1.7

Gloſſa Iuris apud P. Rom.

male citata nihil ad rem, 47 *loquens de vacãte monaſterio, citatur pro extincto*, 48 *loquẽs de priuilegijs realib. explicatur de Perſonalib.* 69. *Gloſſa cum ſuo Iure citata non inuenitur*, 73. *Gloſſa de Bonis Collegij per omniũ mortem ſoluti vacantib. allegatur pro non vacantib.* 88. &c.

S. Gregorij

Præceptum Archiepiſc. Rauennat. & Tauromitano Epiſcopo datum, nihil ad rẽ, 52. 152. *multum ad rem illius dictum, nemo poteſt Eccleſiaſticũ obſequijs deſeruire, & in monaſtica regula ordinatè perſiſtere*, 186.

R. P. Guilhelmus Lamormaini

Ferd. II. Imp. Confeſſarius iniuſte arguitur de improbatis ſeptem Rationib. merito improbandis, 238. *defenditur, quoad literas obreptitias impetratas Societati, & Monaſteria Virginum iniuſte occupata*, 270. 288

Hæretici

maluerunt ſuis quæq; ordinibus Monaſteria reſtitui, quam nouis fundationibus Eccleſiæ vtilioribus adhiberi, 28
non poſſunt rerum ſacrarum poſſeſſionem acquirere, poſſunt retinere donec ab ea deijciantur, 28. *interim tamen Iure adminiſtrationis priuati ſunt, & inhabiles*, 126.
per Apoſtaſiam præciſe non ſpoliant Eccleſiam vniuerſalem ſuis Iurib. realibus, ſed per ea, quæ Apoſtaſia coniuncta ſunt, 206.

Henrici IV.

Diploma pro vacantib. Monaſterijs, à Pat. Rom. citatur pro extinctis, 42

Hoſpitalitas

Monaſteriorum, tranſlationi eorundem non repugnat, 23. 154. & ſeq.

Innocentius

agens de Priuilegijs realib. & localib. à P. Rom. explicatur de Perſonalib. 69. *non agnoſcit Dominium mediatum, quod ſubalternum vocant*, 90

Interdictum

quid & quotuplex 12. *ab ordinib. antiquis pro Monaſterijs quondam ſuis legitimè adhiberi non poteſt*, 13

Introductio

ad totius Controuerſiæ ſtatum cognoſcendum perutilis, 5

Ioannes Baptiſta Pallottus

tunc apud Caſ. Maieſt. Nuntius Apoſt. nunc Eminentiſſ. Cardinalis, Theologorũ præſertim duorum aduerſus ſeptem Rationes pro Monaſterijs Ordini ſuo reſtituendis allatas, Iudicia ſibi probata Cæſari præſentat, 6.

Iudicium

quid, & quotuplex, 12. *Antiqui Ordines pro extinctis Monaſterijs nec Petitorium, nec Poſſeſſorium per Actionem legitimam intentare poſſunt*, 13

Ius

Ius V. Actio.

quid; & quotuplex, 8. *quomodo Iura tum Realia, tum Perſonalia deſinant in Monaſterijs,* 63.

Ius vocis tam Actiua, quàm Paſſiua in Collegio extincto non deuoluitur alio, ſed vna cum titulis extinguitur, 10

Ius, quod prætenditur in Dominio ſubalterno fundari, nullum eſt, 103. *Ius in re, vel ad rem, reſpectu Poſſeſſionis, explicatum à P. Molina nihil facit ad rem,* 124

Ius decernens vni aliquid in fauorem alterius, hoc ipſo non tribuit huic alteri propriè dictam actionem, 56.

Ius Monaſterij alicuius comparandi totus Ordo acquirere poteſt, ita vt non acquirat Ius illud Monaſterium ſemel extinctum repetendi, 58.

Ius Canonicum

à P. Rom. ſæpè confunditur, v. g. citandum pro vacantibus Monaſt. citatur pro extinctis, 42. *citandum pro Epiſcopatibus, citatur pro Monaſt.* 49. *citandum pro Monaſterijs reformandis, citatur pro extinctis,* 50. *multi afferuntur textus extra rem,* 50. 51. *& alibi.*

Iuriſconſulti

aliquot in Roman. Curia ſunt pro antiquis Ordinibus in hâc cauſa; ſed plures cõtra 54. *Moderni ſeu Iuniores, qua tales, imprudenter reijciuntur, præſertim à P. Rom. ijs vtente,* 92.

R. P. Laurentius Forerus

falsò arguitur falſæ citationis, 263. *item falſæ interpretationis,* 264 *& alibi.*

R. P. Leonardus Leſſius

definiens Epijkiam à P. Rom. non intelligitur quomodo dicat illam deficere à recta, quod explicatur, 176.

Miracula

ſi qua contigerunt in Monaſterijs extinctis, non obſtant eorundem legitimæ tranſlationi, 79

Monachus

vni tantum Monaſterio incorporatus, vi profeſſionis non poteſt inuitus alio tranſmitti, nec volens, ex mero ſui Abbatis arbitrio, 110

Monachus ex vno Monaſterio in aliud tranſiens, etiamſi futurus Abbas, debet in eo denuo profiteri, 112

Monachus non exemptus ad longum tempus extra Diœceſin mittendus, indiget licentia Epiſcopi, 275.

Monachorum, propter Epijkiam P. Laym. conſternatio irrationabilis, 179

Monachus Apoſtata Monaſterij poſſeſſionem retinens, non dicitur ſpoliatus, 24. 128

Monachorum antiquorum delicta præciſè non efficiunt, cur moderni antiquorum Monaſteriorum Iure, ac dominio priuentur, 136.

Monialium

aliquot Virginum ſtatus Eccleſiæ totius ſtatui poſtponendus, non repugnat earum Monaſterijs extinctis aliò legitimè transferendis, 23. 34. 266

Monaſterium

quid nominis, & rei, 8. 62. *quomodo extinguatur,* 62. *quomodò vacans ab extincto diſtinguatur,* 42. 77. 81

Monaſterij tranſlatio iam pridem legitime vſitata præiudicat antiquis Ordinibus, 30. 152. 295. *ratio transferendi non petitur ex Conſtit. Imperij. Concord. German. Paſſau. tranſact.* 26. 202. 232

Monaſteria ſolum extincta Monialium, & Obſcuriora virorum ab Ordinibus ſuis transferri debebãt, 177. 219. *Extincta*

ſicut alijs, ita & ſuis Ordinibus, non reſtituuntur ex Iuſtitia: ſed donantur ex liberalitate Supremi Principis, 214
Monaſteria eiuſdem Ordinis, quomodo pertineant ad totum Ordinem, 53. 95. propter delictum extincta, non manent penes Ordinem, 99. in Congregationem redacta, diſtinguuntur à non redactis, 55
Monaſterij tranſlatio requirit cauſam, 141 pendet à prudenti diſpoſitione Superioris, 146. 204
Monaſterium Albæ Dominarum in Diœceſi Spirenſi, 123. & Monaſt. Saxoniæ VVoltigerodæ, 132. & Monialiũ Ord. Seruorum B. V. Oeniponti, 218. ad rem præſentem non faciunt.

R. P. Mutius Vitelleſcus

Societatis IESV Præpoſitus Generalis excuſatur accuſatus, quod ſuos in hac cauſa Ordinibus antiquis tam moleſtos non cohibeat, 190

Nauarrus.

malè citatur à P. Rom. meminiſſe Clemen. VIII. ante illius Pontificatum mortuus, 91. docet contra P. Rom. Bona vacantia pertinere ad Papam, 91

Nuncij Apoſtolici

iuſte à P. Laym. defenſi, 253. eorum Autoritati per Monaſteriorum tranſlationem derogatum, 254

Ordo Religioſus

quid nominis, & rei, 97. 1 9. 122. ex diuerſa nominis acceptione pendet Ordinis alicuius explicare Dominium in ſua Monaſteria, ibid.
Quid requiratur, vt totus Ordo in communi habeat Dominium in ſua Monaſteria, ſeu Collegia omnia & ſingula, 94. 104. 108. 114. 119. 129
Ordo Benedictinus eſto ſuas inſtituat Congregationes, ſic Monaſteria ſemel extincta nunquam reſuſcitabit, 257
Ordo habens Generalem non eſt ſubiectus Epiſcopo, 276
Ordinis Ciſtercienſis & Præmonſtratenſis Generales non habent prælationem in Ordine ad bona Monaſteriorum, 114
Ordines Monaſtici ad Societatis IESV munia ex inſtituto minus ſunt habiles, 183. 186. 292.

R. P. Paulus Laymannus

iam pridem extinxit Aſtrum inextinctum, 2. quo iniuſte arguitur per ſingulas fere pag. ita vt Index non capiat.

Pius II. & Pius V.

fruſtra citantur in hac cauſa, 115. 49. 196

Qualificatio

Perſonarum requiſita in Edicto Cæſaris ad extincta Monaſteria reſuſcitanda, explicatur, 213

Rationes ſeptem

pro Monaſterijs Ordini ſuo reſtituendis, 6. 14. in ſedem Apoſt. & Cæſar. Maieſt. contumaces, 226. Ferdinando II. eiusq́; Conſilio incognita, 227. ſubreptitiæ, 234. per Elenchum à P. Rom. defenſæ, 239.

R. P. F. Romanus Hay

Statum totius controuerſiæ à Monaſterijs extinctis ad deuoluta, & vacantia deriuat. 43. 46. non eſt optimus ſyllogiſta, 144. 239. male narrat. 251. &c. vide Aſtrum inextinctum: cuius tamen criminationes, falſitates, & calumniæ non tam P. Rom. quam Scioppio videntur aſſcribenda, 1. 37

Illuſtriſſ. Princeps Sabellus

S. Caſ. Maieſt. apud Pontificem Legatus ſuis ad illam literis Monaſteria ſignificat extincta, & videri à Pontifice in alios vſus transferenda, 194.

Seminariorum

Erectio neceſſaria propter Sacerdotum in

Ger-

Digitized by Google

Germaniæ penuriam,142. per Abbates oblata non infirmat poteſtatem Summi Pontificis: gratior futura Ordinarijs, per ipſum, vel per ipſos, quam per Abbates facta, & ſic Conc. Trid. conformior,143

Societas IESV

velut vnum Corpus, ſub vno Capite particulari, conſtat ex Scholaribus tanquam membris, licet ſeparabilibus, habentibus dominium, & poſſeſſionem bonorũ Collegialium,116. hinc ſpoliato Collegio, ipſis Scholarib. tanquam ſpoliatis, & ipſorum nomine Societati, etiam Profeſſæ, competit Actio de ſpolio,117

Societas, in fauorabilibus, ſub nomine Monachorum etiam comprehenditur,263. non arrogat ſibi Abbatis Ioachimi honorificum vaticinium,289. nullatenus intendit aliorum Ordinum deſtructionem aliquam,291. Societas non minus, quam alij Ordines; ſuorum Benefactorum, & Fundatorum memoriam obſeruat, 29. iniuſte arguitur ingratitudinis erga Ordines antiquos, 188. exprobratur ipſi Collegiorum numerus,180. & in literis Humaniorib. eruditio,185. Societas teſtimonio Vrbani VIII. & aliorum Pontificium, ſingulari Dei prouidentia, peculiariter ad hæreſes horum temporum debellandas inſtituta,248. iudicatur aptior regendis Seminarijs,186

Societatis Theologi, & alij Patres ſuſpecti, quod innominati Cæſarem per Confeſſariũ monuerint ſuper reſtitutione Monaſteriorũ, defenduntur,282.284.287

Societas in ſuo Iudicio de reſtitutione Monaſteriorum antiquis Ordinib. facienda non euertit principia naturalia, 288. nunquam ſibi arrogauit Ius aliquod in Monaſteria ob ceſſionẽ ſibi factam,260

Spolium

aliter latè, aliter ſtrictè accipitur. hinc illius Actio, ex Interdicto duplici, eſt duplex: neutra competit antiquis Ordinibus, quoad Monaſteria extincta,130.135

ſpolium vt adæquata ratio Edicti Cæſarei pro reſtituendis Monaſterijs prætendi nõ debet,24.133. ſpoliato etiã Prædoni, aliquando: nõ ſemper debetur reſtitutio,35. venit autem ſpoliatus, & non alius, reſtituendus, niſi omne Ius, quod ſpoliato cõpetebat, interea in aliũ legitimè ſit tranſlatum,26. ſpoliari iuridicè non dicitur, quicunq; ad ſuum non admittitur, 131. ſpoliari Ordo Benedictinus, impropriè: vniuerſalis Eccleſia, propriè dicitur,122.

Theologorum

inprimis duorum, alterius ex Societ. alterius extra Societ. Iudicia de ſeptẽ Rationib. pro reſtitutione Monaſt. allatæ, 16.29. conſcripta, non vt typis vulgarentur: ſed vt à Deputatis legerentur,284.

Titulus

Quid, & quotuplex, 8. quando vacet, dormiat, extinguatur,9.47.79. Tituli extinguuntur, quando Collegium ſoluitur de facto,78. Tituli, Prælaturæ, Abbatiæ, Præpoſituræ, Prioratus, &c. ſunt Iura perſonalia, competentia immediate Collegio Eccleſiaſtico, ſeu Monaſtico, quo abſq; ſpe reſtaurationis extincto, extinguuntur,64.

Vrbanus VIII. Pontifex

Cenſet nonnulla Monaſteria in alios vſus transferenda,5.182. idq; per ſuum Nũcium ſignificat Ferd. II. Imp.193. idẽ cõfirmatur ex aſſertione cuiuſdã Iuriſconſulti 137.197. ex literis Card. Barberini ad Card. Pallottũ.91. ex literis Principis Sabelli, Cæſarei apud Pontificem Legat. datis ad Cæſarẽ,194. itẽ ex literis

ipſius

Digitized by Google

ipſius Pontificis Motu proprio ſcriptis ad ſuum Nuntiam Card. Pallottum Viennæ agentem, 138 197

Pontifex ſuam Intentionem declarans ipſo facto definit Monaſteria extincta, Bona vacantia, 195. nec obſtant eiuſdem Apoſtolica Breuia ſi qua miſſa ſunt ad Præſidem vnionis Bursfeld. 138. vel alia Benedictinis, & Ciſtercienſib. indulta, 196

Pontificis autoritas interpretandi voluntatem humanam, & diuinam, 34. Pontifex non ſolus habet facultatem interpretandi vltimas voluntates: niſi, quoad cauſam præſentem, de Monaſterijs extinctis alio transferendis, 199

Pontifex aliquod beneficium ſine cauſa vni ademptum, valide alteri cōfert, ita vt hic verè poßideat, ille priuatus nullum ius retineat, 170. 200

Pontifex non vtitur eadem poteſtate in Monaſteria non deſolata, & deſolata, ſeu extincta: his enim transferendis Poteſtas ordinaria ſufficit, pro illis Abſoluta requiritur, 207

Pontifex vult & poteſt transferre Monaſteria extincta, 170. idque iure communi, & vſu ordinariæ poteſtatis, ſiue per diſpenſationem ſiue per Epijk:am, non adhibendo plenitudinem ſuæ poteſtatis, 53. 168. 174. 159

Pontifex vti poteſt plenitudine ſuæ poteſtatis etiamſi non ſit notabilis circumſtantiarum mutatio, 169. nec facit contra Ius diuinum, ſi fortè in tali caſu Monaſteria transferat, 169 etiam ſine cauſa rationabili alienans illicitè Monaſteria, non alienat inualide, niſi alienet in Laicos, 169. 201. 261.

FINIS.

Digitized by Google

7639

Digitized by Google